
9

[illegible]



ANATOME


# ARMINIANISMI

Seu,

*ENVCLEATIO CONTROVERSIARVM QVAE IN BELGIO agitantur, super doctrina De Prouidentia: De Prædestinatione, De morte Christi, De natura & Gratia.*

Authore PETRO MOLINÆO Pastore Ecclesiæ Parisiensis.









LVGDVNI-BATAVORVM.
Apud BONAVENTVRAM ELZEVIR.

M. DC. XIX.



# ILLVSTRISSIMIS AC POTENTISSIMIS DOMINIS

## *D. D. ORDINIBVS GENERALIBVS FOEDERATARVM Prouinciarum Belgij.*



INnumera ſunt, Illuſtriſſimi & Potentiſſimi Domini, beneficia quæ prouinciis veſtris Dei beneficio contigerunt, & vobis quaſi virgulâ diuinâ ſuppeditantur. Iam hæc magna ſunt, quòd veſtra Reſpublica florens opibus, aucta pomœriis, terrà maríque potens, belli pacíſque artibus clara, hoſtis potentiſſimi ſic retudit impetum vt in hoſtili ſolo ſemper bellum gereretis, & vrbes veſtrę in medio bellorum æſtu agerent Halcyonia. Quæ omnia geſta ſunt ſub auſpiciis veſtri Senatus ampliſſimi, & ductu Principum Auraicorum, de quo-

rum laudibus pręſtat tacere quam pauca dicere. Illi ipſi qui ſucceſſibus veſtris inuident, virtutem tamen veſtram admirantur. Denique talis Senatus & Principes Reip. veſtrę contigerũt, quales Deus dat, quotieſcunque res tenues & afflictas vult extollere ad ſummum potentiæ & gloriæ faſtigium.

Sed inter Dei beneficia facilè eminet, quod cum puteus abyſſi fumum denſum euomat, qui totum fere orbem denſa ignorantiæ caligine inuoluit, apud vos Sol veritatis cæleſtis puro orbe nitet, & ignorantiæ tenebras diſcuſſit. Vnde factum vt regio veſtra vnâ cum ſeruitute ciuili, iugum conſcientiis impoſitum excuſſerit.

Hunc rerum ſecundarũ curſum Satan vt ſiſteret, vires externas per multos annos expertus eſt. Quo conatu excuſſus, ad technas & ad inteſtinas diſſenſiones conuerſus eſt: Nactus homines qui ſub obtentu pietatis ſtudentes rebus nouis, patriæ & Eccleſiæ ſuæ viſcera laniarunt. Miſeranda erat facies prouinciarum ve-

ſtrarum: Inimicus noſtræ ſalutis funeſtæ diſſenſionis apud vos facem ventilabat: Tumultuoſum drama ſuper Belgij theatro agebatur ſpectantibus multa cum voluptate aduerſariis. Denique vidimus nutantem veſtram Remp. & res propemodum conclamatas, niſi imminentem perniciem Deus apparens ἀπὸ μηχανῆς, tempeſtiuis remediis auertiſſet: vſus ad eam rem veſtra authoritate, ſapientia, & prudenti conſtantia. Quantâ patientiâ pertuleritis turbulenta ingenia, quantâ vigilantia occurreritis graſſanti contagioni, ſi nemo diceret, magnitudo tamen morbi, & res in integrum reſtitutę abundè teſtarentur. Quo in conatu Celſiſſimi Principis Auraici virtus emicuit, in quo habemus ſingulare documentum quid in ſumma fortitudine ſumma poſſit induſtria: & qui tot bellica facinora cumulauit laude ciuilis prudentiæ. Hoc facto, Ampliſſimi viri, maiorem ex reſtituta quàm ex aucta Repub. laudem eſtis aſſecuti. Plus enim inteſtina hæc peſtis paucis annis attulit detrimenti quàm externa

bella, per multa sæcula, afferre potuissent. Cuius quidem vestræ virtutis quotquot sunt totâ Europâ Orthodoxæ Ecclesiæ fructum capiunt maximum: quippe ad quas iam volabant scintillæ istius incendii; Iamque apud exteros super his controuersiis fluctuabant multorum iudicia. Nam in quęstionibus de prouidentia & prædestinatione, solet esse acceptissima in vulgus sententia quæ diuina consilia ex humanis metitur, Deumque humanis affectibus induit.

Sed inter cætera à vobis prudẽter & feliciter gesta, conuocatio Synodi Dordracenæ, primas, meo iudicio, obtinet. Qua Synodo nulla alia à multis retro sæculis, nec celebrior, nec sanctior, nec Ecclesiæ vtilior: Ad quam vt vocaretis lectissimos viros diuersis ex partibus, nec pepercistis sumptibus, nec labori. In qua omnia sic compositè & grauiter acta sunt, vt populos in admirationem traxerit, & voluntates nutantes confirmauerit: cerebrosos verò & contumaces solo aspectu sic perturbauerit, vt qui ante hæc gestire in pu-

gnam, & certamen auidè poſcere videbantur, conuerſis artibus φυγοδικεῖν, lucemque odiſſe, & moras nectere cœperint, ſiue illos percuſſit metus, ſiue perculit conſcientia. Ad rem tam præclaram cum alii Principes viri vos hortabantur, tum præcipuè Iacobus Sereniſſimus Rex Magnę Britanniæ, qui ad profligandos quorumlibet nouatorum errores acerrimam ſemper facē prętulit. Qui quidem vt Defenſor Fidei meritò audit, ita oculos in omnem partem circumfert, proſpiciens ne vſpiam fides Chriſtiana aliquid detrimenti capiat.

Ego verò, qui ad tam ſanctum opus operam non potui, ſaltem vota contuli. Dici non poteſt quam cupidè optauerim intereſſe venerandę veſtræ Synodo, ad quam me Eccleſię Gallicę cum aliquibus ex meis fratribus deſtinauerant. Quæ impedimenta inſtitutum iter abruperint non opus eſt commemorare. Abſens tamen quod potui pręſtiti. Miſi enim ad Synodum ſententiam meam ſuper quinque capitibus controuerſiarum quæ in

Belgio agitantur, eamque fultam locis & probationibus ex ſacra ſcriptura. Cùm verò me multi, iique boni, & pollentes apud vos authoritate & prudentia hortati eſſent vt aliquid ſcriberem in has cōtrouerſias, parui non illibenter. Idque non tam perficiendi ſpe quàm recuſandi pudore, & experiundi voluntate. Malo enim à viris piis & doctis deſiderari meam prudentiam, quam incuſari negligentiam. Ergo ſchedas meas excuſſi, & quę erant à me in has quæſtiones meditata recognoui: quæ quidem concepi ſtilo ſimplici & incompto, vt quaſi in macilento corpore eminerent veritatis tori: Et conatus ſum inferre lucem his tenebris, in quibus perſpicaciſſimi quique ſæpe prętentant viam.

Non me latet quam ſit periculoſum ſubire aleam tot iudiciorum: quàm multi ſint ambitioſè triſtes, ſuperboque faſtidio: quàm pauci hęc capiant, quàm pauciores capiantur: quàm difficile ſit confligere cum hominibus verſipellibus & acutis, qui etiam cum capti ſunt ſic lo-

quuntur

quuntur quaſi ceperint: & qui in deplorata cauſa ſic tamen agũt quaſi tacti commiſeratione: qui orſa à ſe detexunt; & ſenſus ſuos vltro inuoluunt metuentes intelligi, ſtellionum inſtar qui ex aperto ſe in ſpineta proripiunt. Nec me fugit quam ſit difficile homini occupato, cuius animus aliis curis & occupationibus vndique pulſatur ſcribere enucleatè de rebus ad quas vix ſufficiunt liberrima ſtudia & tranquiliſſima ingenia.

Sed mihi veſtra humanitas & ſapientia ſubdit aculeos, & ad audendum inuitat. Scitis enim in rebus arduis conatum eſſe laudabilem, etiam cum ſucceſſus defuit. Nec dubitaui vobis conſecrare meas lucubrationes, vt opus factum ad defenſionem cauſæ quam feliciter tuemini in veſtro nomine appareat. Mihi videbor non luſiſſe operam, ſi laudis expers veniam impetrauero: Aut ſi meo exemplo aliquem excitauero ad aliquid perfectius elaborandum, quo poſſit veritas ſtare inconcuſſa aduerſus nouatores improbè acutos, & prauæ ac infelicis audaciæ.

¶¶

Interea pro vestra sapientia obseruabitis ex quibus initiis ad quanta incremente lues ista peruenerit: vtque sub specie libertatis prophetandi immissæ sint habenæ ingeniis petulantibus, quæ libertatis nomine prætexunt licentiam; Nam dum quasi ad exercitationem & ingenij specimen disputatur de ipsis fidei fundamentis, de quibus inter nos antea nulla erat concertatio, sanctissima quæque & certissima cœperunt vocari in dubium: & scholastica velitatio in seriam pugnam statim exarsit. Hæc enim licentia cum à scholis, vt fit, transiisset in sacra pulpita, & inde in plateas, tabernas, tonstrinas, tota regio mutata est in quoddam pelagus tumultibus æstuans: Vnde odia in populo, & pietas in contentionem versa, & erga Magistratus segnius obsequium: Ad quæ mala cum accessisset ambitio quorundam res nouas affectans, quę flatu & fomitibus adhibitis suscitauit hoc incendium, paruo tempore hæc flamma in immensum excreuit. Sed Dei beneficio, & vestra, Illustrissimi Domini, authoritate

& prudenti vigilãtia tanti incendij flamma resedit: recuperata est libertas, Respublica constituta, Academia repurgata, veritasque quæ multis in locis vix hiscere audebat, aut aduersis clamoribus obturbabatur, perrupit obstantia, & vt fit in collisione silicum, ex ipso conflictu clarior emicuit. Enimuero ex eo non obscura apparuerunt in populo incrementa pietatis, maior ex eo ad audiendum Dei verbum concursus, maior attentio. Nam Deus, quę est eius bonitas, vtitur ipsis vitiis ad suscitandas virtutes torpentes in otio. Crescit enim zelus & pietas irritata, non secus ac fornacum ignis languens affusa aqua succenditur. Tum qui experimento didicerunt quas insidias Satan struat dormientibus & incautis, ad agendas in posterum excubias instigantur.

Supersunt quidem adhuc aliquæ reliquiæ huius morbi, necdum planè detumuerunt odia partium. Sed spes est fore vt breui coalescant labra huius vulneris, & conciliẽtur animi: dummodo in Academia vestra, ex qua hæc contagio in to-

tam regionem ſerpſit, nefas ſit deinceps ἑτεροδιδασκαλεῖν, & vocare in dubiũ quæ in ſacra veſtra Synodo ex Dei verbo ſunt piè & prudenter conſtituta, & deinceps nemo ad ſacrum Miniſterium admittatur, cuius non ſit fides explorata, & cum fratribus cognita conſenſio: Synodiſque ſua reddatur authoritas, vſuſque frequentior: vt naſcentium malorum occurratur initiis, veluti cum ſcorpius pungens ſuper ipſo vulnere illico eliditur. Sed & prudenter à vobis cautum eſt ne hæc deinceps iactẽtur in vulgus, vt populus non tam doceatur diſputare quam viuere: & aſſueſcat cum ſuis potius vitiis quàm cum alienis opinionibus confligere. Difficillimum enim hoc eſt certamen & perutile, quod vnuſquiſque piorum indicit ipſe ſibi. Contrà, dum lis ex lite ſeritur, & quæritur non veritas ſed victoria, inter altercantes primò quidem charitas, mox etiam veritas amittitur.

Præcipuè verò danda opera, ne pax & diuitiæ inducant obliuionẽ crucis Chriſti: & ne populus beneficiorum Dei im-

memor eius iudicia denuo attrahat. Non desunt exempla populorum quibus cum ipsa religio opes & res secundas peperisset, mox eædem illæ opes & res secundæ suffocauerunt religionem, & turpi parricidio peremerunt matrem. Quo maior cura adhibenda est vt his documentis populorum vestrorum aures personent, per quæ calamitatum à ceruicibus vestris depulsarum refricetur memoria, & animi eminus prospicientes futura pericula & Satanam imminentem, pio horrore contremiscant.

Quam ad rem non leue est incitamentum, quod his nouissimis tumultibus experti estis, Reip. pacem integritate religionis constare: nec posse veræ religionis quæ apud vos obtinet puritatem violari, quin labefactentur columnæ quibus stat Respublica, & Supremi Magistratus authoritas sustentatur. Hæc enim duo mutuo inter se nexu ita continentur, vt non possit alterum euerti quin alterum corruat. Per religionis latus petebatur vestra authoritas; & in fundamentis Ecclesiæ,

fundamenta Reip. subruebantur. Ergo tunc erit sarta tecta vestra potestas, quando obsequium debitum Principibus putabitur pars esse pietatis: & Pastores Ecclesiæ ad obedientiam vobis exhibēdam populos verbo Dei imbuent. Vicissim florebit Ecclesia quādo Principes erunt eius nutritij, & putabunt se admotos à Deo gubernaculis rei publicæ, vt Deus per eos regnet, & sub vmbra potestatis ciuilis religio adolescat, & sedulo excolatur: Id quidem, Illustrissimi Domini, præstatis sedulò & feliciter. Dici non potest quantùm vobis debeat populus vester: Idemque deinceps plura debebit. Profectò, quotquot sunt in orbe Christiano boni, tam prosperos successus vobis gratulantur, vestramque sapientiam admirantur: & precibus à Deo contendunt vt vos quibus vsus est ad seruandam Remp. & Ecclesiam, diu seruet Reip. & Ecclesiæ: vosque suo spiritu sic regat & curâ tueatur, vt omnes conatus vestri optatum finem consequantur, habeatisque Remp. feliciter constitutam, res in

tuto collocatas, domeſticam concordiam, opes affluentes, exercitus fortes, frequentes victorias, populum dicto audientem, & qui vos Dominos ne appellet an patres, alternis iudiciis ambigat.

*I. V. A.*

*Obſeruantiſſimus*

*PETRVS MOLINÆVS.*

# INDEX CAPITVM
## HVIVS LIBRI.



¶¶

ANATO-



# ANATOME ARMINIANISMI.



## *Quàm sobriè sit agendum in hoc argumento.*

### CAPVT I.



SI in vllo alio argumento, in hoc præcipuè quod aggredimur tenendum est illud Pauli, *ne quis sapiat vltra quam par est, sed sapiat ad sobrietatem.* Opposuit enim Deus arcanis suæ sapientię multam caliginem, in quam nefas est irrumpere, ne dum scrutamur majestatem opprimamur à gloria. Satius est tuta sapere quam sublimia, & obseruare Dei mandata, quam scrutari consilia. Hæc curiositas genus humanum pessundedit. Adam enim dum vult similis esse Deo cognitione boni & mali, bonum quidem amisit, malum vero suo damno didicit, dum pœnas luit. Inde natæ hæreses, dum homines prurigine ingenij correpti vltra verbi diuini metas excurrunt. Inde turbę quas Satan excitauit hoc sæculo fertili dispu-

*Rom. 12. vers. 3.*

*Prou. 25. 27.*





tationum, ſterili pietatis; vſus ad eam rem hominibus qui acumine improbo & temeraria præſumptione auſi vocare Deum ad calculos, eiq; leges præſcribere, florentiſſimas Belgij Eccleſias grauiter afflixerunt. Tutiſſimum ergo ſequi Deum ducem, & tantùm ſapere quantùm verbo ſuo nobis patefecit, & vbi Deus tacet, ipſi nobis imperare ſilentium. Maximè vero cauēdum eſt, ne diſpendio iuſtitię Dei patrocinemur eius ſapientiæ aut prouidentiæ: viciſſim verò ne dum tuemur eius iuſtitiam, configamus oculos eius prouidentiæ. Nec putandus eſt Deus iniuſtus, ſi quid agat quod regulis mēte noſtra cōceptis vſquequaq; non reſpondeat. Hæc duo cum ſint vitanda ſedulò, ceu duo ſcopuli infames & periculoſi, longè tamen peius eſt inurere Deo notam iniuſtitiæ, quam limites figere eius prouidentiæ. Minori enim periculo Deus ſtatuitur otioſus ſpectator peccati, quàm ſi credatur peccati author aut inſtigator. Nec vlla capitalior peſtis, quàm in Deum humanorum ſcelerum cauſam tranſcribere: Ita enim fit vt homines ruptis repagulis impunè laſciuiant, quippe habentes Deum patronum ſui ſceleris & authorem.

Ad cohibendam verò curioſitatem & incutiendum animis religioſum metum, non parum conferet conſideratio noſtræ tenuitatis, ſi ad Diuinam Majeſtatem conferatur. Enimuero ſi quis noſtrûm formicam pede obtriuerit, nemo ei ob hoc iniuſtitiæ actionem intendit, quamuis formica eum non offenderit, & formicæ vitam non dederit, & alienum opus deſtruxerit quod ab homine non poteſt reſtitui, & inter homi-

nem & formicam non ſit infinita inæqualitas, ſed certa quædam & finita proportio. At homo Deum grauiter offendit: & Deus homini vitam dedit; & inter Deum & hominem nulla eſt proportio, ſed infinita diſtantia, vt inter rem finitam & rem infinitam. Si ergo Deus homines peccatores, quos ſeruare poterat, obtriuerit; ſi vaſa iræ præparata ad interitum patienter tolerans, fecerit illa materiam ſuæ gloriæ, an poterit quiſquam cum Deo expoſtulare, aut deſiderare in eo bonitatem, aut incuſare eius iuſtitiam?

---

*Non ſi qui doctrina prouidentiæ & prædeſtinationis, ad curioſitatem, aut ad impietatem abutuntur, idcirco ea prorſus eſſe abſtinendum: Et ad quid ſit vtilis.*

## CAP. II.



VNT qui pertæſi contentionum quæ ex doctrina de prouidentia & prædeſtinatione naſcuntur, putant tutiſſimum eſſe ad pacem Eccleſiæ & ad tranquillitatem conſcientiæ, has quæſtiones non attingere, neque de ijs verba facere ad populum pro ſuggeſtu: His ſermonibus infigi animis ſcrupulos, ſubnaſci dubitationes, & infirmorum fidem labefactari. Doceatur (inquiunt) populus, non quid Deus agat aut decernat, ſed quid nobis agendum ſit. Inſtilletur animis doctrina bonorum ope-

rum, Deo vero relinquantur arcana electionis & reprobationis.

Hæc sanè oratio honestior est quàm verior. Hi enim dum præ se ferunt studium pietatis & amorem concordiæ, Christum & Apostolos tacitè insimulant imprudentiæ, quòd doctrinam electionis in Nouo Testamento tam frequenter inculcauerint: Et dum præpostera religione attinentur, authores sunt Pastoribus Ecclesiæ vt portionem recidant de Dei verbo, nec proponant populo integram doctrinam Euangelij. Et dum voluntaria ignoratione affectant laudem modestię, in Deo ipso desiderant prudentiam.

Quid quod absq; hac doctrina, non potest tribui Deo honor qui debetur, nec fides nostra constabiliri? Nam per doctrinam de prædestinatione ingerit se mentibus nostris cumulus ille immensus bonitatis & amoris Dei erga nos, per quem nos amauit & nobis prospexit ante jacta mūdi fundamenta. Tum quicquid nobis lucis aut gratiæ Deus admetitur, agnoscitur esse riuulus promanans ab amore illo æterno. Per eandem doctrinam concidunt humana merita, & euanescit imaginaria facultas liberi arbitrij in rebus quæ pertinent ad salutem. Quin & vacillaret salutis fiducia, nisi immutabili Dei decreto, non verò humano arbitrio niteretur. Est quoq; hæc doctrina grande leuamentum ærumnarum, & mitigatio omnis acerbitatis: dum cogitamus, omnia, etiam acerbissima, cedere in bonum ijs qui ex Dei proposito sunt vocati. Nec vllus est stimulus acrior ad bona opera quàm agnitio amoris illius æterni quo Deus nos ante sæcula in Christo complexus

eſt. Deniq; per hanc doctrinam docemur ipſi nos excutere & explorare conſcientias noſtras, ad inuenienda in nobis & ſuſcitanda teſtimonia electionis noſtræ: Gnari ſtudium noſtrum & curam debere ſubſeruire electioni Dei, & viâ inferni, id eſt impœnitentiâ & incredulitate, non poſſe ad cœlum perueniri.

Poteſt ergo, duce ſcriptura, hæc doctrina vtiliter proponi, tenendo mediocritatem inter affectatam ignorantiam, & temerariam curioſitatem, ſequendo tale temperamentum, vt non abſtineamus licitis, dum vitamus illicita.

Hoc opere nobis res eſt cum hominibus, qui vtrobique peccant, & impingunt in vtrumque extremum. Nam Arminius, ſi quiſquam alius, ingerit ſe in arcana Dei, & decretum electionis ſcrupuloſa curioſitate in fruſta concidit. Idem tamen totam doctrinam de electione ἐκφαυλίζει vt rem quæ ſi ignoraretur non per id minueretur Dei erga nos amor, nec eius gratiæ fieret iniuria. *Hanc* electionem qui negant, *negant* (inquit) *quod verum eſt, ſed citra gratiæ & miſericordiæ iniuriam.* *In Perkinſum pag. 84.*

*Docetur quid ſit Prouidentia Dei: Quam latè pateat. Deum non eſſe authorem peccati. Tum quid ſit permißio, Quid excæcatio, & induratio.*

## Cap. III.

I. PRovidentia eſt virtus diuina, rerum omnium gubernatrix, per quam Deus fines, & media ad fines, ab æterno præſciuit & præordinauit.

II. Omnia cum ſint Deo præſentia, nihil eſt quod ab æterno Deus non præuiderit. An verò de ſingulis euentibus fecerit peculiare decretum dubitari poteſt. Nam vt Deus ab æterno decreuerit, quot herbę capillamenta debeant hoc anno in Neapolitano agro ſuccreſcere, aut quot de attrito mendici centone fila dependeant, non videtur conſentaneum: quia hæc non habent rationem boni aut mali, nec faciunt ad Dei gloriam aut perfectionem vniuerſi. Idcirco Thomas cenſet Dei decreto numerum hominum eſſe definitum: at non numerum culicum aut vermium. Non quòd minutula iſta Dei cognitionem effugiant, aut quod Deus non poſſit ad iſta extendere ſuam prouidentiam: ſed quia non videtur conueniens ſummæ ſapientiæ aliquid decernere, quod nihil conferat ad ſuam gloriam aut ad perfectionem vniuerſi. Nempe Deus omnia vel minima ab æterno præſciuit: at ea demum præordinauit & decreuit, quæ habent rationem aliquam boni, & quibus gloria Dei fit illuſtrior vel mundus perfectior.

*Summa Theol. 1. parte Q. 23. Art. 7.*

III. Dei voluntati resisti non potest. Rom. 9. vers. 20. ipse de se sic loquitur Esaiæ 46. vers. 10. *Consilium meum ratum est & quicquid volo facio.* Et Paulus Ephes. 1. *Deus omnia efficit ex consilio voluntatis suæ.* Non placet hoc Arminio; Censet enim Arminius in Perkinsum p. 60. Deum posse frustrari particulari fine quem sibi proposuit. Et p. 198. posse resisti voluntati Dei antecedenti. Quàm verè, postea videbimus.

IV. Deus nullatenus est author peccati nec instigator. Ps. 5. vers. 5. & Psal. 45. vers. 8. Deus enim non modo est iustus, sed etiam est ipsa iustitia. Qui autem est ipsissima iustitia, nihilo plus potest peccare, aut peccati author esse, quàm albedo denigrare parietem, aut calor frigefacere. Nec tantum facit iusta Deus, sed & idcirco aliquid iustum est, quia Deus illud facit. Ac planè explodendum est quorundam commentum, qui dicunt, Deum etsi impellat ad peccatum, non tamen peccare, quia non est peccatum vbi non est lex, Deum autem nullis legibus adstringi. Fateor quidem Deum nulli legi esse obnoxium: Certum est tamen, eum nihil posse agere quod pugnet cum sua natura. Non potest mentiri qui est ipsa veritas: nec peccare qui est ipsissima iustitia. Omnino illæ voces, *Peccatum fit* Deo *procurante, aut adiuuante*, ex Theologia exterminandæ sunt.

V. Homo suâ culpâ ipse sibi perniciem attulit. Nec potest Deo imputari lapsus hominis. *Perditio tua ex te Israel, sed in me auxilium tuum:* Oseę 13. Quemadmodum in generatione embryonis Sol & homo simul

agunt: quod si monstrum generatur, id non adscribitur Soli, sed homini: Nempe ideo monstrum nascitur, quia causa vniuersalis agens abducta est à consueto tramite per defectum organorum, vel malam affectionem materię. Ita ad actiones humanas Deus & voluntas humana concurrunt: quod si quid inest prauitatis in actione, non debet ea ascribi Deo, sed dispositioni voluntatis humanę.

VI Veruntamen Scriptura vtitur interdum locutionibus, quæ ansam præbent profanis imputandi Deo sua peccata, quasi commissa Deo volente & impulsore. Notum est, quo scelere filij Iacob moti inuidia fratrem Iosephum vendiderint. De hoc facto sic loquitur ipse Ioseph Geneseos 50. *Vos cogitauistis aduersus me malum, at Deus cogitauit idipsum in bonum, vt seruaret in vita populum multum.* Quasi hoc factum fuisset Deo authore. De filijs Samuelis scriptura dicit, eos non obtemperauisse commonefactionibus patris, *quia Deus eos volebat occidere.* 1. Sam. 2. vers. 25. Et primo Regum, cap. 22. Spiritus malignus sistit se coram tribunali Dei, operamq; suam offert Deo ad seducendos Prophetas: Cui Deus, *Decipies, & praualebis, egredere, et fac.* Semei Dauidem fœdis imprecationibus execratur. 2. Sam. 26. Quod Dauid accipit quasi factum impulsore Deo. *Maledicat* (inquit) *dixit enim ei Iehoua, maledic Dauidi.* Eiusdem Dauidis adulterium in Bersabea, & necem Vriæ, grauissimæ calamitates sunt consecutæ, per rebellionem filij Absalonis, qui patrem regno expulit, vxoresq; eius palam constuprauit. Hæc euentura Nathan à Deo missus Dauidi denunciat

tiat his verbis. *Tu quidem hæc fecisti in occulto, ego vero hæc faciam in conspectu totius Israelis.* 2. Sam. 12. Satan Iobum affligit, Chaldæi eius fortunas diripiunt: Quid ad hæc Dei seruus? *Dominus* (inquit) *dedit, Dominus abstulit, laudetur nomen Domini.* Actorum 4. Petrus sic loquitur. *Coacti sunt aduersus sanctum filium tuum Iesum quem vnxisti,* Herodes *& Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel vt facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prius definiuerat facienda.* Paulus ad Romanos cap. 1. loquens de populis idolorum cultoribus, & ad omne scelus projectis, dicit *Deum eos tradidisse fœdis affectibus & nefandis vt facerent enormia.* Ipse Deus Exodi 10. & Rom. 9. testatur se indurauisse cor Pharaonis. Denique quis non ad Dei verba contremiscat quæ habentur Esaiæ cap. 6. *Crassum reddito cor populi huius, & aures eius fac hebetes, et oculos eius obline, ne fortè oculis videat, vel auribus audiat, & corde intelligat, & sic conuersus saluti restituatur.*

His ne quis profanus abutatur ad laxandam fibulam intemperantiæ, & ne quis cuius cor ad verbum Dei occalluit, Deo suam duritiem imputet, quasi impulsus à Deo cui resisti non potest, vt adolescens ille in Aulularia sic se excusans, *Deus mihi impulsor fuit, is me ad illam illexit*, afferenda sunt quædam quibus enodetur hæc quæstio, & lux his tenebris inferatur.

VII. Ante omnia monemus tenendam esse mediam viam inter duo extrema, quorum alterum est facere Deum authorem peccati, alterum statuere aliquid fieri Deo inuito, aut inscio, aut non curante, quasi in specula sedens expectaret euentos fortuitos, penden-

tes ex casu vel ex humano arbitrio. In neutrum horum incurret qui agnoscet Dei prouidentiam sine dispendio iustitiæ, nec Deum suis peccatis inscribet: & qui ad defensionem iustitiæ non aduocabit ignorationem rerum aut negligentiam.

VIII. Principio igitur statuendum est peccatum non fieri nisi Deo permittente. Nec debet quenquam offendere vox illa *permittendi* quasi derogans Dei curæ & prouidentiæ, cum Paulus hac voce vtatur Actorum 14. vbi Lycaonas sic affatur, *Præteritis ætatibus Deus* εἴασε *permisit gentes in suis ipsarum vijs incedere.* Ergo permisit Deus peccatum. Permittere peccatum est non impedire cum possis: Inde fit vt totidem sint modi permittendi quot sunt impediendi. Impedit Deus peccatum duobus modis, vel per iustitiam suam, vel per potentiam. Impedit peccatum per suam iustitiam iubendo, vitando, monendo, minando, promittendo. Impedit autem per suam potentiam, quando adimit vires, vel amouet occasionem peccandi, vel efficacia Spiritus sui voluntates propensas ad peccatum, flectit ad pietatem & immutat. Illud est impedimentum morale, hoc verò naturale, aut etiam supernaturale. Pro varietate horum modorum impediendi varij quoq; sunt modi permittendi; Permittitur enim peccatum vel relaxando legem, & dando licentiam peccandi: vel non exerendo vires quæ poterant actu impedire ne peccaretur. Priori modò Deus nunquam permittit peccatum: posteriori verò permittit. Quod facit non impediendo ne homo tentetur, & non dando certum auxilium & mensuram gratiæ quæ si ades-

ſet, peccatum impediretur.

IX. Hæc permiſſio eſt actus quidam voluntatis diuinæ, eſt enim voluntaria: Deus enim nihil facit inuitus, nec inſciens. Ergo permiſit peccatum quia voluit permittere. Nec permiſiſſet niſi bonum fuiſſet vt permitteretur. Nam ſi malum non eſſet, nequidem cognoſceretur quid ſit bonum: non ſecus ac ignoraretur quid ſit lux, niſi eſſet nox. Nec iuſtitia Dei qua punit, nec miſericordia qua ignoſcit fuiſſet cognita. Nec ſapientia per quam ex malo elicit bonum. Nec infinitus amor per quem miſit in mundum Filium ſuum vt pro nobis moreretur. Non quidem quod Deus ſcelere hominis egeat ad illuſtrandam ſuam gloriam, ſed quia alioqui non potuiſſet homo peruenire ad plenam illam felicitatem ad quam creatus erat. Non enim poteſt perfectè Deus cognoſci ac proinde nec perfectè amari dum ignoratur eius iuſtitia & miſericordia. Ipſo igitur lapſu hominis Deus gradum ſtruxit homini ad perfectiorem conditionem. Ac quanquam reſpectu multorum ſingularium pereuntium, optabile fuiſſet vt homo non peccaſſet, reſpectu tamen vniuerſalis boni, cuius potius fuit habenda ratio, non debuit Deus potentiam ſuam adhibere ad impediendum ne peccatum committeretur.

X. Porrò etſi Diabolos & homines Deus permittit peccare, non tamen eis ita habenas immittit quin teneantur conſtricti vinculis diuinæ potentiæ: ac dum euagantur extra tramitem iuſtitiæ, includuntur tamen limitibus prouidentiæ, ne noceant eis quos Deus amat. Nam etſi ſe voluntas humana corruperit, non ta-

men idcirco imminutum eſt Dei imperium; cui ſubjectæ ſunt voluntates humanæ, quantumcunq; aduerſentur eius mandato, & ſpiritu rebellionis impulſæ frendant aduerſus eius imperium.

XI Principes animæ facultates duæ ſunt, intellectus & voluntas, ille per quem homo cognoſcit, hæc per quam ſe mouet. Per intellectum ſumus docti aut indocti, per voluntatem boni aut mali. Quod in intellectu eſt affirmare aut negare, illud eſt in voluntate velle vel nolle. Praua quidem deſideria Deus non indit voluntati: at menti ſæpè tenebras offundit, & intellectum iuſto ſuo iudicio excæcat, vertigine percutiens rebelles, & ſpiritu ſoporis inebrians. Enimuero non ſecus ac herus ſeruo candelam meritò exufflat qua ad pernoctem aleam abutitur: ſic Deus adimit lucem cognitionis ſuę, quando homo ea abutitur ad Dei contemptum & peccandi licentiam. Veruntamen adempta luce, voluntas errans cæſpitat, & duriter impingit, Deo tamen non impellente. Sed cæcitatem mentis vltro ſequitur obduratio cordis. Hæc enim vt cohærentia Iohannes jungit cap. 12. com. 40. *Excæcauit oculos eorum & obdurauit corda.* Hoc pacto poſteriora peccata fiunt pœnæ peccatorum præcedentium, vt docet prolixè Auguſtinus lib. 5. aduerſus Iulianum cap. 3. Eo enim ipſo quo homo per peccata poſteriora fit improbior, fit quoq; miſerior. Non quia peccatum ſit à Deo quatenus pœna, ſed quia peccato quod non eſt à Deo, Deus vtitur ad pœnam. Atq; hinc nudæ & otioſæ permiſſionis doctrina euaneſcit: quia iudex nunquam punit permittendo per incuriam, ſed decernendo per iuſtitiam.

XII. Ad obdurationem quoq; facit ſubminiſtratio mediorum externorum ad ſalutem, qualia ſunt verbum & Sacramenta. Nam niſi Deus efficaci gratia Spiritus corda permoueat, humana prauitas externis iſtis adiumentis magis irritatur, & moleſto hoc iugo excuſſo fertur per deuia, & majori ſe ruina præcipitat: Tunc impletur quod dicitur Pſalmo 81. *Tradidi eos libidini ſuorum cordium, vt irent iuxta conſilia ſua.* Veruntamen vt ſcias duritiem illam cordis ab homine ipſo proficiſci, Scriptura non tantum dicit Deum obdurauiſſe cor Pharaonis, ſed & ipſe Pharao dicitur obduraſſe cor ſuum Exodi 8. com. 15. Nec aliter intelligendum illud Pauli Rom. 1. Deum tradere improbos εἰς ἀδόκιμον νοῦν & fœdos affectus. Hæc enim mens reproba, hi fœdi affectus non ſunt à Deo improbis inditi; ſed cum iam eſſent in improbis, Deus extincta luce paſſus eſt hos fœdos affectus in eos imperium exercere: vt docet Thomas 1. 2. Quæſt. 79. Art. 1.

XIII. Porrò eorum qui obdurantur duo ſunt genera: Nam præter obdurationem omnibus reprobis communem, qua homo ſibi ipſi relinquitur, vnde fit vt ſemper in peius ruat, quidam ſunt ἀλάστορες eximiæ improbitatis præter cæteros, quos Deus peculiari & extraordinaria vltione tradit Satanæ, vt Pharaonem, Saulem, Iudam.

XIV. Omne ens poſitiuum à Deo pendet vt à prima entitate, nec poteſt ſe mouere creatura, niſi Deo aſſiſtente & ſuſtentante. *Nam per ipſum viuimus, et mouemur et ſumus,* Act. 17. Neq; tantum influit in creaturas aut eis aſſiſtit virtute & influxu generali, ſed etiam

assistentia peculiari qua singulas actiones sustentat & dirigit. Indicio sunt euentus qui ex singulis actionibus consequuntur, quas Deus ipse testatur non accidere
Deut.19 casu, sed ex destinato, & Deo sic volente. Si elapsa se-
vers.5. Exod.21 curis manu lignatoris viatorem occidit, Deus asserit id
vers.13. à se factum esse. *Sortes mittuntur in sinum, euentus vero pendet à Domino.* Prou.16.33.

XV. Porrò etsi Deus suo concursu in actiones humanas influit, agentem sustentans & actiones dirigens, metas figens, euenta ordinans, è malo bonum educens, non tamen idcirco putandus est hominem ad malas actiones instigare, aut Euam ad esum vetitæ arboris impulisse. Cui assertioni vt lux afferatur, dicimus Deum non tantum agere per creaturam, sed etiam agere cum creatura, & Deum ac creaturam esse causas concurrentes ad vnum ἀποτέλεσμα, seu vnius effectus productionem. Et hæc duo simul sumpta, causam esse totalem actus alicuius. Quæ creatura si voluntariè agat, potest concursu suo inquinare actionem Dei, & eam determinare ad malum. Hoc pacto culpa tota residet penes creaturam. Deus enim efficaciter influẽs in creaturam non adimit ei liberam contributionem virtutis suæ. In actione humana si quid peccatur ab homine, Dei concursus naturalis est, creaturæ vero moralis. Quod in esu illo pomi vetiti naturale fuit, à Deo fuit: quod morale & deuium à tramite iustitiæ, ab homine fuit. Quemadmodum Deus dat animali claudicanti vim incedendi, non tamen à Deo est claudicatio: ita etsi Deus dedit homini facultatem volendi, & sustentat motum naturalem voluntatis, actumq; volendi,

non tamen si quid prauum accessit quod actum illum inquinat, à Deo esse dicendum est. Sed homo est peccati effector, Deus vero permissor. Actusq; ille cui inest deformitas naturaliter quidem bonus est, quatenus à Deo est: quatenus vero est ab homine, moraliter malus est.

Nempè aliud est actio in qua est peccatum, aliud deformitas actionis in qua formaliter est peccatum: Ad actionem ipsam Deus cum homine concurrit, at non ad peccatum.

XVI. Neque verò Deus culpari debet, quod concurrat cum creatura, quam scit illo suo concursu & assistentia abusuram ad peccandum. Vitium enim hominis non potest arctare limites virtutis diuinæ, nec refigere legem illam æternam per quam stat vniuersa natura: nec conuellere necessitatem naturalem per quam creatura non potest se mouere nisi Deo assistente: Sic anima etsi scit corpus abusurum virtute sua motrice ad claudicationem, non idcirco cohibet vim suam motricem, aut sibi temperat à motione corporis. Nec si in moralibus voluntas humana est contumax aduersus legem Dei, idcirco in naturalibus imminuetur Dei imperium, aut Dei influxus cessabit. Immo verò non posset Deus exigere à creatura obsequium, nisi eam sustentaret, eiq; daret vim sese mouendi.

XVII. Quemadmodum Sol non est causa tenebrarum, quamuis absentiam eius tenebræ necessario consequantur: Sic Deus cum sit ipsissima iustitia non est causa peccati, quamuis negationem gratiæ Dei, affectus inordinati, cæcitas mentis, & prauitas voluntatis

necessario consequantur. Hoc volunt qui dicũt Deum non esse causam efficientem peccati, sed deficientem: quo tamen loquendi genere malim abstineri.

XVIII. Quantumuis liberè agant improbi, & suopte motu ad peccatum ferantur, Deo non illiciente, nec impellente: certum est tamen euentus qui inde accidũt dirigi & gubernari Dei prouidentia. Nam vt aquæ fluentis pronus lapsus & ad inferiora inclinans, ducto canali potest auerti, & lapsus eius dispensari, aquilegis industriâ: sic quãuis improbi proni sint suopte ingenio ad peccandum, Dei tamen prouidentia arcanoq; consilio inclinantur ad hoc potius patrandum quam illud: vt seruiant executioni iudiciorum Dei, quando vult illis vti vel ad punienda alicuius scelera, vel ad explorandam fidem piorum, aut stimulandam socordiam. Hoc simili vtitur Solomon Prouerbiorum cap. 21. *Sicut deriuationes aquarum ita cor regis est in manu Domini quocunq; vult inclinat illud.* Hoc pacto, vt ait Petrus Actorum 4. *improbi faciunt quæcunq; manus Dei, & consilium prius definierat facienda.* Inde est quod Deus Esaiæ 5. gentes remotas, ad vastandam Iudæam sibilo euocat: Et cap. 10. Assyrios vocat virgam furoris sui. Iam studebat Ieroboam rebus nouis, iam defectionem à Solomone meditabatur, cum Ahias Propheta à Deo missus, volũtatem Dei super huius facinoris successu ei declarauit. Non instillauit Deus animo eius rebellionem iam ante præconceptam. Sed voluntatem eius iam malam, ad audendum hoc facinus obfirmauit, vt homine scelerato ad vltionem peccatorum Solomonis & Roboami vteretur.

Quemad-

Quemadmodum ergo hirudines faucibus ægri applicatæ dum ſatiant ſuam ingluuiem ſeruiunt intentioni medici, ita improbi dum ſæuiunt in bonos, ſeruiunt præter ſuam intentionem Dei conſilio: vt docet Eſaias cap. 10. vbi Deus dicit ſe quidem decreuiſſe vti rege Aſſyriorum ad puniendam hypocriſim Iſraëlis; ſed non fore iſti regi hunc animum, quippe qui ſola ambitione & prædæ cupiditate ageretur. Sic vſus eſt ſcelere fratrum Ioſephi ad depellendam famem à ſuo populo: & proditione Iudæ ad mortem Chriſti, & per hanc ad noſtram redemptionem. Et ambitione Cæſaris Augusti cenſum agentis totius imperij, ad euocãdam Mariam è Galilæa Bethlehemum vt ibi pareret, & ſic prophetia Michææ impleretur. Illi ipſi qui reſiſtunt mandato Dei ſeruiunt eius prouidentiæ, & remigum inſtar eo tendunt quo obuertunt terga. Deus per inſipientiam hominum perficit conſilia ſuæ ſapientiæ; vtitur hominibus iniuſtis ad exercendam ſuam iuſtitiam. Non ſecus ac ſi quis obtorto baculo rectum ictum infligat.

XIX. Quandocunq; Deus immittens Satanæ habenas, ei permittit hominem tentare, poteſt quidem Satan propoſitis objectis illicere appetitus, aut alteratione humorum corporis turbare phantaſiam, voluntatem vero cogere non poteſt: alioqui non peccaret homo ſed Satan. Nec Deus poſſet iuſtè hominem punire ob peccatum, ad quod à cauſa externa, præter ſuam inclinationem eſſet compulſus.

XX. Quia autem Deus cõtumaciam hoſtium vlturus, aut in peccata ſuorum animaduerſurus, vtitur aliquan-

do Satana administro, Scriptura sacra vnum eundemq; euentum tribuit Deo & Satanæ. Sic primò Samuelis cap. 16. spiritus malus turbans Saulem, dicitur esse à Deo. Et 1. Paralip. cap. 21. dicitur Satan insurrexisse in Israëlem, & Dauidem ad numerandum populum impulisse. At illud idem 2. Sam. cap. 24. Deo tribuitur. Ibi Deus vt iustus iudex, Satan vt instigator sceleris considerandus est.

Per hæc documenta probè concepta, facilè inuenietur ratio excusandi Augustinum, cui aliquando quædam excidunt quæ officiunt teneris auribus, nisi commoda interpretatione leniantur. Quale est illud quod dicit de Semei maledicente Dauidi, libro de Gratia & libero arbitrio cap. 20. *Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere Dauid quis sapiens intelligit? Non enim iubendo dixit vt obedientia laudaretur, sed quod eius voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatum iudicio suo iusto & occulto inclinauit, ideo dictum est, dixit ei Dominus.* Et cap. 22. *Operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit siue ad bona suâ misericordia, siue ad mala pro meritis eorum.* Et contra Iulianum Pelagianum lib. 5. cap. 3. *Multa alia commemorare possemus in quibus liquidò appareat occulto iudicio Dei fieri peruersitatem cordis, vt non audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur, vt sit ipsum peccatam præcedentis etiam pœna peccati.* Immo & ibidem aduersus Iulianum contendit, eos qui desiderijs suis traditi sunt, diuina potentia in peccata esse compulsos. Nec his absimilia docet Thomas, commentario in Epistolam ad Romanos cap. 9.

## *De Voluntate Dei.*

### CAP. IV.

I. VOLVNTAS in homine eſt ὄρεξις νοερὰ appetitus rationalis, quo homo ſponte ſua & cum cognitione ſe mouet ad bonum aſſequendum, ſiue illud ſit verè bonum, ſiue ſpecie tenus & opinione humana. Sed interdum voluntas ſumitur non pro facultate qua volumus, ſed pro actu volendi ſeu volitione. Interdum etiam pro re ipſa quam volumus, eodem modo quo Paulus 1. Theſſal. cap. 4. dicit *Dei voluntatem eſſe ſanctificationem noſtram.*

II. In Deo voluntas non eſt appetitus rationalis; nam in Deum non cadunt appetitus, immo nec ratio. Sed voluntas Dei eſt actus ille volendi quo aut iubet, aut ordinat & decernit.

III. Eſt enim duplex Dei voluntas, altera eſt eius decretum, altera eius mandatum. Decretum Dei pertinet ad Dei prouidentiam, mandatum verò ad eius iuſtitiam. Decreto diſponit & ordinat euentus, mandato regit noſtras actiones. Priori voluntate Deus ſtatuit quid ipſe acturus ſit, poſteriori quid nos velit agere. Priori parent omnes creaturæ, etiam ipſi diaboli, poſteriori fideles, quanquam ne id quidem perfectè.

*Ioh. 6. 39. & 40. Hebr. 10. 36.*

IV. Hi fideles iuſti cenſentur non quia Dei decreto obſequuntur, ſed quia eius legi & mandato morem

gerunt. Sic filius improbus optans mortem patris ægrotantis, peccat in Dei voluntatem, quantumuis eius scelerata mens cum Dei decreto conspiret: vicissim filiusqui pro ægri patris valetudine Deo supplicat, paret Dei voluntati, quantumuis per Dei decretum certa sit mors ægri, & votum filij probi Dei consilio aduersetur. Deus vetuit homicidium: idem tamen decreuit vt Iudæi Christum morte afficerent: quo facto in Deum peccauerunt, vt cunq; impleuerint eius decretum. Act. 2. 23. Ipse Vorstius agnoscit *Deum non voluisse populum suum tam subitò à Pharaone dimitti*; Nempe quia Deus decreuerat cor Pharaonis tam subitò ad obedientiam non inflectere. At quod ad mandatum, non dubium est quin Deus Pharaoni edixerit vt sine mora populum dimitteret: Nam ob id ipsum Deus ei tot plagas inflixit, quia Deo iubenti obsequi cunctabatur. Nec tamen per hoc Vorstius vult Deum reum peragere hypocriseos, aut simulationis dolosæ, vt falsò nobis impingit.

*Amica collationis cũ Piscatore. pag. 34.*

V. Has duas voluntates scriptura aliquando miscet, & promiscuè accipit. Sic cum Iohannis 6. Christus dicit se cœlitus descendisse vt faceret non quidem voluntatem suam, sed voluntatem eius qui eum miserat, certum est vtramq; voluntatem intelligi, quia Christus ijsdem actionibus, & implebat omnem iustitiam, & Dei decretum exequebatur. Ideoq; vtraq; voluntas Consilium Dei appellatur. Es. 46. 10. Luc 7. 30. Act. 20. 27.

VI. Hoc Decretum κυρίως vocatur voluntas Dei, lex vero Dei minus propriè voluntas Dei appellatur.

Lex enim potius est documentum quam voluntas, & potius declaratio qua Deus homini patefacit qua ratione possit Deo placeri, quàm quid absolutè fieri constituerit. De sola enim voluntate Dei propriè dicta verum est id quod dicitur Ps. 115. *Quicquid Deus vult id facit.*

VII. Promissiones Dei & minæ adhuc magis impropriè voluntas Dei appellantur : quippe quibus Deus nihil nec iubet nec absolutè decernit : sed sunt declarationes per quas Deus declarat quid euenturum sit si homo legi paruerit vel non paruerit: si Euangelio crediderit vel non crediderit. An fortasse promissiones & minæ sunt decretum Dei conditionale, & pendens à præstatione conditionis per humanum arbitrium? At neque hoc dici potest : Nam si ita esset, hoc decretũ non esset certum per Dei voluntatem, vtcunq; à Deo euentus certò præuideatur: & eius impletio penderet ab humano arbitrio. Tum nihil fingi potest absurdius, quam statuere Deum aliquid decernere sub conditione quam eo ipso momento quo decernit scit nunquam impletam iri. Cum herus dicit seruo, si feceris hanc mercedem feres, declarat se post conditionem impletam demum voliturum dare mercedem. At Deus nihil vult quod ab æterno non voluerit. Nempè Deus vitam promittit sub conditione obedientiæ : At nihil decernit sub dubiâ conditione. Non eligit Petrum si crediturus est, sed eum eligit ad fidem vt saluetur: Nec tantùm Niniuitas voluit conseruare si conuerterentur, sed & dedit eis pœnitentiam qua conuersi sunt.

VIII. Qui dicunt decretum esse voluntatem Dei





occultam, mandatum verò voluntatem reuelatam mihi videntur loqui parùm considerate. Nam de Dei decretis plurima nobis nota sunt, non modo ea quæ ipso euentu patefacta sunt, sed & multa alia quæ euentura esse Deus in verbo suo nos docuit: vt aduentus Christi, resurrectio, &c.

IX. Thomas & Scholastici, voluntatem Dei distinguunt in voluntatem beneplaciti, & voluntatem signi, id est significatam: Cuius distinctionis membra coincidunt: nam de voluntate beneplaciti multa nobis significata sunt. Nec vox *beneplaciti* quæ Græcè est εὐδοκία, satis hîc est accommodata: εὐδοκία enim seu beneplacitum amorem & beneuolentiam vt plurimum includit: vt Lucæ 2. vers. 14. ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία Vide Ephes. 1. vers. 5. & 9. At Decretum Dei etiam ad iudicia Dei & improborum pœnam extenditur.

X. Improbè faciunt qui has duas voluntates inter se committunt, voluntq; esse contrarias. Sane si Deus hominem impelleret ad ea facienda quæ ipse fieri vetuit, aut si conantem legi obsequi opposito obice ab obedientia reuocaret, vellet Deus pugnātia, & ipse aduersaretur suæ voluntati: At non pugnat decretum Dei cum mandato, quando ab homine exigit quæ vires eius excedunt, nec suppeditat homini vires quibus possit implere quod iubetur: Homo enim ipse sibi causa est impotentiæ: Nec Deus tenetur homini reddere vires quibus ipse se suà culpa exuit. Nec qui est in ære alieno minùs debet, quamuis fortunas dilapidauerit. Nec creditor iniustè facit qui à decoctore reposcit

quod debet, quia non eum considerat vt pauperem sed vt debitorem. Fallitur ergo Arminius, aduersus Perkinsum sic differens: *Qui* (inquit) *vult negare alicui auxilium necessarium ad fidei actum præstandum, ille idem vult vt iste talis non credat.* Sanè qui non dat pecunias pauperi, qui sua culpa incidit in paupertatem, non idcirco vult eum esse pauperem, aut eius paupertate delectatur. Nec meliora quæ subjungit. *Quemadmodum* (inquit) *dici nequit Deum velle vt ille porrò sit, cui conseruationis suæ actum denegat, ita quoque dici nequit velle vt ille actus præstetur ab aliquo, cui concursum suum & auxilium præstando actui necessarium negat.* Hæc & alia eiusmodi perperam inculcat. Adhibet enim simile plane dissimile; nam ad *esse* nemo tenetur, nec potest exigere Deus ab eo qui non est vt sit; At ad obsequendum Deo, homo naturaliter tenetur: Quapropter Deus potest iure exposcere ab homine quod debet; nec tamen idcirco tenetur dare ei vires obsequendi & implendi quod iubet: vires enim semel datas & culpa hominis amissas Deus non tenetur homini restituere. Hic tamen velim vti vocibus quam commodissimis; & malim dicere Deum decreuisse non dare alicui gratiam qua conuertatur & credat: quam dicere eum decreuisse vt homo sit incredulus & impenitens. Vox enim decernendi aptior est ad ea designanda quæ Deus statuit facere, quam ea quibus statuit non mederi.

In Perk. p. 61. & 62.

XI. Porrò sub voce obsequij fidem quoque in Christum comprehendo: quandoquidem & ipsa species est quædam obsequij, ad quod ipsa lege astringimur,

quæ iubet Deum amari toto corde & totis viribus, ac proinde & Deo pareri, eiusque verbo credi, quodcunque tandem fuerit quod iussurus est. Vnde fit vt non possit reijci doctrina Euangelij per incredulitatem, quin peccetur in legem inobedientiâ. Quod si ita est, quamuis fides in Christum lege disertè non iubeatur, nec Adam ante lapsum teneretur credere in Christum, certum est tamen Deum iubentem exhiberi assensum & reuerentiam suo Euangelio, exposcere vt sibi exhibeatur amor ille qui lege præcipitur, & qui naturaliter debetur.

Hæc omnia eo pertinent vt doceamus inter has duas Dei voluntates nullam esse discordiam. Legatur Augustini Enchiridium ad Laurentium cap. 101. vbi docet quomodo de eis fiat voluntas Dei qui non faciunt Dei voluntatem. Et non fieri præter Dei voluntatem, quod etiam fit contra eius voluntatem.

---

## *De voluntate Antecedente & Consequente.*

## CAP. V.



AMASCENVS libro 2. Orthodoxæ fidei cap. 29. duas ponit Dei voluntates, alteram προηγουμένην seu antecedentem: alteram ἑπομένην i. consequentem.

Hanc distinctionem Arminius arripuit, & in ea præcipuum ponit doctrinæ suæ firmamentum

mentum: & quotiescunq; vrgetur à nostris, in hanc latebram vt lacertus in dumeta correpit.

I. • Voluntatem antecedentem dicit esse *qua Deus vult aliquid creaturæ rationali, ante omnem illius actum, seu ante aliquem actum creaturæ illius.* Consequentem vero *qua aliquid vult creaturæ rationali post actum aliquem, siue post multos actus creaturæ,* At cuius distinctionis explicationem hæc affert exempla. Voluntate (inquit) antecedente Deus voluit Saulis regnum stabilire & confirmare in sæculum, voluntate consequente voluit ipsum regno deturbare, & virum illo meliorem ipsius in locum substituere. Voluntate antecedente voluit Christus Iudæos congregare vt gallina pullos: consequente verò voluit illos spargere per omnes nationes. Antecedente voluntate citantur ad nuptias qui consequente declarantur indigni, Matth. 22. Antecedente vir sordidatus inuitatur, consequente eijcitur. Antecedente dantur talenta, consequente aufertur seruo talentum.

*In Perk. 194.*

*1. Sam. 15.*

II. Harum altera vocatur antecedens, altera consequens, non quod hanc illa præcedat: hoc enim sensu hæc distinctio admitti potest: nam inter Dei consilia certus est ordo: Sic prior est ordine voluntas hominem creandi, quàm eundem vestiendi aut alendi. Sed Damasceno & Arminio voluntas Dei dicitur antecedens, quia antecedit actum humanę voluntatis: voluntatem verò Dei vocant consequentem, quæ posterior est humana voluntate & ab ea dependet. Hoc Arminius clare docet definitionibus supra positis.

III. Inter has voluntates ponit hoc discrimen quod

antecedenti Dei voluntati resisti potest, consequenti non potest. Illa sæpe Deum vult frustrari, & proposito fine excidere; At voluntatem consequentem frustrari non posse, quippe quę necessariò impletur. Cēset enim Deum non semper assequi quod intendi, & fine particulari quem sibi proponit aliquando frustrari. Et Deum paratum esse ad faciendum quod ab æterno scit se non facturum, vnde fit vt frustra se parauerit: & voluntate consequente, quæ æterna est & certa ac immutabilis, decreuerit obdurare reprobos, quos voluntate antecedente paratus est mollire & conuertere. Et sic paratus sit facere, quod decreuit non facere.

IV. Inter has duas voluntates (si fides Arminio) intercedit voluntas humana, quę efficit vt Deus rescindat volūtatem antecedentem longè optimam, & à proposito fine depulsus, aliô se conuertat quàm ad id quod primitus intēderat: vsque adeo vt Vorstius disputationis de Deo p. 65. dicat, *Deum postmodum quædam nolle facere, quæ antea facturum se receperat, immo iurauerat.*

V. Hæc doctrina, si quæ alia in Deum est contumeliosa, eúmq; accusat insipientiæ, & humanis affectibus induit, eiq; affingit imbecillia vota, & desiderium inefficax: ac si Deum sic inducerent loquentem: Serio quidem cupio vos seruare, sed obstatis ne fiat quod cupio: vellem si velletis: itaq; cum per vos frustrer mea intentione, mutabo consilium meum de vobis seruandis, & aliorsum flexa voluntate, constitui vos perdere in æternum. Certè planum est, voluntatem illam antecedentem, non esse voluntatem: sed desiderium & votum, quod Deus precariò tantùm obtinet, & quan-

tùm licet per humanum arbitrium. Quocirca sæpe Arminius vocat voluntatem illam, desiderium & affe-ctum naturalem, & frequens est sectarijs accipere loca Psal. 81. vers. 14. & Es. 48. 18. vbi Deus inducitur loquens quasi optans & desiderans & voto suo frustratus, quasi propriè dicta, cum hæc ἀνθρωποπαθῶς & humano more dicantur.

*Arm. in perk. p. 196.*

*Affectus quo Deus desiderat omnium hominum & singulorum salutem, est in Deo simplex naturalis, et extra cōditionem.*

VI. Porrò quàm graue sit fraudari desiderio suo & affectu naturali, & quàm parum Deo hoc conueniat, nemo non videt, nisi qui vult vltro decipi: Cum enim Deus sit summè bonus, immo ipsa bonitas, oportet vt affectus & desideria eius naturalia si quæ sunt, sint summæ sanctitatis, iustitiæ ac perfectionis, ac proinde nihil sit tam optādum, quàm vt affectus ille naturalis impleatur, & optatum finem Deus consequatur. Est ergo, quod doleamus vicem Dei, qui fine longè optimo exciderit, & qui potuisset fieri voti compos, si ei per hominem licuisset. En quò recidat nouatorum acumen, & quàm honorificè de Deo sentiant. Huc pertinent impiæ Vorstij locutiones, qui asserit, *Deo aliquid verè inexpectatum euenire, & quod ei triste est & perquàm acerbum, & quod ei (licet impropriè loquendo) dolorem maximum attulerit, & quod non ab eius antecedente voluntate, sed à consequente, tandem omnibus frustra tentatis, profluxerit.* Quæ sane oratio Deum infra hominem abijcit. Nam etiam inter homines, si quid tale acciderit conatusq; alicuius, frustra omnibus tentatis, fuerit elusus; argumentum est aut imprudentiæ, aut imbecillitatis, aut infelicitatis. Est ergo quod Dei sortem lamētemur qui vsus successu improspero, rem tam malè gesserit.

*Collationis amica cū Piscatore. sect. 27.*

VII. Tum illud abſurdum immo impium, aſſerere Deum, cui ab æterno omnia non tantum ſunt præuiſa, ſed & prouiſa, aliquid intendere quod ab æterno cognouit non futurum, & ſibi propoſuiſſe finem ad quem ſciebat ſe non peruenturum; vt ſi quis collineet in ſcopũ qui nec eſt nec vnquam erit. Nam ſi ab æterno Deus ſcit hunc hominem damnatũ iri, ab æterno inutiliter optat vt ſeruetur: & ſcit ab æterno ſe deſiderij ſui naturalis, voluntatíſque antecedentis non fore compotem.

VIII. Quid quod inducitur pugna inter duas Dei voluntates, quarum poſterior priorem corrigat? Nam per hanc antecedentem voluntatem Deus cupit agere, quæ ab æterno certus eſt non agere. Et fingitur Deus aliquid faciens ægrè & inuitus contra finem quem primitus intenderat. Nempe quia interceſſit voluntas humana, per quam factum eſt vt Deus abſiſteret fine illo ſibi propoſito, eoque longè meliori, vt quaſi per δεύτερον πλοῦν aliquod ſecundarium bonum aſſequeretur. Id ſanè Arminius non diſſimulat, cuius hæc ſunt verba: *Deus vult ſeriò omnes homines ſaluentur, at* COMPVLSVS *pertinaci & incorrigibili malitia nonnullorum, vult illos iacturam facere ſalutis*: At Deus nihil facit inuitus, nec ab homine compelli poteſt ad mutationem ſuæ voluntatis.

*In Perkinſum pa. 195.*

IX. Quod ſi affectus eiuſmodi debiles, & deſideria inefficacia Deo tribuuntur, quibus fruſtretur per interceſſionem humanæ voluntatis, non dubium eſt quin creauerit hominem fluctuans inter voluntatem antecedentem & conſequentem: vt pote non ſine do-

lore præuidens hominis lapsum, & gnarus se creare creaturam, quæ certò esset peritura. Veruntamen noluerit absistere ab eius creatione, quia decretum de homine creando non poterat rescindi, ita vt ipse se arctauerit angustijs quibus se non potuerit expedire.

X. Id quoq; non ferendum, quod Dei voluntas antecedens pendet incerta, donec conditio sub qua Deus aliquid vult antecedenter, vel impleatur vel infringatur. Nam etsi affectus Dei generalis erga omnes homines non statuatur pendere ab humana voluntate, incertus tamen est, juxta Arminium, eius effectus, donec Deus consequenti voluntate hunc & illum seruare decreuerit: At hanc voluntatem consequentem seruandi hominem Arminius ab humano arbitrio suspendit, & facit posteriorem fide & recto vsu gratiæ. Quocirca Vorstius homo ingenio acer, sed infelicis audaciæ, ausus est scribere, voluntatem Dei aliquo modo esse mutabilem, & in parte aliqua decreti diuini fieri aliquam mutationem.

*Vorstius Amica Collatione cũ Piscatore. Sect. 79. & 217.*

XI. Cum autem omnia Dei consilia sint æterna & immutabilia: nec possit dici Deus aliquid velle de nouo quod ab æterno non voluerit, voluntatem tamen Dei consequentem quisquis accuratè perpenderit, comperiet eam non modo ordine, sed tempore esse posteriorem voluntate antecedente: Nam vt simul Deus velit omnes homines seruare, & aliquos damnare impossibile est. Ac planè necesse est, desinat voluntas antecedens, quasi expuncta & inducta à consequente, antequam locus esse possit voluntati consequenti.

XII. Cum autem Apostolus Rom. 9. asserat, *non pos-*

*se resisti Dei voluntati*, per hanc distinctionem statuitur quędam Dei voluntas cui resisti potest, & cuius executio ab homine potest impediri.

XIII. Hic verò si alibi vspiam, perspicere est, quàm parum sibi constent Arminiani. Nam nono capite ad Romanos pertendunt agi de voluntate antecedente, per quam Deus miseretur qualium (sic enim loquuntur) id est credentium, non verò de voluntate consequente, qua statuit præcisè & absolutè huius aut illius misereri. At ijdem sui immemores dicunt huic voluntati antecedenti posse resisti: cum tamen ibidem Paulus dicat, *Voluntati eius quis potest resistere?* Nempè agit de voluntate cui resisti non potest: agit autem hoc capite (si fides Arminio) de voluntate antecedente, ergo voluntati antecedenti resisti non potest. Aut igitur neget Arminius volūtatem antecedentem esse voluntatem, sed potius vocet eam votum, desiderium aut affectum. Aut si pertendit esse voluntatem, fateatur ei resisti non posse.

Quam in rem præclarè Augustinus Enchiridij cap. 95. *Deus noster in cælo sursum, & in cælo & in terra omnia quæ voluit fecit. Quod vtique non est verum, si aliqua voluit & non fecit. Et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens voluntas hominis inpediuit.*

XIV. Fatetur quidem Arminius Deo non deesse vires, quibus posset implere voluntatem illam antecedentem, qua seriò vult omnes homines seruari: *sed* (inquit) *non verum est quod quis* OPTAT *serioq; vult, idem effectum daturum quibuscunq; potest modis, sed iis modis*

In Per. pag. 195.

*quibus decet vt id effectum det. Pater optat & vult seriò vt Filius suus ipsi obediat, at non violenter trahit illum ad obediendum*: Et paulo post, *Similitudo à mercatore merces saluas cupiente, & tamen in mare proijciente, optimè quadrat proposito. Deus vult seriò, vt omnes homines saluentur, at compulsus pertinaci & incorrigibili malitia nonnullorum, vult illos iacturam facere salutis.* Nempè etsi Deus seriò velit & intendat salutem omnium & singularium hominum, non vult tamen omnipotentiam suam hic exerere, ne vim faciat libero arbitrio. Respondeo, his similibus nihil effici: sunt enim planè dissimilia. Vtitur Arminius exemplis hominum qui non possunt fieri compotes voti, nisi per media non conuenientia; & qui frequenter intentione sua frustrantur. At Deo nunquam desunt media iusta & conuenientia, per quæ assequatur id quod intendit. Neque potest intentione sua frustrari. At, inquis, si in conuertendo homine exerceret suam omnipotentiam, vim inferret libero arbitrio hominis, & cogeret eius voluntatem. Id verò pernego; Potest enim sine coactione sic flectere voluntatem, vt vltrò sequatur. Sine coactione subitò immutauit animum Esau Genes. 33. Et Saulis 1. Samuelis 19. com. 23. Et Ægyptiorum Psalmo. 105. commate 25. Et regum, Prou. 21. 1. Hanc immutationem voluntatis illibata libertate humani arbitrij si Deus facit in improbis, quantò magis in probis & fidelibus? Absque coactione Deus immutauit cor latronis in cruce, & omnium quibus adimit cor lapideum & dat cor carneum, Ezech. 36. 26. & eorum quos, cum essent in peccatis mortui, suscitat resurrectione spiritua-

li Ephes. 2. vers. 5. Videbimus suo loco Arminium censere intellectum à Deo irresistibiliter luce imbui, & Deum omnibus quibus Euangelium prædicatur, dare irresistibiliter vires crendendi Euangelio, eorumq; affectus trahere: At vbi mens firmam persuasionem penitus imbibit & affectus voluntatem extimulant, impossibile est quin volũtas eorsum se moueat quò dictat mens à Deo instructa, & quò appetitus impellit, hæc enim sunt sola incitamenta voluntatis, nec vllo alio mouetur impulsu. Sed & Arminij schola censet electos trahi à Deo gratia efficaci, cuius effectus sit certissimus, quia Deus eos trahit tempore & modo congruo quo scit eos infallibiliter secuturos vocantem: Nec tamen per hæc Arminiani volunt vim inferri voluntati humanæ, sed morali & suaui suasione tam vehementer, affici, vt spontè sequatur. Eximium præ cæteris mihi videtur exemplum latronis: cuius cor tam subitò immutatum, tempore tam aduerso, quo ipsorum Apostolorum vacillabat fides, insigne est documentum quanta sit efficacia Spiritus sancti erga eos qui ex proposito vocati sunt Rom. 8. 28. Sed de hac vocationis efficacia fusius agetur suo loco.

XV. Nempè hinc apparet, quàm præpostera sedulitate Arminius ad defensionem liberi arbitrij acumen suum conuerterit. Via enim certissima ei patebat qua Deus potentiam suam exereret in conuersione hominis, sine imminutione nostræ libertatis. Nec debuerat dum patrocinatur libero arbitrio in Dei sapientiam & perfectionem impingere, quem vult frustrari suo fine, & desiderio naturali: & optare quæ scit se non consecu-

consecuturum, & finem sibi proponere qui nunquam futurus est.

XVI. Interea lector prudens facilè agnoscet quo pertineat simile illud de mercatore jacturam faciente & suis manibus merces proijciente in mare. Nam non solùm Arminius dissertè dicit, Deum COMPELLI ad aliquid faciendum quod non intenderat ( neque enim mercator hoc facere intendebat, sed hoc facit ἄκων ἑκών & medius inter volentem & nolentem) Sed etiam per hęc innuit Deum depulsum meliori fine quod sibi proposuerat, ad sequiorem & minus optabilem sese conuertisse. Quæ sanè seu à prudentibus ad Dei contumeliam, seu ab imprudentibus per inscitiam dicuntur, horrorem tamen pijs animis incutiunt.

XVII. Illud verò in hac distinctione voluntatis Dei in antecedentem & consequentem, quarum illa antecedat hæc consequatur voluntatem humanam, longè est pessimum, quod per eam statuitur voluntatem humanam præcedere electionem diuinam. Nam iuxta Arminium Deus voluntate antecedente vult omnes homines seruare, & dare eis vires credendi in Christum, voluntate verò consequente eligit aut reprobat singulos prout eorum vel fidem vel infidelitatem præsciuit: Capitalis profectò doctrina per quam ab humana voluntate electio hominis suspenditur : & fides nostra causa fit electionis nostræ, non fructus: Et homo eligit Deum , Deoq; se applicat antequam à Deo eligatur: vnde fit vt hinc quidem quasi follibus infletur humana superbia, inde verò quasi cuniculis subruatur fides, & labefactetur fiducia. Nam quæ potest esse certitudo

ſalutis ſi electio noſtra à re tam inſtabili dependeat? Sed de his plenius ſuo loco. Nunc excutienda ſunt exempla quibus Arminius geminam iſtam Dei voluntatem fulcire conatur.

XVIII. Voluntate (inquit) antecedente Deus voluit in perpetuũ ſtabilire ſolium Saulis in perpetuum, conſequente verò voluit euertere, vt habetur Samuelis primo libro cap. 13. v. 13. At ibi nihil tale habetur: Samuel non dicit Deum voluiſſe ſtabilire Saulis regnum. Sed *Deus ſtabiliuiſſet regnum tuum in perpetuum*: quę quidem toto cœlo diſtant. Si Deus ſtabiliuiſſet, voluiſſet ſtabilire, at quia non ſtabiliuit, certum eſt noluiſſe.

XIX. Nihilo plus momenti eſt in altero exemplo. Chriſtus (inquit) voluntate antecedente voluit congregare Iudæos, vt gallina pullos, conſequente voluit ſpargere per nationes: Matth. 23. v. 37. Sed locus hic aliud planè ſonat. Chriſtus alloquitur Ieroſolyma, aitq; ſe voluiſſe congregare eius filios, ipſa autem Ieroſolyma toto conatu obſtitiſſe. Nempe aliud ſunt Ieroſolyma, aliud eius filij, qui hic diſertè ab ipſa vrbe diſtinguuntur. Per Ieroſolyma intellige Sacerdotes, Leuitas, Scribas, denique Principes populi, hi enim maximè Chriſto aduerſabantur: per filios Ieroſolymorum intellige populum. Chriſtus dicit ſe voluiſſe hos filios colligere, nec dubium eſt quin collegerit multos, quanquam inuitis primoribus. Nihil ergo facit hic locus ad voluntatem antecedentem quam hi volunt non impletam, cum re vera impleta ſit, quantum Deo viſum eſt. Tum illud *Quoties volui* malè intelligunt de

voluntate antecedente quæ est decretum Dei, cum *velle* hic nihil aliud sit quàm inuitare & iubere. Sic sensit Augustinus Enchiridij cap. 97. *An potius* (inquit) *&* *illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed eâ quoq; nolente filios eius collegit ipse quos voluit.*

XX. Cætera exempla indigna sunt quibus immoremur. Antecedente, inquit, voluntate vocantur ad nuptias, qui consequente declarantur indigni. Antecedente ὁ ἐν ῥυπαροῖς inuitatur, consequente eijcitur. Antecedente offertur Euangelium Iudæis, consequente auffertur. In his omnibus velle illud Dei quo homines vocantur, nihil est aliud quàm iubere & inuitare, non vero antecedente voluntate decernere quod postea consequente voluntate resciderit.

XXI. Neque verò inquirendum scrupulosè cur Deus vocauerit quos sciebat non secuturos. Finis Dei est euidens, nempè petere ab eis quod debebant. Scrutari vltra intentionem Dei est Deum facere ὑπεύθυνον, & in eius arcana irrumpere.

XXII. Non est prætermittendum, Arminium velle Deum ex æquo cupere omnes homines seruare volũtate antecedente; at eundem cum ad effectũ & executionem istius volũtatis accingitur, ea facere quæ pugnant cum hac volũtate. Nam longè pessimis vt Capernaitis annuntiat Euangeliũ: minus malis eandem gratiam negat, vt Tyrijs & Sydonijs: & multos populos feros, & barbara feritate stupentes, patitur mersos esse tenebris. At cur? quia (inquit) eorũ proaui respuerũt Euangeliũ. Ridiculè. An qui æqualiter cupit salutem omnium, impediretur tam leui impedimento, & quod pugnat cum

eius iustitia, vt postea docebitur? Sic cum Arminius doceat Deum velle voluntate antecedente omnes & singulos homines seruare, experimento tamen constat Deum negasse per multa sæcula, & ad huc negare, plurimis gentibus media sine quibus non possunt seruari, & ea tantum suppeditare media, quibus solis nemo vnquam bene vsus est.

XXIII. At (inquit) Deus cum per naturam sit optimus, non potest non bene velle antecedente & primaria sua voluntate omnibus hominibus; quippe quos ad imaginem suam creauit. Hæc quidem meritò & conuenienter cum Dei natura ab eis dicerētur, si nasceremur absq; peccato originali; At cum imago Dei sit propemodum obliterata, & eius in locum imago Satanæ successerit, nulla ratio cogit nos credere, Deum velle omnes & singulos seruare: Sed Sacra scriptura docet quosdam seruari ex mera Dei gratia, & per electionem secundùm propositum: reliquis in perditione naturali relictis, & damnationi destinatis ob peccata quæ spontè sunt commissuri.

XXIV. Hæc omnia non eô pertinent vt reijciamus hanc distinctionem voluntatis Dei in Antecedentem & consequentem: Scimus enim inter decreta Dei quędam esse priora ordine, quædam posteriora. Sed nec negamus posse dari duo decreta Dei inter quæ voluntas humana intercedat, quemadmodum inter decretum de creando homine & decretum de certis hominibus damnandis peccatum hominis intercedit. Sed negamus voluntatem humanam sic intercedere inter duo decreta Dei, vt prius seu antecedens decretum à volun-

tate hominis reſcindatur, & Deus fine ſibi propoſito & quem ſeriò intendebat, abſiſtere compellatur: Negamus quoque in negotio electionis voluntatem Dei præciſam de ſeruandis certis quibuſdam hominibus, inniti præuiſioni virtutis alicuius aut actionis humani arbitrij, aut Dei voluntatem conſequentem ab humana voluntate ſuſpendi. Qua de re pertractatè agetur ſuo loco.

---

## DE PECCATO ADAMI.

### CAP. VI.

I. DEVS creans hominem illuſtrauit eius mentem luce ſupernaturali, & ornauit eius voluntatem iuſtitia & ſanctitate: Ita tamen vt eſſet mutabilis; Alioqui enim Deus creauiſſet Deum, non hominem. Nam mutari non poſſe, eſt Deo peculiaris prærogatiua, qua ab omnibus rebus creatis diſtinguitur.

II. Arminius, cui ſemper via trita diſplicuit, Articulorũ perpendendorũ p. 18. cenſet *inclinationem ad peccandum ante lapſum in homine fuiſſe, licet non ita vehementem & inordinatam, vt nunc eſt.* Hoc ſi verum eſt, oportet Deus indiderit homini iſtam inclinationem ad peccandum: quę cum ſit res mala, Deus erit author mali: & hominem ad peccandum inclinauerit: quod ſine ſcelere dici non poteſt.

III. Leuiſſimum eſt quod Adam peccauit gulâ: Sed illud longè grauiſſimum quòd ſerpenti maluit credere quàm Deo, & quod ſtimulatus ambitione, voluit eſſe ſimilis Deo, cognitione boni & mali. Et quod dum ſerpenti obtemperat, calumnijs in Deum jactis fidem adhibuit. Denique quod rem tantillam antehabuit Dei mandato: Itaq; quô eſus pomi res eſt leuior, eô pecatum fuit grauius.

IV. Incepit hæc labes ab intellectu, cui Satan offudit nebulam falſæ opinionis, & objecit imaginem falſi boni. Ad cuius ſuaſionem cum homo ſe facilem præbuiſſet, obtenebrationem mentis ſecuta eſt auerſio voluntatis, & appetituum inclinatio ad peccatum.

V. Hic lapſus accidit Deo non quidem impellente, ſed tamen permittente. Omnipotentiæ eius non deerant vires quibus hunc lapſum poſſet impedire, nec bonitatem eius auertit inuidia. Permiſit ergo quia voluit permittere, & quia bonum erat vt permitteret. Summè bonus non permiſiſſet malum, niſi bonũ fuiſſet vt malum in mundum ingrederetur: enimuero iſta permiſſione viam ſibi fecit ad illuſtrationem ſuæ gloriæ, & homini ipſi viam aperuit ad ſtatum longè præſtantiorem. Nam abſq; peccato non fuiſſet nota Dei miſericordia qua ignoſcit, nec iuſtitia qua punit. Nec miſſione Chriſti in mundum ad abolenda noſtra peccata, & nos euehendos ad cœleſtem gloriam, amorem ſuum infinitum erga Eccleſiam ſuam patefeciſſet. Nec verò hæc eò pertinent, vt cenſeam Deum egere ſcelere hominum ad illuſtrationem ſuę gloriæ: ſed dico Deum creauiſſe hominem vt ad majorem perfectionem per-

ueniret quam ea erat in qua creatus est. Non poterat autem ad istam perfectionem peruenire, sine cognitione iustitiæ & misericordiæ quę ex hoc lapsu & ex remedio quod lapsui isti parauerat elucescit. Quam in rem concinna sunt Augustini verba libro de correptione & gratia cap. 10. *Qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura esse præsciuit, sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bona facere, quàm mala esse non sinere.* Similia dicit Enchiridij cap. 96.

VI. Causam permissionis istius non aliam afferunt Arminiani quàm quia Deus noluit vim inferre libero hominis arbitrio, nec cogere eius voluntatem, nec putauit sibi conuenire vti sua omnipotentia in re quæ est humani arbitrij: At illi nimis negligenter rem tantam attingunt: nec satis ponderant momenta rerum, & circunstantias lapsus Adami. Deus enim poterat sine imminutione humanæ libertatis cohibere Satanam, & impedire ne hominem tentaret. Poterat præmonere hominem ne serpenti crederet. Poterat non proponere homini arborem, cuius esu sciebat hominem peccaturum. Poterat dare homini plus virium & plus lucis. Poterat dare extraordinarium auxilium in ipso tentationis puncto. Nec tamen his fuisset vis illata hominis voluntati, aut eius violata libertas. Exemplo sint Angeli, quos obfirmat in bono, sine vlla coactione. Ex his sanè liquet lapsum hominis accidisse Deo non quidem impulsore, sed tamen dispensante, & sua prouidentia euentum quem ab æterno præsciuerat vertente ad finem quem apud se ab æterno constituerat.

VII. Neque verò dicendum eſt Deum ſubtraxiſſe homini gratiam, hoc enim eſſet impellere; veluti cum ſubductis columnis domus neceſſariò corruit: nec libertatem voluntatis ei abſtuliſſe, ſic enim attuliſſet neceſſitatem peccandi: ſed noluit impedire ne à Satana tentaretur, nec voluit eum juuare extraordinario auxilio. Et cum homo liberè peccauerit, accidit tamen quòd Deus ab æterno futurũ eſſe præſciuerat, & quod euenturum eſſe ipſæ creaturę ante hominis creationem teſtabantur. Iam enim ante quam Adam peccaſſet, Deus indiderat plantis vires ſalutares ad depellendos morbos, jam veſtiuerat oues velleribus & jumenta formauerat ad vſum humanum, quæ ſanè ſunt leuamenta humanæ infirmitatis, & quæ fruſtra creata fuiſſent, ſi homo in integritate perſtitiſſet.

VIII. An verò ingerere cibum & egerere, recreari ſomno poſt laborem, συνουσιάζειν, creſcere ſtatura, habere carnem vulnerabilem, & combuſtibilem (quibus omnibus homo ante lapſum erat obnoxius) ſint eiuſmodi quæ poſſint perpetuò conuenire creaturæ perfectè beatæ, an verò tacitè teſtarentur quæ futura eſſet hominis conditio, prudentibus iudicandum relinquo.

IX. Non eſt autem dubium quin Adam abſque auxilio extraordinario habuerit vires ad reſiſtendum Satanæ: Neq; enim credibile eſt Deum legem dediſſe homini primitus condito, ad quam præſtandam vires non dederit. Reſpectu tamen præſcientiæ diuinę certus erat hominis lapſus. Nam illibata & integra libertate voluntatis humanæ, poteſt actus voluntatis

certus

certus esse coram Deo, atq; definitus. Sic non dubium est quin tortores habuerint vires & facultatem frangendi crura Christi, cum tamen respectu præscientiæ & prouidentiæ diuinæ impossibile esset vt frangerentur. Potest humana voluntas certò & spontaneo motu ad vnum aliquid se determinare, & tamen facere quod Dei vel scientia certò præsciuit, vel prouidentia certò præordinauit.

X. Hæc sunt tenenda ne in Deum hominis culpa transferatur. Nam quantumcunq; ex lapsu Adami Deus eliciat bonum, nunquam tamen facit mala vt eueniant bona. Nec putandum est Deum voluisse hominem ad peccandum impellere quantumcunq; inde eius gloria elucescat. Non debet promoueri Dei gloria dispendio iustitiæ. Sed miro & ineffabili modo sic Deus disponit euentus rerum & temperat, vt ineuitabiliter accidant quæ ipse damnat & improbat: & diuina prouidentia teneat cursum inter iniustitiam & negligentiam. Quapropter inuertit naturam rerum qui dicit Deum decreuisse vt Adam peccaret quia constituerat Christum mittere qui Adami peccato mederetur, cum potius Deus decreuerit Christum mittere quia Adam erat peccaturus. Homo non peccauit vt Christus aboleret peccatum, sed Christus venit vt peccatum aboleret.

Hîc sane nihil est quod debeat officere teneris auribus, aut quod Deum faciat culpæ participem. Quæ tamen si quis aut non capit aut non concoquit, præstat accusare suum stuporem, quam incusare Dei iustitiam, & abstinere licitis quàm attentare illicita.

*Totum genus humanum infectum esse peccato originali.*

## CAP. VII.

I. PECCATVM aliud est originale aliud actuale; vtor enim consuetis vocibus, ad euidentiam sermonis. Nam si quis strictè vellet agere, abstineret his vocibus: cum certum sit peccatum originale esse actu, ac proinde esse actuale. Sed vsus obtinuit vt peccatum actuale vocetur quod actione seu opere committitur, originale vero quod habemus ab ortu, labesq; hereditaria à parentibus in nos transmissa.

II. De Peccato originali agit Paulus cap. 5. ad Romanos, & capite 7. Et quinto quidem capite quatenus in totum genus humanum peruasit, capite vero septimo quatenus in eo etiam manet cuius menti lex diuina penitus inscripta est.

III. Ab hac labe neminem esse immunem clamat scriptura, & testatur experientia. *Quicquid genitum est ex carne caro est*, ait Christus Iohannis tertio. Atq; ibidem perspicuè docet omnes homines inquinatos esse peccato originali, dum dicit necesse esse renasci, & de integro reformari. *Sumus natura filij iræ* Ephes. 2. vers. 3. *Quis proferet purum ex immundo? Ne vnus quidem* Iobi 14. Hac se contagione infectum Dauid agnoscit Ps. 51. *En* (inquit) *in iniquitate formatus sum, & in pec-*

*cato concepit me mater mea.* Non incuſat patrem, nec cum matre expoſtulat, ſed ſe quamtumuis inſignibus prærogatiuis ornatum, & beneficijs cumulatum, fatetur vniuerſali contagione inquinatum eſſe: peccatiq; ſui cauſam ab ipſa origine repetit, & in communi ſorte ſuam lamentatur. Id ſignificabat circumciſio: hoc enim ſymbolo externo Eccleſia monebatur eſſe in homine primulùm nato quod debeat amputari & corrigi. Idem finis Baptiſmi, qui eſt ſacramentum mundationis noſtræ in Chriſti ſanguine, per quem naturales noſtræ ſordes eluuntur.

IV. Infecta hoc peccato originali naſcitur non modo ſoboles Ethnicorum aut infidelium, aut malorum Chriſtianorum, ſed etiam proles piorum & fidelium. Non ſecus ac circunciſus generabat præputiatum, & quemadmodum granum tritici probe mundatum, & terræ gremio exceptum, poſtea herbeſcens, producit triticum cum palea. Iam erat iuſtificatus Adam, iam promiſſioni de ſemine obtrituro caput ſerpentis fide adhæſerat, quando genuit Cainum, hæredem prauitatis naturalis, at non fidei nec pœnitentiæ. Pietas non eſt hereditaria. Nec ſanctitas nobis euenit naturà ſed gratià. Non facit pios & ſanctos generatio ſed regeneratio. Eodem planè modo quo formas artificiales, vt formam ſtatuæ, non propagari, ſed ſolas naturales docet Ariſtoteles initio ſecundi libri Phyſicorum. Ergo in optimi cuiuſq; liberis, ſimul ac incipiunt proloqui, videas ingenium ſubdolum & mendax, & pronum in vltionem, & aduerſus monitores contumaciam, & gloriolæ ſtimulos, & ludibundam vanitatem: tum ho-

nor impensior quo prosequuntur suas pupas & sigilla sunt semina non obscura procliuitatis ad idololatriam. Nam vt pupæ sunt idola infantium, sic idola sunt pupæ adultorum. Quocirca si cui contigerunt liberi prauis moribus, debet suam ἐμφέρειαν in ijs agnoscere; si probi, debet in eis Dei opus admirari. Hi enim sunt de quibus Iohannes cap. 1. *Qui non ex sanguine, neq; ex libidine carnis, neq; ex libidine viri sed ex Deo sunt geniti.*

V. In hanc rem disertus est Canon secundus Concilij Mileuitani. *Placuit vt quicunq; paruulos recentes ab vteris matrum baptisandos negat, aut dicit quidem in remissionem peccatorum baptisari, sed nihil ex Adamo trahere originalis peccati quod regenerationis lauacro expietur, vnde fit consequens vt forma baptismi in eis non vera sed falsa intelligatur, anathema sit.*

VI. Vnus Christus ab hac labe immunis, peccatum originale à matre non traxit. Paulus quidem Rom. 5. vers. 10. dicit omnes homines in Adamo peccauisse, nec dubium quin Christus fuerit in Adamo, quippe vnus de Adami posteris. Non tamen axioma illud Apostoli Christum attingit, quia Christi persona non fuit in Adamo, sed tantum eius humana natura. Nec est ab Adamo vt à principio agente, & à vi seminante, sed inde traxit materiam quæ illapsu Spiritus sancti à communi contagione vindicata est.

VII. Iam si quæras an peccatum originale expungatur Baptismo: tum an regeneratis Spiritu sancto labes ista naturalis ad huc inhæreat, promptum est respondere ex scriptura & experientia, quæ hic tam certa est vt dubitationi nullus locus relinquatur. Dauid

erat circuncisus, & donis Spiritus sancti liberaliter instructus, se tamen fatetur non immunem ab hac labe, sed pari cum cæteris contagione inquinatum. Et Paulus Rom. 7. agens sub sua persona de omni homine cuius menti lex Dei fideliter impressa est, agnoscit in se peccatum habitare, quod vocat *legem peccati* quia ad peccandum instigat. Videmus infantes modo baptisatos mori: mors autem, teste Apostolo Rom. 6. *stipendium est peccati.* Quæro ob quod peccatum infantes isti baptisati moriantur. An ob actuale? at nihil dum peccati commiserunt: Ergo ob originale; Vnde apparet manere adhuc peccatum originale post baptismum: quo quidem remittitur pecatum quod ad reatum, etsi manet actu, vt docret Augustinus prolixe in Iulianum, & libro 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 25. & 26. *Dimittitur* (inquit) *concupiscentia carnis in Baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur.*

VIII. Cum autem regenerati subinde peccent, vnde hæc peccata nisi à corruptione interna? Illa enim sublatâ tollerentur quoq; effectus qui ab hac sola causa promanant.

IX. Quid quod optimi quique generant filios hac labe contactos, eoq; egentes Baptismo? At si parentes creantes liberos carent peccato originali, quo modo possunt hanc labem ad suam sobolem transmittere, & dare liberis quod non habent?

X. Ergo (inquies) matrimonium malum est, vtpote per quod generantur filij iræ, & peccatum propagatur, quod potius debuerat stirpitus euelli, & in ipso se-

mine suffocari. Respondeo matrimonium antiquius esse peccato, & à Deo esse institutum; Peccatum vero quod superuenit, non impedire quin matrimonium sit res naturaliter bona. Non secus ac cibus & potus sunt res bonæ & expetendæ quamuis inde vita impiorum sustentetur. Adde quod matrimonium creat Deo filios, & implendo numero electorum subseruit. Mitto quod coniugati fideles iungunt preces, instigant se inuicem ad bona opera, medentur alter alterius incontinentiæ, & lubricis in locis sibi inuicem manum porrigunt. Nec desunt exempla improborum quibus Dei beneficio contigerunt filij probi & pij: veluti cum seminibus furto ablatis, & à fure in terram sparsis, Deus pluuiam tempestiuam immittit.

---

*Quid sit Peccatum originale & an verè ac propriè sic peccatum.*

## CAP. VIII.

I. PECCATVM originale est deprauatio naturæ humanæ ab ipsa generatione contracta, & ab Adamo in totum genus humanum deriuata; constans priuatione iustitiæ originalis, & procliuitate ad malum.

II. Duo hæc, nempe priuatio iustitiæ originalis, & procliuitas ad malum insunt in peccato originali. Nam vt morbus non est tantum priuatio sanitatis, sed etiam

eſt mala affectio corporis, ex humorum intemperie, ita hæc labes hæreditaria, non tantum eſt carentia iuſtitiæ, ſed etiam procliuitas ad iniuſtitiam.

III. Horum poſterius naſcitur ex priori. Anima enim quæ per peccatum originale deſijt eſſe bona, neceſſariò mala eſt. Et cum anima ſit inſtructa voluntate quæ otioſa eſſe non poteſt, amiſsâ ſanctitate & iuſtitia, neceſſe eſt vt in contrariam partem vergat.

¶ V. Hæc corruptio affert menti cæcitatem, voluntati prauitatem, appetitibus perturbationem, denique amiſſionem donorum ſupernaturalium, & corruptionem naturalium.

V. Etſi autem in Adamo mens prius fuit errore imbuta quam voluntas prauitate infecta, longè tamen tetrior eſt voluntatis corruptio, & fœdior labes; quia non per intellectum ſed per voluntatem ſumus boni aut mali, quicquid enim mali committitur peccatum eſt voluntatis. Commiſſione ſceleris grauius peccatur quàm ignoratione veritatis.

VI. Reatus ſeu obligatio ad pœnam non poteſt eſſe de definitione peccati originalis, cum ſit eius effectum.

VII. Lombardus & Thomas cæterique ſcholaſtici qui peccatum originale dicunt eſſe concupiſcentiam, naturam concupiſcentiæ non ſatis aſſequuntur. Nam peccatum originale omnes animæ rationalis facultates infecit, ac concupiſcentia morbus eſt voluntatis & appetitus. Tum concupiſcentia vni legis præcepto repugnat, ac peccatum originale toti legi: nec per illud magis in ſecundam legis tabulam quam in primam peccatur. Quid quod concupiſcentia lege pro-

*Lõbard. lib. 2. Diſt. 30. E. Thomas 1. 2. quæſt. 82. art. 3*

hibetur: peccatum verô originale lege vetari haud ſcio an dici poſſit. Neque enim Deus iubet nos generari puros & ſine peccato. Sic enim Deus alloqueretur hominem nondum natum. Sanè homo non tenetur obſequi legi antequam ſit homo. Cumque lex non alloquatur niſi eos qui poſſunt audire & ſunt rationis compotes, velle vt lex iubeat adultum naſci ſine peccato, res eſt ridicula & propior ſomnio: ſic enim lex iuberet denaſci iam natum, & adultum generari. Lex non iubet iuſtitiam originalem ſed præſupponit, alloquitur enim hominem vt conſideratum in ſtatu in quo erat ante lapſum, expoſcens vetus illud debitum, & naturalem obedientiam. Vnde liquet peccatum originale lege quidem damnari, non tamen prohiberi.

VIII. De hoc peccato, cum ſcriptura tam diſertè loquatur, & ſenſus ipſe ac experientia id abundè teſtetur, non defuerunt tamen qui hoc peccatum negarent, & genus humanum à ſtirpe & prima origine eſſe peccato infectum non agnoſcerent. Cyrillus Ieroſolymitanus, ſeu quis alius author eſt Catecheſeon quæ ſub eius nomine circunferuntur Catecheſi quarta hæc habet, οὐ κατὰ γένεσιν ἁμαρτάνεις οὐ κατὰ τύχην πορνεύεις, & paulo poſt ἐλθόντες ἀναμάρτητοι νῦν ἐκ προαιρέσεως ἁμαρτάνομεν.

*Non per generationem peccas, non per fortunā ſcortaris. Venim° ſine peccato, nūc per electionem peccamus.*

IX. Auguſtini æuo Pelagius & Celeſtius negabant peccatum originale, & ſolo exemplo ac imitatione peccatum à patribus tranſire in prolem contendebant. Baptiſmo negabant remitti peccata paruulis, quippe quæ nulla ſint, ſed tantum eis aperiri regnum cœlorum aſſerebant. Quorum hæreſis pridem exploſa eſt

&ab

& ab Augustino strenuè confutata.

X. Hieronymus vel quisquis est author commentariorum breuiorum in Epistolas Pauli quæ sunt inserta operibus Hieronymi, Pelagio fauet: Nam verba illa Apostoli ad Romanos cap. 5. *in quo omnes peccauerunt*, ad exemplum restringit, & accipit vt dicta de imitatione peccati Adami.

XI. Chrysostomus pluſculis in locis videtur *ῥέπειν* in hunc errorem. Homilia in Neophytos negat Baptismum conferri ad solam remissionem peccatorum. *Nam* (inquit) *etiam infantulos baptisamus quamuis non sint inquinati peccato, vt eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, &c.* Et Homilia 10. in Epistolam ad Romanos, explicans illud Pauli Rom. 5. *Per vnius inobedientiam multos peccatores extitisse*, *per peccatores* vult intelligi *pœnæ obnoxios & mortales*, non vero maculatos labe peccati.

XII. Lombardus lib. 2. dist. 30. littera E, ait fuisse qui dicerent peccatum originale in nobis non esse culpam, sed tantum reatum pœnæ, etiam æternæ, quæ nobis propter Adami peccatum debetur, nisi per Christum liberemur. Ab hac sententia non multum abscedunt Arminiani, quibus nihil pensi est quos imitentur, dum aliquid inueniant quod faciat ad præsidium erroris sui. Arnoldus post Arminium docet *peccatum originis nullam culpæ propriè dictæ rationem habere, non enim esse peccatum nec culpam nisi quod libero arbitrio committitur.* *pag. 388. in Tilenum.* Ibidem negat *peccatum orginis pœnam mereri, sed ait pœnam esse.* Et fatetur Arminum negare peccatum originale esse peccatum propriè dictum: Ipse Arminius *pag. 389. & 390.*

Repſ. ad 9. queſtiones p. 174. hæc habet *Peruersè dicitur peccatum originis reum mortis facere.*

XIII. Concidit ergo ratiocinatio Pauli Apoſtoli Rom. 5. commate 13. & 14. vbi agens de peccato quod ab Adamo in poſteros fluxit, cum dixiſſet *peccatum fuiſſe in mundo vſq; ad legem*, mox id probat morte paruulorum qui ante Moſis ſæculum ſunt mortui: *regnauit* (inquit) *mors ab Adam vſque ad Moſem, in eos quoq; qui non peccauerunt ad ſimilitudinem tranſgreßionis Adam*, id eſt in infantes qui actualiter non peccauerunt. Nempe inde probat peccatum fuiſſe in iſtis infantibus quia mors eſt fructus & pœna peccati. Cum ergo mors infantium ſit pœna peccati originalis, ſi hoc peccatum originale non eſt verè peccatum, ſed tantum pœna peccati, hæc mors infantium erit pœna pœnæ, non pœna peccati. Dicere autem Deum punire pœnas non peccata, dedecet eos imprimis qui ſe aſſertores diuinæ iuſtitiæ profitentur.

XIV. Quod ſi labes originalis infantium non eſt peccatum, ſed tantum pœna peccati, fruſtra baptiſantur. Non enim confertur baptiſmus ad eluendas pœnas ſed peccata. Fruſtra abluuntur qui ſunt ſine ſordibus peccati. Cur autem opus eſt renaſcantur niſi quia ſunt in peccato mortui? Vnde illa prauitas per quam naturaliter ſunt propenſi ad malum niſi ex vitio? hoc autem vitium quid eſt niſi peccatum?

XV. At (inquis) peccatum non eſt niſi ſit voluntarium. Fateor, ſi de peccatis actualibus agitur. At ſi de labe naturali, non neceſſe eſt hanc labem naturalem eſſe ſingulorum voluntate contractam: Satis eſt ſi pu-

gnat cum lege. Nam hæc optima eſt definitio peccati quam ponit Iohannes, peccatum eſſe ἀνομίαν. Quin autem pugnet cum lege quod hominem inſtigat ad rebellandum legi dubitari non poteſt. Nam etſi peccatum originale nondum actu inſtigauit infantem ad peccandum, aptum eſt tamen & procliue ad inſtigandum. Non ſecus ac coluber qui nondum quenquam venenato morſu infecit, habet tamen inſitum virus & propenſionem naturalem ad nocendum. Poteſt etiam dici peccatum originale eſſe voluntarium, quia per illud peccamus voluntariè: tum quia in Adamo peccauimus, ac proinde in eo voluimus hanc corruptionem. Denique potiùs credendum eſt Paulo docenti peccatum ineſſe infantibus, quam his hominibus qui ſuis ſe compungunt aculeis, & ipſi ſeſe implicant.

XVI. Enimuero cum Arminiani doceant, morte Chriſti totum genus humanum eſſe reconciliatum Deo, & omnibus hominibus impetratam eſſe remiſſionem peccatorum, quæro ob quod peccatum paruuli afficiantur pœnis, & incidant in cruciatus corporis, & dæmonum inſultus aliquando patiantur? An ob peccatum Adami? at hoc iam eis eſſe remiſſum Arminiani aſſerunt. An ob peccatum aliquod actuale? at nullum adhuc commiſerunt. Reſtat ergo afficiantur pœnis ob peccatum originale: niſi volumus Deo inurere notam iniuſtitiæ, quippe qui cruciet inſontes, & nullius peccati reos.

*Vide Arauſic Concil. ſecundum cap. 2.*

*Quomodo peccatum Adami pertineat ad poſteros, & quot modis ad eius ſobolem tranſeat. Et primò quidem de imputatione, & an auorum & proauorum peccata poſteris imputentur.*

## CAP. IX.

I. DVOBVS modis peccatum Adami ad poſteros tranſit, imputatione & propagatione.

II. Peccatum Adami nobis imputari arguunt pœnæ quas hoc nomine omnes homines patiuntur. Id Apoſtolus docet Rom. 5. v. 12. vbi dicit, *mortem tranſiiſſe in omnes homines per vnum hominem, in quo omnes peccauerunt*, vel *quia omnes in eo peccauerunt*. Non enim peccatum Adami tantùm fuit perſonale, nec peccauit vt ſingularis perſona, ſed vt referens totum genus humanum in ſtirpe & origine: non ſecus ac Chriſtus in cruce pro nobis ſatisfaciens, non paſſus eſt vt priuata perſona, ſed vt ſuſtinens & repræſentans totam Eccleſiam in capite. Paulus 2. Corinth. 5. v. 15. ſic loquitur, *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, omnes quoque ſunt mortui*: & Rom. 6. aſſerit nos cum Chriſto eſſe mortuos & crucifixos. Si ergo in Chriſto moriente moriebamur, & cum eo crucifigebamur, non dubium quin pariter dici poſſit nos in Adamo peccauiſſe. Nam ſi ſecundi Adami ſatisfactio & iuſtitia nobis imputatur, cur prioris

ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.

Adami peccatum nobis non imputabitur? cum ob id ipsum iustitia Christi nobis imputetur, ne peccatum Adami nobis imputetur?

III. Ratio ipsa conspirat: Nam cum Adam bona accepisset non sibi tantùm, sed etiam posteris, non mirum si exutus his bonis ea sibi & posteris amiserit. Si quis ob crimen perduellionis capite minuatur, & ad ærarios redigatur, cum eo liberi quoque nobilitate excidunt. Nec quicquam æquius est quam vt filij æs alienum à patre contractum dissoluant, & vt fortunarum ita & debitorum sint hæredes.

IV. Vnum hic tamen est idque insigne discrimen, quod cùm æs alienum hæreditatem exhaurit, & plus est in debitis quam in bonis, filius potest eiurare hæreditatem, & vltrò cedere bonis paternis: at hic eiusmodi cessio fieri non potest: quia ad reatum ex peccato Adami accedit insuper labes & contagio naturalis: veluti cum quis creatus est parentibus lepra infectis, quæ contagio non potest ad libitum exui.

V. Hæc quantumlibet nixa Dei verbo, & ipsà iustitiæ regula, videntur tamen magnis incommodis vrgeri. Primò, occurrit illud Ezechielis 18. v. 20. *Anima quæ peccauerit morietur: filius non feret iniquitatem patris.* Cui consona est lex Dei Deuter. 24. quæ vetat filios plecti ob peccata parentum. Cur ergo morimur ob peccatum alienum? Cur peccatum Adami nobis imputatur? An est credibile eum qui nobis condonat nostra peccata, velle cuiquam imputare aliena? Quid quod pœna grauior est peccato? Cum enim potentià tantum peccauerimus in Adamo, punimur tamen

actu: Illud vero durissimum videtur, quod Adam qui actu peccauit seruatus est, at ob idem peccatum multi damnantur, qui potentià tantum in Adamo peccauerunt.

Respondeo, locum Ezechielis sic debere accipi: filium insontem non luiturum pœnas peccati paterni: Sic cum in lege Deus dicit se visitare iniquitatem patrum in filios, loquitur de filijs qui vestigijs paternis insistunt, & sunt eiusdem culpæ participes. At filij Adami non possunt dici insontes; vtpote qui non solũ peccauerunt in Adamo vt in stirpe & radice generis humani, sed & ipsi nascuntur eadem labe contacti, & proni ad idem peccatum. Dico secundò, locum Ezechelis nihil facere ad rem presentem: loquitur enim de peccatis patrum quorum peccata sunt personalia, & qui peccando non sustinent personas filiorum. Fallitur enim Arminius, causam assignans cur reprobentur infideles qui Euangelium non repudiauerunt. Nempè quia in *parentibus, auis, abauis, tritauis Euangelij gratiam repudiauerunt, quo actu meruerunt vt à Deo desererentur. Velim enim solidam mihi afferri causam, cur cum omnes in Adamo contra legem peccauerint posteri eius, atque eo ipso pœnam meriti sint & desertionem, etiam infantes in parentibus quibus gratia Euãgelica est oblata, at repudiata, non peccauerint contra Euangelij gratiam. Perpetua enim est fœderis Dei ratio quod filij in parentibus comprehendantur.*

in Perk. pag. 92.

VI. Discat ergo Arminij schola causas istius discriminis, & cur peccatum Adami posteris imputetur, aliorum vero patrum peccata liberis non imputentur. Dico igitur causas discriminis esse. 1. Quia peccato Ada-

miamiſimus puritatem originalem, peccatis verô auorum aut proauorum eam non amiſimus. 2. Quia Adam acceperat dona quæ & ſibi haberet, & ad poſteros trāſmitteret, quibus cum excidit, meritò factum eſt vt eius poſteri iiſdem donis priuarentur. At auus meus & proauus nulla acceperant à Deo dona ſupernaturalia quæ hæreditario iure ad poſteros tranſmitterent. 3. Tum aui & proaui mei peccata erant perſonalia, nec in peccando poſterorū ſuorum perſonas ſuſtinebant: quod de Adamo dici non poteſt. Sanè non puto dici poſſe Ezechiam aut Ioſiam regis Dauidis poſteros, Vriam in Dauide occidiſſe. 4. Dicam aliquid amplius; Nempe cum Adam dum vixit plurima peccata commiſerit, puto tamen ſolum primum illud peccatum Adami poſteris eius imputari, quia hoc ſolo peccato violauit fœdus quod cum eo vt cum authore generis humani contractum fuerat. 5. Quod ſi quis hodie priuatur luce Euangelij quia aliquis ex eius maioribus ante annos mille repudiauit Euangelium, vt cenſet Arminius, nulla eſt cauſa cur non viciſſim aliquis vocetur efficaciter ad ſalutem quia aliquis ex eius maioribus Euangelio credidit. Nam cur infidelitas proaui imputabitur pronepoti, fides verò eius non imputabitur? Fidem vero vnius alteri imputari ne Arminius quidem cenſet cum dicat Habakuk 2. *iuſtum viuere ex fide ſua*, non verò ex aliena. Nec quia Adam credidit promiſſioni de ſemine obtrituro caput ſerpētis, idcirco hæc eius fides cuiquam poſterorum imputata eſt. Id quidem videtur innuere Arnoldus: ſed vt credam cæteros ſectarios idem credere adduci non

*Vide Thomā 1. 2. q. 81. art. 2*

*In Tilenum. pag. 232*

possum. 6. Credere vero quenquam reprobari quia Euangelium repudiauit in suis tritauis & proauis, planè aduersum est sententiæ Pauli 2. Cor. 5. v. 10. vbi ait *vnumquemque reportaturum quæ in corpore suo fecerit, siue bonum, siue malum*: Non ergo secundùm ea quæ in alieno corpore fecerit. 7. Mitto absurda in quæ Arminius hoc pacto se præcipitat. Potest enim fieri vt proauus alicuius paternus crediderit Euangelio, maternus vero repudiauerit Euangelium. Potest fieri vt auorum, abauorum, tritauorũ, & sic porrò, pars crediderit, pars non crediderit. Quæro quorũ nam in Dei consilio potius habebitur ratio? Horum ne fides, an vero illorum infidelitas posteris imputabitur? Tum quotiescunque alicui genti aut vrbi offertur Euangelium, nihil est tam consentaneum, quam de illo populo quosdam esse prognatos maioribus infidelibus, quosdam vero fidelibus: omnibus tamen sine discrimine Euangelium offertur. Quinetiam accidet, vt aliquis ortus maioribus fidelibus repudiet Euangelium, aliquis vicissim ortus maioribus infidelibus conuertatur. 8. Quod si quis potest esse infidelis aliena infidelitate, & dicendus est Euangelium repudiasse in maioribus, quia aliquis progenitorum eius ante annos mille respuit Euangelium, vix erit quisquam piorum qui hoc modo non repudiauerit Euangelium. 9. Quid quod experimento compertum est, pessimorum maiorum pessimam & profligatissimæ improbitatis prosapiam, ad fidem esse conuersam, & (vt ait Apostolus Rom. 5. 20.) *vbi abundauit peccatum ibi abundasse gratiam*? Quid erant veteres Romani nisi latrones populantes & vastantes

orbem, &

orbem, & flagellum in manu Dei? Quid erat Corinthus nisi lupanar totius Græciæ, & fœdissimarum libidinum emporium? Nihilo secius tamen in istis vrbibus erexit Deus per prædicationem Euãgelij florentissimas Ecclesias, & in illa fæce erant plurimi qui ad electionem Dei pertinebant. 10. Quod si aliquando posteri luunt maiorum peccata, id Arminius non debuit extendere ad tam multa sæcula, cum visitationem iniquitatis patrum super filijs lex non extendat vltra tertiam & quartam generationem. Idque quia vix quisquam potest tamdiu esse superstes vt sobolem suã videat vltra tertiam aut quartam generationem. Nam ideo puniuntur filij inspectantibus patribus, vt patribus inde accrescat dolor, & per ærumnas filiorum patres puniantur. Quæ mihi causa est suspicandi visitationem hanc peccati patrum in filios, de temporalibus pœnis, non vero de æternis debere accipi.

VII. Ad id vero quod dicebatur grauiorem pœnam esse peccato, quia qui peccauerunt tantum potentiâ in Adamo, ob eius peccatum puniuntur actu, facile est respondere: Sic enim peccauimus potentia in Adamo, vt etiam peccatum nobis insit actu, nec tantùm luimus alienum peccatum sed & nostrum. Nec mirum est si Adamo Deus ignouit, multis verô ex eius posteris non ignoscit, nam Adam credidit & tactus est pœnitentia, at hi respuunt gratiam Dei oblatam, & perstant in impœnitentia.

*De Propagatione peccati Adami in posteros, vbi & de traductione animæ: & ipsius peccati.*

CAP. X.



IXIMVS peccatum Adami duobus modis ad posteros transmitti, imputatione & propagatione. De imputatione actum: dicendum porrò de Propagatione.

I. Peccatum Adami infecisse hæreditaria labe totum genus humanum, & luem hanc latè serpsisse iam abundè probatum est ijs locis quibus omnem hominem concipi & nasci in peccato demonstrauimus. *Sicut per vnum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors: ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccauerunt.* Rom. 5.

II. Quod si quis modum & circunstantias peccati Adami accuratè contempletur, comperiet in singulis hominibus altè impressum esse characterẽ istius primi peccati, & non obscuram imaginem. Nam insita est singulis hominibus πολυπραγμοσύνη, & cupiditas cognoscendi ea quæ ad se nihil attinent: nec non hæsitatio diffidens verbo Dei; Ac quemadmodum Adam reiecit culpam in vxorem, vxor verò in serpentem, ita insitum est omni homini alterius culpam suæ obtendere. Tum fuga & trepidatio ad Dei occursum, &

mendacium ac ſimulatio, & ſenſus nuditatis indecentis inſunt omnibus hominibus à natura, & ab illo fonte deriuata ſunt in poſteros. Ad hæc non docti, ſed facti, non inſtituti ſed imbuti ſumus. Ad hæc non modo non opus eſt magiſtro, ſed etiam inuito omni magiſterio ac diſciplina ruptis obicibus ad iſta reditur, victrice natura.

III. Quemadmodum igitur oua aſpidis merito franguntur, & ſerpentes modo nati merito necantur, quamuis neminem adhuc infecerint morſu, ita infantes iurè ſunt pœnis obnoxij, Nam etſi nondum actu peccauerint, ineſt tamen illis lues illa tabifica, & ad peccandum naturalis propenſio.

IV. Hinc vero emergit quæſtio enodatu difficilis, qua ratione peccatum à parentibus ad poſteros traducatur, & quomodo animæ hanc labem contrahant. Cum enim bona ſint quæcunque Deus facit, non eſt credibile nec conſentaneum Deum indidiſſe animabus peccatum originale. Nam quomodo puniret animas quas ipſe corrupiſſet? Quod ſi creauit quidem puram animam & iuſtam, ſed quæ incluſa corpori, eius contagione inquinata ſit, alia ſubnaſcũtur incommoda non leuiora. Nam animam puram & innocentem includere olido carceri, & quaſi in ergaſtulum compingere vt ibi corrumpatur, non videtur conuenire iuſtitiæ Dei & bonitati.

V. Accedit, quod peccatum labes eſt animæ non corporis, eſt enim peccatum res ſpiritualis & vitium voluntatis. Non poteſt ergo corpus dare animæ quod

non habet. Et cum corpus non peccet nisi quatenus anima vtitur corpore vt organo ad peccandum. Rom. 6. verſ. 13. apparet peccatum ab anima tranſire in corpus, non vero a corpore in animam. Quam ad rem ipſum Adamæ peccatum nobis eſt luculentum teſtimonium: Prius enim Adam peccauit voluntate, quam manum ad vetitum pomum extenderet: Hoc vidit Caluinus, qui cap. 1. libri ſecundi Inſtitutionis hæc habet. *Neque enim in ſubſtantia carnis aut animæ cauſam habet contagio: Sed quia a Deo ita fuit ordinatum, vt quæ primo homini dona contulerat, ille tam ſibi quam ſuis haberet ſimul ac perderet.*

VI. Hic quidem via obſcura eſt & lubrica, & in qua ſuſpenſo gradu incedendum eſt. Non mihi propoſitum eſt ſatisfacere cerebroſis, aut improbé acutis: tantùm exponam quæ mihi videntur verbo Dei & rationi magis conſentanea: Quam ad rem vt via complanetur, quędam de origine animę eiuſque traductione dicenda ſunt.

VII. Origenes ſecutus Platonem, cenſuit omnes animas primitus ſimul cum Angelis creatas, poſtea in corpora detruſas eſſe. Hæc diſputat lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 7. Tertullianus vult animam traduci cum ſemine, & animam filij eſſe ab anima patris. Quod non mirandum eſt in eo qui animam corpus eſſe pertendit. lib. de anima cap. 5. In eadem ſententia fuiſſe maximam partem Occidentalium teſtatur Hieronymus Epiſtola ad Marcellinam & Anapſychiam. Auguſtinus ſcripſit quatuor libros de origine animæ, in quibus hanc quęſtionem indeciſam relinquit, nec au-

det temerè quicquam definire. Eumque in hac dubitatione fuisse vsque ad mortem testatur liber secundus Retractationum cap. 56. Epistola tamen 157. Tertullianum exagitat, & in contrariam sententiam est pronior.

VIII. Nos vero statuimus animam rationalem infundi in embryonem, non quidem θύραθεν ἐπιιέναι, vt vult Aristoteles lib. 2. de Generatione Animalium cap. 3. Sed putamus à Deo in ipso fœtu & humani corporis rudimento formari, ducti authoritate scripturæ, cui consonat ratio, & animæ ipsus natura.

IX. Moses Numerorum cap. 27. v. 16. Deum sic affatur, *Iehoua Deus spirituum omnis carnis sibi dispiciat virum quem cœtui præficiat.* Et Apostolus ad Hebręos cap. 12. com. 9. *Si* (inquit) *corporum nostrorum patres habuimus castigatores, & eos reueriti sumus, annon multò magis subijciemur patri spirituum & viuemus?* Non temerè est quod Deus peculiari elogio nuncupatur pater spirituum, vt opponatur patribus carnis. Nā si anima esset ex traduce, ijdem qui sunt patres carnis essent quoque patres spirituum. Nec Deus hoc titulo à patribus carnis distingueretur, si perinde vtrobique ageret, nec aliter animas formaret quam corpora.

X. Quocirca Ecclesiastes cap. 12. dicit *Corpus quidem solui in puluerem, spiritum vero redire ad Deum qui illum dedit*: quod sanè parum appositè diceretur, si Deus non aliter daret spiritum quam corpus. Profectò ista voce *reditionis* animę ad Deum Solomo innuit animā a Deo esse profectam, & eò redire vnde habet originem: quod sanè de corpore dici non potest.

XI. Eidem sententię fidem astruit conceptio Christi in matris vtero: Cum enim secundū carnem non habuerit patrem, planum est eius animam a Deo immediatè creatam. quod si vt sis de stirpe Adami necesse est habere animam traductam per paternum semen, Christus non poterit filius Adami nec Dauidis appellari.

XII. Putidum est quod pro traductione animę affertur ex initio Exodi, *Septuaginta animas egressas ex femore Iacob*: notum enim est Hebræorum idiomate per animas personas intelligi.

XIII. Sed & verbo Dei ratio ipsa suffragatur. 1. Anima enim quæ est aliquid supra naturam, non potest lege communi cum cæteris rebus naturalibus generari. 2. Nec quod est immateriale potest educi de potentià materiæ. 3. Ac omnino si anima non generaretur nisi per corpus, non posset existere extra corpus, nec per se sola subsistere. 4. Tum qui volunt animam traduci per semen sese cogunt in angustias quibus impossibile est se expediant. Nam cur anima matris non traducetur quoque in filium? Aut si anima filij ab anima tam matris quam patris traducitur, necesse erit vt duę animæ in vnam coalescant & misceantur. 5. Quid autem fiet tot seminibus irritis, quæ vel per ἐξονείρογμοι cadunt, vel inhonestè amittuntur, vel matrice recepta non perueniunt vsq; ad conceptum? an totidem animæ humanę intercident, aut in vtero suffocabuntur? an solę permanebunt extra materiam, cum certum sit eas ad numerum hominum non pertinere? 6. Tum necesse est, vel totam animam patris

traduci, & ſic pater fiet examinis: vel portionem animæ, & ſic anima erit diuiſibilis. 6. Nec vero poteſt anima tota tranſmitti, veluti cum lumen accenditur de lumine: nam talis propagatio fit tranſmutatione admotæ materiæ; & ſic materia admota animæ generantis in animam verteretur. 7. Quod ſi vera eſt definitio animæ ab Ariſtotele poſita lib. 2. de anima c. 1. & paſſim recepta, qua definit animam eſſe *Primũ actum corporis naturalis organici vitam habentis in potentia*, non video quomodo anima rationalis poſſit informare ſemen in quo nulla ſunt organa.

XIV. Nec vero homo idcirco dicendus eſt non generare hominem, etſi animam eius non generet, nec educatur anima de potentia ſeminis. Satis enim eſt ad generationem hominis quod generans etſi non dat totam ſubſtantiam, dat tamen ſubſiſtentiam perſonæ, & non tantum ſuppeditat materiam fœtus, ſed inſuper ſuggerit diſpoſitiones & aptitudines ad recipiendam formam per quam homo exiſtit. Nam cum, teſte ſcriptura, virgo Maria ſit mater Chriſti, quantumuis Spiritus ſancti vis extraordinaria conceptionem Chriſti perfecerit, quis dubitet affirmare hominem vulgò creare hominem, quando modis ordinariis & legibus naturæ omnia geruntur?

His ſpinis euulſis via ad cognoſcendum modum traductionis peccati, à parentibus in liberos facta eſt planior.

XV. Principio peccatum non tranſire à corpore in animam, certis rationibus puto à me eſſe demonſtratum. Viciſſim vero, Deum indidiſſe animæ propen-

ſionem ad peccandum, nefas eſt credere. Veruntamen peccatum originale ineſſe animæ Deo nolente, aut ſuſque deq; habente, & otioſa permiſſione permittente, ſine ſcelere dici aut credi non poteſt. Nam cum peccatum originale ſit pœna peccati Adami, qui dicit infligi hanc pœnam homini, ſola Dei permiſſione, non vero voluntate, Deum iudicis munere abdicat. Iudices enim non puniunt permittendo ſed decernendo.

XVI. Explicationi huius doctrinæ, ſex hæc axiomata, & veritatis firmamenta ſubſternimus.

1. Etiam ſi ab Adamo non eſſemus prognati, tamen quia bona ſupernaturalia ſuo & noſtro nomine acceperat, quando iſtis bonis ſuæ culpa excidit, meritò iiſdem priuamur. Veluti cum de multis fratribus, vnus acceptam ſuo & fratrum nomine pecuniam ſuo & fratrum damno decoquit & dilapidat.

2. Deus indidit animæ has facultates, intellectum voluntatem, ſenſum, & appetitum, quæ naturaliter feruntur ad obuià & cognita, non vero ad ignota & longè ſummota.

3. Homo non poteſt cognoſcere & amare ſupernaturalia & diuina, ſine luce diuina & ſupernaturali.

4. Nequidem obuiis & naturalibus homo poteſt iuſtè & conuenienter vti & ad Dei gloriam, niſi ei aliquid lucis ſupernaturalis affulgeat.

5. Deus vnicuique homini ad conſeruationem ſui ipſius indidit amorem ſui, qui quidem naturaliter bonus eſt: incipit vero eſſe moraliter bonus, quando amori Dei ſubſeruit.

6. Mores

VI. Mores animi vt plurimum ſequuntur temperamentum corporis.

XVII. His poſitis dico Deum creare animas hominum bonas, ſed deſtitutas donis cœleſtibus & luce ſupernaturali, idq; meritò, quia dona quæ Adam ſibi & poſteris acceperat ſibi & poſteris amiſit. Non dare autem lucem ſupernaturalem menti, non eſt indere peccatum voluntati, etſi cæcitatem mentis auerſio voluntatis poſtea conſequatur. Nam voluntas deſtituta hac luce & cognitione bonorum ſupernaturalium non poteſt ſe mouere ad ignota, ſed tantùm ad præſentia & nota, qualia ſunt voluptates corporis, opes &c. Quæ quidem cum naturaliter bona ſint, auertunt tamen voluntatem à ſtudio rerum ſupernaturalium. Tum amor noſtri qui naturaliter bonus eſt & neceſſarius incipit eſſe moraliter malus, quia locum qui debebatur amori Dei inuadit. Hinc propenſio illa ad malum, quæ exiſtit ex inordinato amore ſui ipſius, quem lux ſupernaturalis non dirigit. Quam lucem Deus non dans animæ, non idcirco ei indit peccatum. Non ſecus ac ſi quis Solis lucem interpoſita caligine viatori ſubtrahit, non impellit viatorem in errorem, nec auertit à recta via: ſed tantùm adimit id ſine quo recta via dignoſci non poteſt.

XVIII. Hanc labem auget temperamentum corporis: Nam experimento compertum eſt, ſanguineos eſſe hilares & libidinoſos, bilioſos eſſe temerarios & iracundos: melancholicos ſuſpicaces & tenaces propoſiti, altè recondentes odia. Bilis atra aut flaua ſunt quaſi ſcintillæ & fomites ſubiecti appetitui per quos

flammas concipit & inardeſcit. Ac prout eſt temperamentum corporis, alius ridet inter flagella, alius flet ſub colapho. Sunt ergo humores corporis non quidem cauſæ ſed irritamenta peccati: nec cogunt voluntatem ſed alliciunt: Nec imprimunt animæ peccatum, ſed animam peccatricem exſtimulant, & cum multæ pateant viæ ad peccandum, eam horſum potius quam illorſum inclinant.

---

## *An peccato Adami amiſſæ ſunt vires credendi Euangelio.*

## CAP. XI.

I. QVÆRITVR an peccato Adami amiſerimus vires credendi Euangelio. Arminius mirus fingendi artifex id negat. Nam vt euincat Deum teneri dare omni homini vires credendi in Chriſtum, & fidem adipiſcendi, pertendit Adamum ante lapſum non habuiſſe vires credendi in Chriſtum, nec ei opus fuiſſe: ac proinde nos non potuiſſe amittere in Adamo quod ipſe Adam non habuit. Idem dicit fidem non præcipi lege, ideoq; Adamum non fuiſſe obligatum ad fidem, quia lex ei ſola data erat. Addit, neminem poſſe credere niſi qui peccator eſt. Quod ſi Adam non accepit vires quibus ſi laberetur poſſet reſurgere, nec accepit vires credendi Euangelio, per quod reſurgimus ex lapſu.

*Vide Arnoldi in Tilenū cap. 14.*

II. Hæc cum eo pertineant vt ſibi Arminius viam

ſternat ad impium dogma quo aſſerit Deum teneri dare omnibus hominibus vires credendi, & Deum paratum eſſe dare fidem omnibus dũmodo velint, quæſtio hæc non eſt parui momenti, nec tractanda perfunctoriè.

III. Nos ergo contra Arminium pertendimus, genus humanum Adami peccato vnà cum originali puritate & iuſtitia, vires quoq; credendi in Chriſtum amiſiſſe: Adami enim lapſu amiſimus poteſtatem amandi Deum, eiq; obſequendi. Fides autem amorem Dei includit, & ſpecies eſt quædam obedientiæ.

VI. Adam quidem ante lapſum non tenebatur credere in Chriſtum quia non ei fuit annuntiatus, nec tunc erat opus; at tenebatur credere omni verbo Dei quodcunque illud tandem futurum eſſet: Hæc obligatio ad poſteros tranſijt: Non tranſiuiſſet autem niſi Adam pari obligationi aſtrictus fuiſſet. Sic Iſraëlitæ tempore Dauidis non tenebantur credere Ieremiæ prædicenti inſtantem captiuitatem Babylonicam, quia Ieremias nondum erat, nec ipſis erat opus hoc ſcire: Nihilominus tamen Iudæi cõtemnendo prophetiam Ieremiæ, violarunt legem qua idem populus Dauidis tempore attinebatur. Ineptus eſſet qui diceret aliquem qui ex vidente factus eſt cæcus, non amiſiſſe poteſtatem videndi domum quæ quadriennio poſt ædificata eſt. Aut eum qui ſua culpa oculis captus eſt non amiſiſſe facultatem videndi collyria quæ ei poſt aliquot menſes medicus afferet. Habuit ſanè Adam ante lapſum poteſtatem credendi Chriſto, eodem modo quo iam tunc habebat poteſtatem ſuccurrendi ægris & miſeris,

quamuis ante lapsum non esset miseria, nec esse posset. Erat Adam in potestate remota ad credendum Euangelio, quemadmodum sanus est in potestate remota ad adhibenda morbi aut futuri aut possibilis remedia. Quod autem non credidit in Christum, non id factum est quia id vires ei à Deo datas excederet, sed quia non erat opus. Denique cum Adam sua incredulitate amiserit potestatem credendi verbo Dei, necesse est amiserit quoq; potestatem credendi verbo per quod Deus huic malo remedium erat allaturus.

V. Frustra ergo Arminius censet ineptum esse si dicatur Adam potestatem habuisse credendi cum non opus erat, quæ ei tunc demum ablata sit cum cœpit ea opus habere. Nam nec Adamo potestas credendi defuit, nec ei ablata est, sed eam ipse vltro amisit, dum amittit vires obsequendi Deo. Et eandem Deus ex mera sua gratia restituit quibus vult, non quidem si velimus, sed ipse efficit vt velimus.

VI. Ridiculum vero est quod Arnoldus cap. 14. dicit Adamum ante lapsum non accepisse vires quibus posset resurgere si laberetur. Non enim dantur vires ante lapsum quibus resurgatur post lapsum, cum ipso lapsu vires amittantur: sed post lapsum reparantur. Nec dubium est quin Adam ante lapsum habuerit vires quibus potuisset resurgere, nisi lapsu eas amisisset. Perinde ergo loquitur Arnoldus ac si dicerem, eum cui Deus dedit oculos sanos & perspicaces, non accepisset vires per quas ijsdem oculis videret postquam cæcus factus est.

VII. Deniq; quotquot sunt Adami posteri tenentur implere legem: hoc debitum naturale est. Lex autem iubet amare Deum, & ei obtemperare, ac proinde & credere loquenti. Quandocunq; ergo Christus annuntiatur, non potest Euangelij doctrina respui quin contemptu Euangelij lex quoq; violetur. Is vero cui Christus nunquam annuntiatus est non damnabitur quod Christum respuerit; sed iudicabitur per legem: quæ quidem eum astrinxisset ad credendum Christo, si Christus ei annuntiatus fuisset.

VIII. Ac planè allucinatur Arnoldus quando asserit aliam esse potentiam qua Deo creditur, aliam qua Christo, quia (inquit) verbum legis & verbum Euangelij toto genere differunt & sunt opposita. Hoc sanè parum considerate homini acuto excidit. An quia album & nigrum sunt opposita, idcirco alterius est potentiæ videre album alterius nigrum? nonne eiusdem est facultatis cognoscere contraria? Quanquam non video quomodo lex & Euangelium possint dici contraria, cum lex sit pædagogus ad Christum, & Euangelium suggerat media quibus legi satisfiat. Sanè inter creditorem & inter vadem nulla est discordia. Christus non venit vt aboleret legem sed vt impleret. Matth. 5.17. Rom. 3.30.

IX. Ex his facile est colligere quid respondendum sit ad quæstionem qua quæritur an lex iubeat credere Christo. Hoc enim perinde est ac siquis quæreret an lex Mosis iubeat credi Esayæ Prophetæ. Planum est id lege disertè non iuberi: neque enim ante Esayam natum quisquam ei credere tenebatur. Implicitè tamen

& per consequentiam dico id lege precipi, quippe quę iubet Deo morem geri. Deo autem parendum est, siue immediatè siue per internuntios nobis loquatur. Idem arbitror dici posse de Christo.

X. Eorum enim ad quæ lege Dei astringimur duo sunt genera: Quædam debentur absolutè ab omnibus & omni tempore: immo & ab eis quibus lex moralis per Mosem tradita non innotuit: qualia sunt amare Deum & proximum: Horum enim officiorum cognitione Adam erat imbutus ante lapsum, & hæc præstare actu tenebatur. Sed quædam sunt ad quæ obseruanda tunc demum lege Dei astringimur, quando actu iubentur, & eorum cognoscendorum nobis à Deo facta est copia. Sic Israëlitæ in Ægypto non tenebantur obsequi mandato de manna non colligenda die sabbati, aut de respiciendo serpente æneo, aut de traijciendo Iordane, quibus tamen si quis non paruisset quando Deus ea præcepit, sine dubio merito violatæ legis pœnas dedisset.

XI. Perperam vero dicit Arnoldus non hic agi de ista generali potentia credendi omni Dei verbo; De ea enim planè hic agitur, quandoquidem potentià illa generali potestas quoq; credendi in Christum comprehenditur. Non secus ac potestas videndi comprehendit etiam potestatem videndi remedia cæcitatis, quantumuis remedia illa non præsto sint, nec eis opus sit ante cæcitatem.

XII. Hæc omnia eo pertinent vt appareat corruptione naturali quæ ab Adamo in nos deriuata est amissas esse vires credendi & amplectendi remedia quæ

Deus offert Euangelio: Ac proinde Arminium errare cum dicit Deum teneri dare omnibus hominibus vires ad credendum Christo, aut paratum esse dare fidem omnibus. Deus enim non tenetur restituere homini quod homo sua culpa amisit: nec agit iniustè cum postulat ab homine quod naturaliter debet.

XIII. Ipse Arminius hac in re parum sibi constat & à se posita conuellit. Dicit enim multas gentes per multa sæcula priuatas fuisse luce Euangelij, sine qua tamen non est fides, idq; in pœnam incredulitatis proauorum. Agnoscit ergo Deum non dedisse nec paratum fuisse dare his gentibus vires credēdi in Christum. Enimuero Arminius sic loquendo causam assignat cur Deus noluerit, ac proinde non paratus fuerit, dare his populis id sine quo non potest esse fides. An Deus paratus erat dare vires credendi Tyrijs & Sydonijs quibus Christus hoc testimonium perhibet fore vt conuerterentur in sacco & cinere, si verbum & miracula ad eos peruenissent? An dat vires credendi eis quorum corda obdurat irresistibili voluntate, vt loquitur Arminius? an poterant credere illi de quibus Ioh. 12. vers. 39. *Idcirco non poterant credere, quia scriptum est, excæcauit eorum oculos & obdurauit corda*? An dat vires credendi ijs quos Arminius dicit à Deo vocari modo non congruo, & per quem scit hominem nunquam conuerti? *In Perkinsum p. 294. & 295.*

XIV. Hic sanè Arminius Deum non obscurè accusat insipientiæ: vult enim Deus sibi ipse aduersetur, & paratus sit facere quod ne fiat vltro viam incongruam sequitur. Quid quod quasi prætorio iure ipsi Deo leges

figit? Nam quid ſibi volunt hæc verba, DEVM TENERI dare vires credendi? Nempe ſic viſum eſt ARMINIO Deum hac lege aſtringere: nec conſtabit Deo ratio ſuæ iuſtitiæ, niſi ARMINIUS media ei ſuppeditauerit per quæ iniuſtitiæ crimen effugiat.

XV. Etſi autem impotentia illa credendi pœna ſit peccati ADAMI, non iniuſtè tamen punitur qui per hãc impotentiam reſpuerit Euangelium oblatum, quia hæc eadem impotentia quæ eſt pœna, eſt etiam culpa. Quod dico vt appareat quam parum appoſitè ARNOLDUS hic adhibeat exempla pœnarum quæ non ſunt culpæ. *An* (inquit) *fert æquitas vt militi oculis multato ob negligenter actas excubias, imperator delicti cuiuſdam*
pa. 522. *alterius veniam offerat, aut aliud quid promittat ſub hac conditione vt diligentius vigilet, & puniat quod ſine oculis non vigilauerit*? Hoc ſane exemplum non eſt ad rem: nam cæcum eſſe non eſt culpa, nec quiſquam tenetur obligatione naturali ad videndum. Secus eſt de impotentia ad credendum. Adde quod multatus oculis moeret, & ægre fert iacturam lucis. At homo ideo non credit quia non vult credere, eſtque hæc impotentia voluntaria.

*Deum ex*

*Deum ex genere humano corrupto & maledictioni obnoxio saluare quos ex mera sua gratia elegit. Quid sit Prædestinatio. Eius partes. Arminium non intellexisse quid sit Decretum Prædestinationis, & funditus sustulisse electionem.*

## CAP. XII.

I. CVM per vnum hominem peccatum sit ingressum in mundum, & per peccatum mors, omnesq; homines sine exceptione nascantur maledictioni obnoxij, certum est neminem posse ab hac maledictione liberari nisi per meram Dei gratiam & misericordiam. Hanc gratiam nobis patefecit in Christo, extra quem non est salus. Is enim naturam nostram induit vt, hoc interuentu & quasi nodo homo cum Deo iungeretur, & mortem passus est vt pro peccatis nostris satisfaceret: & sic facta reconciliatione in titulum & gradum filiorum Dei restituemur.

II. Hoc beneficium & salutarem gratiam Deus nobis annuntiat per Euangelium; quo proponitur fœdus illud gratuitum, cuius Christus est mediator atq; fundamentum.

III. Hoc Euangelio promittitur vita æterna credentibus in Christum. Nempe vt non est salus extra Chri-

ſtum, ita ſine fide Chriſtus non poteſt apprehendi, nec ad ſalutem ſolis fidelibus deſtinatã perueniri. Nam, vt ait Apoſtolus, Herb. 11. *ſine fide non poteſt placeri Deo.* Fidem appello non inanem fiduciam per quam indormitur vitijs, & conſcientiæ torpent dum de Dei miſericordia benè ſperatur: Sed fidem viuam *quæ per charitatem operatur* Gal. 5. v. 6. & quæ eo ipſo auget amorem, quod pellit metum.

IV. Hanc fidem homo non ex ſe habet, nec res eſt humani arbitrij, ſed eſt Dei donum; & effectus ſpiritus ſancti, qui trahit homines vocatione efficaci, & Dei promiſſiones Euangelio propoſitas in cordibus obſignat, & altè conſcientijs imprimit.

V. Hæc fides non eſt omnium, vt ait Apoſtolus 2. Theſ. 3. alioqui omnes conuerterentur & ſeruarentur: Sed eorum demum quos Paulus dicit *vocatos ex propoſito* Rom. 8. 28. & quos Deus merà ſuà εὐδοκίᾳ elegit ad ſalutem.

VI. Datur autem fides ex mero Dei beneplacito; nec datur dignis, ſed facit dignos cum datur. Deus enim non inuenit bonos ſed facit: nec quicquam præſcit in homine boni niſi quod ipſe facturus eſt: vt poſtea plenius docebitur.

VII. Hoc conſilium Dei æternum, eóq; immutabile Prædeſtinatio appellatur: quæ quidem pars eſt diuinæ prouidenriæ: Prouidentia enim vocatur prædeſtinatio quando ſe ad ſalutem vel damnationem creaturæ rationalis applicat; & quando diſpenſat & diſponit media per quæ ad ſalutem peruenitur. Hæc enim diuino nutu regi & Deum pro ſuo arbitrio alijs largiri

quod alijs negat dubitari non potest. Nam etsi scriptura hîc taceret, ratio tamen clamat non esse consentaneum Deum qui ad omnia suam curam extendit, in hoc vno quod est longè pręcipuum esse negligentem.

VIII. Porrò cum prædestinatio sit etiam inter Angelos, teste Paulo qui 1. ad Timoth. 5. 21. Angelos vocat *electos*: hîc tamen de sola prædestinatione hominum acturi sumus, vt potè quæ sola ad nos pertinet.

IX. Est ergo Prædestinatio Decretum per quod in salutis negotio Deus ab æterno constituit quid de vnoquoque homine facturus sit. Aut sic: Prædestinatio est decretum Dei quo ex massa generis humani corruptà decreuit certos homines per Christum seruare, cæteros ob peccata iustè punire.

X. Huius Prædestinationis duæ sunt partes, altera est *Electio*, altera est *Reprobatio*, quarum prior necessariò ponit alteram. Nam quotiescunque aliqui eliguntur de multis, cæteri necessario reprobantur: & alijs insuper habitis quidam præferuntur.

XI. Electionis & electorum frequens est in scripturis mentio. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Matt. 20. 16. *Deus nos elegit in Christo ante iacta Dei fundamenta*. Ephes. 1. v. 4. *Manet propositum Dei quod est secundum electionem, non ex operibus sed ex vocante*. Rom. 9. 11. *Reseruatio facta est secundum electionem gratuitam*. Rom. 11. v. 5. *Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ & edent signa ac miracula ad seducendum, si fieri poßit, etiam electos*. Marci 13. 22.

XII. Vicissim quosdam esse reprobatos testarur scriptura 1. Petri cap. 2. v. 8. *Qui quidem impingunt*

*in verbum, immorigeri, ad quod etiam positi sunt.*. Et Iudæ vers. 4. *Subrepserunt quidam homines* προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρῖμα *ad hanc damnationem iam priùs descripti.* Huc pertinet quod Apocalypseos 20. v. 15. dicitur conijci in stagnum ignis quicunque non est inuentus scriptus in libro vitæ: qui liber nihil est aliud quam catalogus electorum, Dei decreto definitus.

XIII. Huius discriminis insignè exemplum habemus Iacobum & Esaü, de quibus adhuc in vtero clausis, priusquam quidquam fecissent boni aut mali, Deus pronuntiat, *Iacobum amaui, Esau odio habui.* Rom. 9. Nec non duos latrones cum Christo crucifixos. *Duo erunt in lecto, alter accipietur, alter relinquetur.* Luc 17. 34. Non absimili euentu illi quo vsi sunt pincerna & præfectus pistorum Pharaonis, qui cum eodem carcere clauderentur, alter ad honorem, alter ad supplicium productus est.

XIV. Eiusdem discriminis specimen Deus edidit, non modo in Abraham, sed etiam in eius stirpe, quam nullo suo merito cæteris gentibus prætulit. *Quum diuideret Altissimus gentes, & separaret filios Adam, pars Domini fuit populus eius, & Iacob funiculus hæreditatis eius* Deuter. 32. Ac ne quis id factum arbitraretur ob præuisam populi istius virtutem, ipse sic populum suum affatur, *Scito quod non propter iustitias tuas Deus tuus tibi dederit terram hanc in possessionem, cum sis populus durissimæ ceruicis.* Deuter. 9. 6.

XV. Etsi autem prędestinatio reprobationem complectitur, cum certum sit impios ad finem certum pœnasq; commeritas esse destinatos, Apostolus tamen

prædeſtinandi voce, ſolam electionem intelligit, vt Rom. 8. quos *prædeſtinauit vocauit*, &c. & Epheſ. 1. v. 5. *Prædeſtinauit nos quos adoptaret in filios.* Hunc loquendi morem imitatus Thomas, ſic definit prædeſtinationem 1. parte Summæ Quæſt 23. Art. 2. *Prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ in preſenti & gloriæ in futuro.*

XVI. Cum vero circa hanc doctrinam diuerſi diuerſa ſentiant, vnus tamen Arminius minus quam quiſquam prædeſtinationis naturam aſſecutus eſt, & in ipſo limine duriter impegit. Is in diſputationibus Theologicis Diſp. 15. Theſ. 3. Prædeſtinationis genus dicit eſſe decretum, idq;, inquit, non *decretum legale, ſecundum quod dicitur, qui fecerit ea homo viuet in illis, ſed Euangelicum cuius hic eſt ſermo, Hæc eſt voluntas Dei vt omnis qui videt filium & credit in illum habeat vitam æternam.* Eumq; ſecuti Arminiani omnes, totam doctrinam prædeſtinationis quatuor decretis comprehendunt. Primum volunt eſſe illud quo Deus decreuit mittere filium ad redimendum genus humanum. Secundum quo decreuit credentibus dare vitam æternam. Tertium quo decreuit omnibus dare gratiam & vires ſufficientes ad credendum. Quartum quo Deus decreuit dare ſalutem his & illis ſingularibus quos præſciuit credituros, & in fide perſeueraturos. Hæc quaſi catenæ annulos ſic nectunt vt poſteriora decreta à prioribus dependeant, & per priora ad poſteriora veniatur.

XVII. Per hæc planum eſt Arminium non intellexiſſe quid ſit decretum prędeſtinationis. Decretum enim prędeſtinationis eſt quo Deus ſtatuit quid ipſe

facturus sit de nobis, non vero quid nos velit facere. Perperam ergo Arminius hanc Dei voluntatem qua statuit eos esse saluandos qui credent ponit inter decreta prædestinationis, cum hac voluntate mandatum Dei includatur. Ipse Arminius ibidem prædestinationem comprehendit sub prouidentia, facitq; prædestinationem speciem vel partem prouidentiæ: Si ergo illud, *qui credit saluabitur*, non est decretum prouidentiæ, certè neq; erit decretum prædestinationis, cum prędestinatio nihil aliud sit quam prouidentia ad salutem hominum vel reprobationem restricta. Hoc idem liquidò inde apparet quod Arminius hoc Decretum quod vocat Euangelicum opponit decreto legali quo dicitur *qui hæc faciet viuet in illis*, quod manifestè non est decretum prouidentiæ, sed regula iustitiæ. Quod si non hoc, profectò neq; illud: cum Euangelij regulæ nihilo-plus pertineant ad prouidentiam Dei, ac proinde nec ad prædestinationem, quam regulæ legis.

XVIII. De quatuor ergo istis decretis secundum expungendum est, eiq; locus assignandus est in doctrina Euangelij, non vero in decreto æterno & arcano prædestinationis. Et sic de quatuor istis annulis secundo detracto, soluitur tota concatenatio, & quasi deducto paxillo tota compages istius machinæ luxatur.

XIX. Quid quod Arminius electionem funditus euertit, & facit esse rem solius nominis? Negat enim numerum electorum Dei decreto esse definitum: vnde fit vt nullus omnino sit electus: Nam si singulorum salus certo Dei decreto esset definita, etiam definitum esset vt hic & ille esset de numero, & sic ex singulis tota

*Arnold. p. 172. Dicitis Deo soli notũ esse qui nam*

ſumma certò & definitè conficeretur. Quod ſi numerus electorum non eſt certo Dei decretò præfinitus, liber vitæ continens numerum ſaluandorum Apoc. 20. & numerus fratrum nondum impletus, Apoc. 6. v. 11. & quicquid ſcriptura dicit de ouibus Christo datis, etiam ante conuerſionem, Ioh. 10. v. 16. euaneſcat neceſſe eſt.

XX. Et cum Arminius vult omnes homines eſſe electos ad ſalutem electione cōditionali, id eſt dummodo velint credere, & per liberum arbitrium rectè vti gratia quæ eis offeretur; ponit electionem quæ non eſt electio, quippe quæ ad omnes pariter extenditur: Non eligit niſi qui aliquos cæteris præfert. Quid quod per hanc generalem electionem Simon Magus & Simon Petrus ſunt pariter electi? & ad Iudam & Pharaonem electio extenditur?

*& quot ſint electi: ſed numerũ tamen ſtatuitis certum eſſe & ex præciſa Dei ordinatione determinatũ qui nec augeri poſſit nec minui, idq; ex eadẽ ordinatione. Lōgè verè aliter Euãgelium.*

XXI. Illud vero grauiſſimum quod electionem ſingularium Arminius facit fide poſteriorem, & ſic electionem diuinam ab humano ſuſpendit arbitrio: vnde fit vt ſalus hominis res ſit merè contingens & non neceſſaria, quippe quæ à re contingente & mutabili dependeat, nempe ab humana voluntate. Nam etſi Deus certiſſimè præſcit futura contingentia, non tamen ideo vel electio vel ſalus hominis eſt neceſſaria, quia res non ideo certa eſt quia certò præſcitur. Et quia electio non eſt actus præſcientiæ Dei, ſed voluntatis: cuius executio (ſi fides Arminio) pendet ab impletione conditionis quæ poteſt ab homine impediri. Nam Arminij ſchola cenſet omnem hominem vires habere credendi, & Deum TENERI dare omnibus vires im-

*Idem ait Greuinchouius in præfatione.*

Arnol. p. 262. in Tilen. plendi conditiones secundi fœderis, & gratiam Dei esse causam partialem fidei; neque à sola Dei gratia in homine creari.

XXII. Sic cum Arminiani volunt singulares homines eligi à Deo ex fide præuisa, id est certò destinari ad salutem quos Deus præuidit venturos cum vocabuntur & perseueraturos, planè negant eos eligi. Nam recipere omnes venientes non est eligere. Enimuerò quantamcunque gratiam tum præcedentem tum comitantem Arminiani velint à Deo dari, volunt tamen esse penes humanum arbitrium respuere gratiam aut non respuere. Nempe Arminius vult Deum prædestinare ad salutem eos quos ab æterno præuidit per suum liberum arbitrium benè vsuros gratia. Ego verò pernego hoc posse vocari electionem, cum potius sit decretum admittendi eos qui ad Christum venient cum possent non venire: qui quidem (si Arminij doctrina obtinęt) priùs eligunt Deum, & ei se applicant antequam à Deo ad salutem destinentur.

XXIII. Mitto quod Arminius homines singulos sic vult elegi ex fide præuisa, vt ij demum ad electionem Dei pertineant, non quos decreuit, sed quos prę-uidit perseueraturos in fide ad mortem vsque. Vnde fit vt neminem Deus eligat nisi consideratum vt mortuum, aut in ipso puncto quod est vitæ mortisq; confinium. Quod si verum est, perperam Arminius dicit elegi credentes. Debuerat enim dicere eos demum elegi qui credere desierint.

XXIV. His adde nouum & prodigiosum dogma Arminianorum

Arminianorum quo censent reprobos posse seruari & electos damnari, nó quidé quâ sunt reprobi aut electi, sed quâ præditi viribus ad credédum, & ad perue-niendum ad salutem. Quod si is qui Dei decreto est reprobus potest seruari, aut electus damnari, planũ est prædestinationé nó esse Dei decretũ, sed rem titulo tenus, & voluntatem fluctuantem, aut meram præscientiam: cuius certitudo nitatur præuisione rei incertæ, nempe voluntatis humanæ. Quis obsecro ferat hominem sic loquentem? *Sum quidé reprobus, sed possum efficere vt saluer.* Aut *sum electus, sed penes me est efficere vt reprober.*

XXV. Itaque cum certitudo electionis à voluntate humana suspendatur, poterat fieri vt nemo in Christum crederet, & sic Christus frustra fuisset mortuus.

XXVI. Illa verò serie quatuor decretorũ qua Christus morti destinatur antequã Deus statuisset quinam essent saluandi, Christus constituitur caput Ecclesię sine certis mébris: Quod sanè merũ est deliriũ. Christus enim fingitur dat⁹ esse caput Ecclesię sine certa Dei voluntate quodnã futurũ esset eius corpus. Immò ex Arminianorũ doctrina, poterat fieri vt Christus esset caput sine corpore, & nulla prorsus esset Ecclesia, si quidé censent nullum esse electum qui non possit damnari.

XXVII. Illud quoque non omittendum, Arminianos vt suam illam concatenationé quatuor decretorũ tueãtur, asserere Christum non mortuũ esse pro fidelibus, sed pro omnibus hominib⁹ indistinctè: nec magis pro Petro quam pro Iuda: nec Christo in morte cóstitutũ fuisse quos morte sua saluaret. Immò cum Christus moreretur electionem nondum habuisse locum, quia electio est aliquid posterius morte Christi.

XXVIII. Exemplum Caiphæ & Iudæ hîc præcipui est pôderis. Nam ex Arminij doctrina, Deus elegit omnes homines sub hac côditione vt credant in mortem Christi. Quæro ergo an Deus elegerit Caipham & Iudam ad salutem sub hac conditione vt credant in mortem Christi? Hoc sanè dici nonpotest: Quippe cùm Deus decreuerit vti Caiphæ & Iudæ scelere ad Christum morti tradendum. Quo tádem modo potuerunt eligi ad salutem sub conditione credendi in mortem Christi, qui ad id ipsum erant destinati vt per eorum incredulitatem & scelus Christus morti traderetur? Sed hæc cursim tantùm & obiter perstringimus, enucleanda accuratius suo loco.

---

*De obiecto Prædestinationis, id est an Deus prædestinans, consideret hominem vt lapsum, an vt non lapsum.*

## CAP. XIII.

ETsi non alia de causa Deus hos potius quam illos elegit ad salutem, quàm quia sic ei visum est, nec hui9 discriminis causa in homine quærenda est, quodnam tamen sit prædestinationis obiectum, id est an Deus eligens aut reprobás homines, eos considerauerit vt lapsos & peccatores, an vt nondum lapsos, sed tantùm vt homines, & in massa non corrupta dubitari potest.

Pastores Ecclesiarũ Vvalacrianarum, strenui assertores veritatis, in accuratissima sua epistola, cuius antigraphum ad nos miserunt, profitentur se sentire Deũ considerasse homines quos eligebat, quosq; præteribat, vt lapsos in Adamo & in peccatis mortuos: Idem sentiunt

quotquot sunt veteres: quorum nemini, quod sciam, vnquã in mẽtem venit dicere Deum reprobauisse homines sine intuitu peccati. In eadẽ sententia video esse Caluinum, Zanchium, Melanchthonẽ, Bucerum, Musculum, Paræum, clara Ecclesiæ nostro æuo lumina. Ex quorũ scriptis quasdã sententias excerptas adiiciam ad calcem huius operis, ne morentur lectorẽ properantem, & filum institutæ aduersus Arminianos disputationis abrumpant. Intra hos limites se continet Confessio Ecclesiarũ Galliæ, articulo XII. vbi ex capite 9. ad Romanos aliisq; scripturæ locis probatur electio & reprobatio ex massa corrupta.

Hanc sententiam comprobauit veneranda Synodus Dordracena, qua nulla alia à multis retro sæculis celebrior nec sanctior. Tantæ authoritati non video quid possit opponi. Sacer cõuentus ex diuersis Christiani orbis partibus congregatus, prudenter vidit non modo esse modestiorẽ & tutiorem hanc sentẽtiam, sed etiam esse accommodatissimam ad declinandas obiectiones nouatorum, qui in hoc campo petulanter exultant. Sic dissui eorum technas, & eis neruos incìdi. Sublata enim reprobatione sine intuitu peccati, quam totis viribus impetunt, aërem cædunt, nec habent quod feriant. Causas quibus Confessio nostra, nec non veneranda Synodus adducta est, vt sibi putaret in prædestinatione qua homo consideratur vt lapsus esse consistendum has esse arbitror.

I. Primò occurrit phrasis scripturæ, quæ electos vocat *vasa misericordiæ*. Rom. 9.v.23. non est autem locus misericordiæ nisi erga miseros. Nec potest eligi ad salutem per Christum adipiscendam, nisi qui consideratur

vt opus habens redemtore. Cumque destinatio ad finẽ includat media per quæ ad finem itur, medium autem ad salutem sit remissio peccatorum, nec sit remissio peccatorũ sine peccato, planum est destinari ad salutem eos qui vt peccatores considerãtur.
II. Nec sanè potuisset Deus integrâ sua iustitia pœnis afficere homines quos considerasset sine peccato. Deus enim nõ punit insontes: Estque damnatio actus diuinæ iustitiæ, quæ sibi constare non posset si homo innocẽs & nullã ob culpã destinaretur ad desertionem ex qua ęterna perditio necessario consequeretur: aut si Deus prius constituisset homines perdere quã creare.
III. Tum quemadmodum Deus non damnat nisi ob peccãtum, ita certum est Deum non velle damnare nisi ob peccatum: At reprobare & velle damnare idem sunt: quemadmodum eligere idem est ac velle saluare. Non reprobat ergo nisi ob peccatum.
IV. Porrò negari nõ potest quin reprobatio, seu reiectio creaturæ à Deo, maxima sit pœna quę possit infligi creaturę rationali, quippe quam æterni cruciatus necessario consequũtur. Quod si obtinemus, inde sequetur non esse infinitæ bonitatis, supremæque iustitiæ deserere suam creaturam, non quidem quod peccauerit, sed quia Deo ita visum est, & vt ex desertione animulæ à se creatæ quęrat materiam gloriæ. An pater qui sciret filij sui felicitatem à se pẽdere, posset sine ἀστοργίας & crudelitatis crimine deserere filium innocentem & nullius sceleris compertum? maximè si per hanc desertionem filius in æternas ærumnas incideret? neque solum inde fieret miserrimus, sed & pessimus?
V. Sed nec iustè ageret Deus si infinitis partibus plus

daret mali suæ creaturæ quam dedit boni. Cui cum dederit esse, mox eidem sine vlla eius culpa daret *male esse* in æternum & miserè. Sanè si Deus tantùm adimeret quod dedit, & creaturā ad nihilū reduceret, nulla esset causa conquerendi. At dare infinitum malum creaturæ cui dederat finitum bonum, & creare hominem ad id tantùm vt perdat, vt ex hac perditione sibi gloriam acquirat, abhorret à bonitate Dei atque iustitia.

VI. Illud verò longè grauissimum, quod hac seu reprobatione, seu desertione hominis considerati sine peccato, creatura innocēs non modo fit miserrima sed etiam pessima. Nam quē Deus odit, necesse est Deum oderit, aut odio habiturus sit. Negationem enim spiritus Dei sequitur necessariò auersio voluntatis creaturæ. Cumque iuxta hoc dogma Deus prius oderit hominem à se factum, quàm homo Deum oderit, fieri non potest quin Dei odium quo hominem odit, per idem dogma fiat causa odij quo homo Deum odit, & sic Deus fiat peccati author.

VII. Quod si Deus odio habuit Esau consideratū vt non peccatorē & in massa integra: oportet Deus oderit creaturam innocentem. Odium autem in Deo etsi non est affectus humanus, nec perturbatio, est tamen voluntas certa puniendi. Pœna autem non potest esse iusta sine culpa. Nec potest iuste puniri, nisi qui vt peccator consideratur.

VIII. Si quis dicat Deum nullis legibus esse obnoxiū, ideoque perperā eius actiones ad regulas iustitiæ exigi, cum nullis regulis astringatur: Respondebo, Dei naturam esse potentiorem omni lege. Eadem naturalis perfectio per quam impossibile est vt Deus mentiatur, aut

peccet, etiam causa est cur non possit odisse suam creaturam insontem, aut destinare æternis cruciatibus hominé, nullá ob eius culpá. Immò verò si hęc essent vęra, prudentis tamé esset hæc premere, nec hanc anagyrim mouere, & sibi potius imperare silentiũ aut ignorantiam, quà irrũpere in hæc arcana, quę enuntiata iniiciũt scrupulos, & ansam præbét aduersariis infamandi verá religionem: & per quæ nemo fit aptior ad officia vel Christiani, vel ciuis, vel ad partem vllam pietatis.

IX. Non effugeret qui diceret reprobatione nó destinari homines ad damnationé, sed tantùm pręteriri, aut non eligi. Nempe sic quæruntur verba molliora quibus eadem res dicatur. Perinde enim est siue Deus destinet hominem ad damnationem, siue id faciat ex quo damnatio necessariò sequatur. Quemcunque Deus non eligit, siue omissus dicatur, siue reprobatus, semper est exclusus a gratia Dei. Hanc exclusionem certa damnatio sequitur, quia sine gratia Dei non est salus. Enimuero cum apud omnes constet, homines electione destinari ad salutem, velim mihi dici ad quid hi non electi & præteriti destinentur. Sanè si electio destinat aliquos ad salutem, planum est hac reprobatione, quæ omissio appellatur, cæteros à salute excludi & ad perditionem destinari.

X. Quod si Deus insontem creaturam destinauit ad perditioné, necesse est eandem destinauerit ad peccatum, sine quo non potest esse iusta perditio: & sic Deus causa erit impulsiua peccati. Nec homo poterit iustè puniri ob peccatũ ad quod est aut præcisè destinatus, aut Dei voluntate compulsus.

XI. Sententiæ vero huic quæ statuit Deum in ele-

ctione & reprobatione prius consideraſſe hominem vt lapſum quàm vt damnandum, non officit quod decreta Dei ſunt æterna, & quod omnia ab æterno præſciuit. Nam quantumcunque Dei decreta ſint æterna, inter ea tamen aliquis eſt ordo: Veluti decretum æternum de mundo euertendo per ignem ordine poſterius eſt decreto de mundo creando. Sic quoque etſi Deus ab æterno impios pœnę deſtinauit, nihil tamen obſtat quo minus ordine prior ſit conſideratio qua conſiderauit homines vt peccatores, quam qua conſiderauit vt reprobos, aut pœnę addictos.

XII. Nec verò ex ſententia venerandæ Synodi, & & Confeſſionis Eccleſiarum noſtrarum, qua homo lapſus fit obiectum prædeſtinationis, ſequitur Deum incerto fine hominem creauiſſe, aut fine quem ſibi propoſuerat excidiſſe. Finis vltimus Deo propoſitus, fuit illuſtratio ſuæ gloriæ, per manifeſtationem ſuæ bonitatis & iuſtitiæ. Ad hunc finem vt perueniret, decreuit creare hominem iuſtum, ſed mutabilem & liberum. Hoc decretum ſequitur, nō quidem tempore ſed ordine, præſcientia lapſus hominis Hanc præſcientiam ordine ſequitur electio & reprobatio.

XIII. Maximè abſunt à vero qui volunt Deum in eligendo & reprobando conſideraſſe hominem vt nondum creatum: Perinde enim agunt ac ſi dicerent Deum conſideraſſe hominem vt nihil, ac proinde vt non hominem. Sanè eo ipſo quod hominem dicunt, dicunt aliquid: at aliquid conſiderare vt nihil, res eſt ſomnio propior. Qui vult hominē ſeruare aut punire neceſſario prius voluit eſſe. Nam ſi Deus prius deſtinaſſet hominem ad pœnam, quàm conſtituiſſet eum

creare, perinde ageret ac si quis statueret liberos virgis cædere antequam de ijs generandis statuisset.

XIV. Denique cum primus actus omnipotétiæ fuerit circa nihilum occupatus, necesse est præcesserit actum misericordiæ & iustitiæ, qui non potest nisi circa ens aliquod occupari.

XV. Aliis verbis idé dicunt qui volunt Deũ in prædestinãdo considerasse hominé vt creabilé & labilé. Nam qui creabilé dicit, dicit non creatũ & qui labilem dicit, dicit nondum lapsum. Nisi quod ad alia inconuenientia hoc addunt auctarium, quod ponunt potentiam in re quæ nihil est. In Deo quidem fuit potentia actiua creandi mundum, antequam mundum crearet: at in mundo non fuit potentia passiua ad creationem, antequam crearetur. Sic nec homini nondum creato inesse potuit potentia ad creationem & lapsum. Ac planè, abhorret à ratione, vt qui non est, labilis appelletur. Tum si Deus elegit hominem creabilem, quid obstat quo minus dici possit eum aliquot elegisse quos nunquam creaturus est? Nam hi quoque sunt creabiles. At si Deus elegit eos quos præsupposuit se creaturum, oportet voluntas creandi electionem præcesserit.

---

*Paulum Apostolum capite IX. ad Romanos nomine Massæ, corruptam massam intellexisse.*

## Cap. XIX.

I. Intra hos limites se continuit Paulus cap. 9. ad Romanos: vbi agit de electione & reprobatione plenius & accuratius quàm vspiam

vſpiam alibi. Non ſi Solis radio ſcripſiſſet, clarius appareret eum loqui de maſſa corrupta; & de Dei voluntate qua hominum peccatorum alius eligitur alius reprobatur.

II. Scopus Apoſtoli eſt retundere inanem fiduciam Iudęorum qui lege & iuſtitia operum gloriabantur, quibus quidem res videbatur abſurda & impoſſibilis, Iſraelitas aut eorum maiorem partem excidiſſe Dei fœdere, aut inter Dei filios non cenſeri. Hunc ſcrupulum vt de animis euellat, & faſtum illum diluat, rem ab ipſo fonte repetit, & cauſam cur quis cenſendus ſit filius Abraham negat eſſe propagationem carnalem, vel iuſtitiam operum, ſed Dei beneplacitum & electionem gratuitam, per quam de ſobole Abrahami Deus quos voluit elegit, quos voluit reiecit: quorum vult miſeretur, & quos vult obdurat: Eademq; ex maſſa quædam vaſa præparauit ad honorem, alia vero præparata ad perditionem patienter pertulit. Quam ad rem affert duo paria exemplorum, Iſaacum & Iſmaëlem: tum Iacobum & Eſau: ponitq; Iſaacum & Iacobum vt filios promiſſionis, & exempla electionis gratuitæ; Iſmaëlem vero & Eſau vt exempla reiectionis. Et exemplum quidem Eſau & Iacobi videtur de induſtria adiectum ad προλήψιν ſeu occupationem. Iudæi enim poterant excipere ideo diſcrimen fuiſſe inter Iſmaëlem & Iſaacum quia ille fuit ex ancilla, hic ex libera: Tum quia cum natus eſt Iſaac, iam Iſmaël ſigna dederat praui ingenij & ea præſtiterat ob quæ à fœdere debuit excludi. Huic obiectioni commodè occurrit Apoſtolus exemplo Iacobi & Eſau, quorum vterq; filius fuit li-

beræ, & quorum cum neuter quicquam egisset boni nec mali, Deus tamen alterum amabat, alterum oderat.

III. Hæc omnia afferuntur ab Apostolo, vt doceat qua ratione Iudæorum alios Deus elegerit, alios quantumuis legalis iustitiæ opinione inflatos reprobauerit. Hæc gens cum esset impura & corrupta, non potuit massę purę comparari. Ac planè prętet rem ageret Apostolus si ad docendum quomodo ex gente corrupta Deus alios elegerit, alios reprobauerit, exemplo massę non contaminatę vteretur.

IV. Id ipsum euincunt exempla Iacobi & Esau, de quibus cum essent in vtero, nec dum quicquam fecissent boni & mali, Deus pronuntiat se Iacobum amauisse, Esau odio habuisse. Non potuit autem Deus considerare hos geminos in vtero, nisi quales erant: Erant autem corrupti & peccato originali inquinati. Nimirum non potest dici hic prælatus illi quod in vtero melior esset, cum neuter quicquam adhuc fecisset boni aut mali. Hoc nempe est super quo Paulus sciscitatorum ora comprimit, & non vult Deo litem intendi, aut ei responsari. Cum nulla sit causa nisi merum Dei beneplacitum cur de duobus æqualiter malis hunc illi prætulerit.

V. Nec parum virium est in vocibus, *odio habui*: non potuisset enim Deus odio habere creaturam, quam vt puram considerasset & expertem peccati.

VI. Non leue est quod electos sic describit, nempe eos esse *quorum Deus miseretur*, v. 18. Vnde & commate 23. vocantur *vasa misericordiæ*. Nam misericordia

prȩſupponit miſeriam. Vim faciunt verbis Apoſtoli, qui per *miſereri*, intelligunt ſimpliciter *benefacere*: Mihi ſanè religio eſſet affirmare Deum miſertum eſſe Chriſti hominis, cui tamen multò plus quàm cuiquam creaturȩ bonorum largitus eſt.

VII. Maximum quoq; pondus eſt in voce *obdurandi*: *Obdurat* (inquit Apoſtolus) *quos vult*. Quemadmodum per eos quorum Deus miſeretur intelliguntur electi, ita per eos qui obdurantur, intelliguntur reprobi; Putare autem Deum ſtatuiſſe obdurare hominem quem vt purum & in maſſa integra conſiderat, nefas eſt, & in Dei iuſtitiam contumelioſum. Hoc pacto Deus non modo innocentem puniret, ſed & inſontem deprauaret & corrumperet. Eſt enim obduratio ſpecies quȩdam pœnȩ, ac proinde poſterior peccato. Deus neminem obdurat niſi qui iam durus eſt. Sic Pharaonem obdurauit iam ſuopte ingenio contumacem & pronum ad rebellandum.

VIII. Nec vero opus eſt multo acumine ad percipiendum, Pharaonem non eſſe exemplum idoneum reprobationis ex maſſa integra, aut hominis ſine peccato conſiderati.

IX. Id quoq; apprimè obſeruandum eſt, Apoſtolum agentem de reprobis, dicere eos eſſe vaſa *κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν aptata ſeu præparata ad perditionem*. Non dicit Deum eos parauiſſe aut aptauiſſe ad interitum, ne videretur dicere Deum eis indidiſſe peccatum quo ad exitium prȩpararentur: At cum agit de electis, flexo ſermone, dicit Deum eos prȩparauiſſe ad gloriam: quod quidem Deus facit dando eis ſpiritum & fidem. Non

temerè est quod Apostolus noluit vtrobique eodem modo loqui: nempe quia Deus alios inuenit vasa aptata ad interitum, alios facit vasa destinata ad gloriam; idq; miserendo.

X. Hanc in rem disertus est Augustinus. Sexcentis enim locis hunc Pauli locum aut explicans aut attingẽs, massæ nomine, corruptam & peccato inquinatam massam intelligit. Sic Epistola 105. *Quia vniuersa ista massa meritò damnata est, contumeliam debitam reddit iustitia; honorem donat indebitum gratia.* Et eádem epistola, *Merito peccati vniuersa massa damnata est*: & paulo post. *Si vasa sunt iræ quæ perfecta sunt ad perditionem quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent: quia ex ea massa facta sunt quam propter vnius pcecatum meritò Deus iustéq; damnauit.* Idem inculcat Epistola 106. & Enchiridio cap. 98. 99. & 107. vbi massam perditionis vocat. Vide lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 7. & lib. 5. in Iulianum cap. 3. Nec sane inter veteres quisquam vnquam censuit Paulum agere de integra massa, & non corrupta.

*Arminium verbis Pauli Apostoli claris & disertis vltro tenebras offundere.*

## CAP. XV.



SCRIPSIT Arminius tractatum super nono capite ad Romanos, anxia subtilitate, sed infelici successu. Cruciat enim Apostolum, & quasi fidiculis ab inuito exprimit quę putat facere ad patrocinium erroris sui de electione ex fide præuisa.

I. Fingit mentem Apostoli esse docere, illos solos ex Iudæis filios Abrahami esse censendos, qui missa iustificatione per legem, iustitiam & fidem sectantur. Propositum autem secundum electionem negat esse decretum de electione singulorum, sed decretum generale & conditionatum de omnibus seruandis qui essent credituri. Quo decreto Arminius vult omnes homines eligi conditionaliter, quod sanè non est electio; cum electio non sit nisi singulorum qui eliguntur ex turba, alijs reiectis.

II. Fateor quidem doctrinam de electione gratuita viam sternere ad doctrinam de iustitia per fidem: Veruntamen tota hæc dissertatio Pauli de electione, quæ à versu 6. ad trigesimum extenditur, non agit de iustificatione per fidem, neque vult hoc loco obtinere Apostolus, hominem per fidem iustificari, aut Deum eos eligere qui fide Christum apprehendunt. Sed per

doctrinam de electione, ad tractatum de iustificatione per fidem, quem postea subijcit, aditum sibi præstruit. Hoc vnum vult hîc obtinere, non ex operibus legis hominem vere esse filium promissionis, sed ex electione gratuita & ex Dei misericordia: Manifestum enim est hic non opponi opera fidei, sed electioni & Deo vocanti. Sic versu 12. non dicit, *Non per opera sed per fidem*: sed *non per opera sed per vocantem*. Sic cum versu 16. dixisset, *Non est volentis neq; currentis*, non addit, *sed credentis*, quid ergo? *sed miserentis est Dei.*

III. Enimuero cum agitur de causa cur de duobus in peccato pariter conceptis (quales erant Esau & Iacob) hunc illi Deus prætulerit, sola Dei misericordia & electio gratuita consideranda est, non vero fides, quæ non est causa electionis sed effectum, nec electionem præcedit sed sequitur. Sic Paulus 1. Cor. 7. vers. 25. dicit *se misericordiam consecutum à Deo vt esset fidelis*, non vero quia futurus erat. Quocirca Paulus toto hoc sermone quo agit de causa discriminis quod Deus constituit inter duos naturà pares, nullam facit mentionem fidei. Sed hoc tractatu demum absoluto, descendit vers. 30. ad iustitiam fidei, vt ad fructum qui electionem sequitur.

IV. Sed Arminius ad subsidium suæ causæ, immutat verba Pauli, & de suo aliquid non bona fide intrudit. In locum enim eius quod Paulus ait, *non ex operibus sed ex vocante*, substituit hæc sua & à se conficta, *non ex operibus sed ex fide qua vocanti Deo pareatur*, cum tamen tota illa dissertatione quę agitur de electione, nulla fiat mentio fidei, nec eius vel minimum vestigium appareat.

pag. 271.

V. Exemplis vero Isaaci & Ismaëlis, nec non Isaaci & Esau mirum quantùm Arminius abutitur. Pertendit eos hic proponi, non vt exempla, sed vt typos eorum qui ex operibus iustitiam sectantur; non ex fide. Certè inter typum & rem typo designatam debet esse aliqua conuenientia. Quis autem fando vnquam audiuit Ismaëlem voluisse ex operibus legis iustificari, non ex fide? cum tunc temporis non esset lata lex, nec hæc discrimina iustificationis per legem aut per fidem essent nota; nec credibile sit vnquam Ismaëlem hæc cogitasse, aut curauisse? Perinde ergo agit Arminius ac si Nimrod statueretur typus iustitiæ Pharisaïcæ. An potest nox typus esse lucis? an Esau quem Apostolus Hebr. 12. v. 16. vocat profanum, ac proinde & legis contemptorem, potest esse typus eorum qui zelo legis accensi volunt iustificari per opera? At operæpretium est audire cur velit Esau typum esse filiorum carnis, eorumq; qui per opera iustitiam affectant. Nempe, inquit, quia prior natus est. Acutè: debuerat dicere quia rufus fuit, aut venator. Pudet hæc refellere. Et tamen in his figmentis vir bonus ponit præcipuum præsidium suæ doctrinæ de electione ex fide præuisa. pag. 276

VI. Tum vide quam licenter Apostolo illudat; dum enim Ismaëlem & Esau ponit non vt exempla reiectionis ex arcano Dei consilio, sed vt typum nihil habentem conuenientiæ cum re significata, perinde vsurpat hęc nomina, vt Logici Socratem, aut Legisperiti Titium & Mæuium pro quolibet homine vsurpant.

VII. Quod si ponderamus accuratè quid sit odisse hominem adhuc in vtero existentem, prius quàm quicquam fecerit boni & mali, facilè perspiciemus Esau non tanùtm hîc poni vt typum, sed & vt exemplum, cui reapse id conuenerit, etiam si pro typo non adhiberetur. Nam nec Malachias vnde hæc verba desumpta sunt Esau ponit vt typum, sed vt exemplum.

Quomodo autem illud quod dicitur Deum odisse Esau adhuc in vtero existentem, priusquam quicquam mali commisisset, possit trahi ad Arminij institutum, & pertinere ad typum eorum qui volunt ex fide iustificari, ipse viderit: ego certè non video.

VIII. Paulus addit, *Quid ergo dicemus? num iniustitia apud Deum?* Sensus est planus, isque pendens ex præcedentibus. Posuerat duos gemellos paris conditionis & naturæ, neutrum altero meliorem, quorum tamen Deus alterum amat alterum odit, causamq; discriminis attulerat meram Dei voluntatem, qui miseretur quorum vult, non vero præuisionem alicuius virtutis in altero. Hinc nascitur obiectio: An Deus iniustus qui paribus dat imparia? & cur non vtriusq; miseretur? Quid hîc Arminius? nempe hæc sic accipit quasi Paulus quæreret an est iniustitia apud Deum, qui fœdere excludit eos qui volunt iustificari per legem quam ipse tulit, & qui vult eos qui credũt in Christum iustificari? Hæc quidem audax est coniectura; & cuius in præcedentibus ne minimum quidem vestigium. Quod si cuiuis licet tam multa ex suo ingenio comminisci & Scripturæ addere, nihil est tam absurdum aut impium quod non possit probari ex Scriptura. Quid quod nullum hic

lum hic nec color nec ratio? Nam quæ hic ſpecies iniuſtitiæ in Deo? aut quis vſq; adeo vecors, vt velit cum Deo expoſtulare, quod reos violatæ legis velit iuſtificare per fidem in Chriſtum, & abſoluere? Profectò quicunq; miratur aut quærit, cur Deo viſum ſit peccatores ſaluare per fidem in Chriſtum, non deſiderat in Deo iuſtitiam, ſed rimatur arcana diuinæ ſapientiæ. Quod ſi hæc fuiſſet mens Apoſtoli quam Arminius ei affingit, promptum fuiſſet reſpondere, non ideo Deum eſſe iniuſtum qui ſeruat credentes, & qui ijs qui iuſtificari nequeunt per legem, cuius violatæ ſunt rei, meliorem iuſtitiam ſuppeditat: aut qui fœderi legis, quod peccato irritum factum eſt, aliud ſubſtituit per quod homo ſaluetur. Nihil tale Paulus reſpondet, ſed Deum ipſum introducit ſic reſpondentem, *Miſerebor cuius miſertus fuero, & commiſerabor quem commiſeratus fuero.* quæ verba non agunt de iuſtificatione per fidem, ſed de electione Dei gratuita, qua de duobus hominibus pariter in peccato conceptis pariterq; reis, alter alteri præfertur. Non dicit Paulus, idcirco quia lex violata eſt, ideo miſericordia opus fuiſſe, ſed affert cauſam huius diſcriminis inter æquales naturâ, *Miſerebor cuius miſertus fuero.* Iuxta Arminium debuerat dicere, *miſerebor qua ratione voluero, & tale fœdus inſtituam quale mihi collibuerit.* Vult enim Deum non agere de electione ſingulorum, ſed de modo quem Deo placuit eligere ad vtendum miſericordia. Quaſi dixiſſet, *Miſerebor vt volam, non verò Miſerebor* CVIVS *voluero*; Sanè vox CVIVS quæſtionem hanc profligat, & debile Arminij acumen retundit: hæc enim vox deſignat ſingulos,

non verò modum quo Deus erga eos vtitur misericordia. Nam & is qui rogauerat, *Quid igitur dicemus, an iniustitia apud Deum?* mouerat scrupulum super obduratione aut reiectione singulorum, non super modo per quem Deo visum est homines seruare, aut eorum misereri.

IX. His verò verbis, *Miserebor cuius misertus fuero*; &, *non volentis est, neque currentis, sed miserentis Dei*, quibus disertè salus & electio ascribitur Dei beneplacito, non humano arbitrio Arminius tenebras offundit. Sic enim interpretatur, *Non est volentis*, supple *iustitia*. At versibus præcedentibus non actum est de iustitia, sed de electione. Tum verba illa M*iserebor cuius misertus fuero*, sumpta sunt ex Exodo cap. 33. v. 19. vbi agitur de salute, non de iustitia. Fac tamen hic agi de iustitia. Nonne hinc fit, fidem non esse volentis, ac proinde nec salutem? Si quidem salus est per iustitiam, & iustitia per fidem?

X. Vnâ in re mirè se prodit sectariorum peruicacia & affectatus stupor. Paulus inducit percontatorem sic loquentem, *Cur adhuc conqueritur? nam voluntati eius quis resistit?* Quibus verbis liquidò liquet capite hoc agi de voluntate Dei cui resisti non potest, & Arminium vltro cæcutire, dum asserit hic agi de voluntate antecedente, cui vult posse resisti.

XI. Quid quod Arminius tacitè Paulum accusat stuporis aut præposteræ modestiæ? Nam quid opus erat in negotio electionis & reprobationis singulorum comprimere ora percontatorum, dicendo. *O homo, quis tu es qui responsas Deo?* cum ex doctrina Arminij

præsto esset responsio facilis & expedita, Deum hunc elegisse, quia præuidit eum crediturum; illum verò reprobasse, quia præuidit non crediturum? An hæc Apostolus non vidit? an vidit quidem, sed nobis inuidit hãc præclaram nodi istius solutionem, quæ his tenebris lucem inferret? At mihi ignoratio Pauli, cuiusquam perspicaciâ semper erit potior.

XII. Arnoldi Coruini in enucleando hoc capite mirificum est acumen, & iocularis audacia. Is in opere suo aduersus Tilenum cap. 9. typum Iacobi & Esau sic exponit. *Scilicet* ( inquit ) *vt ibi maiori prælatus fuit minori, sic etiam figuratum fuisse, non ex lege, licet prius data, sed ex fide salutem esse.* Nempe si huic creditur, maior frater est lex, minor fides: Ergone Deus odit legem antequam fecisset quicquam boni & mali? Pudet hæc refellere. Immo verò, cum Deus euãgelisauerit ipsi Adamo, per fratrem minorem natu lex potius esset intelligenda. Voluit fortasse per maiores natu intelligi eos qui per legem volunt iustificari: at & hic non minus difficile est capere, quomodo Deus eos oderit antequã quicquam fecissent boni aut mali: & quomodo maiores natu, cum nunquam fuerint filij.

XII. Deniq; veritas hic tam est euidens, vt Vorstius relicto Arminio in nostras partes concedat. Censet enim scopum Apostoli hoc capite esse docere iustitiam & salutem æternam, non ex operum dignitate, aut vlla carnali prærogatiua, qualibus Iudæi gloriabantur, sed ex mera Dei miserentis εὐδοκίᾳ pendere.

*Collationis aduers. Piscatorem sect. 141.*

*Sententiæ partium super doctrina Prædestinationis.*

## CAP. XVI.

I. PRÆDESTINATIONEM diximus esse decretum Dei, per quod in salutis negotio Deus ab æterno constituit quid de vnoquoq; homine facturus sit: duasque eius esse seu partes seu species, Electionem & Reprobationem.

II. Arminius Disputationum Theologicarum Thes. 15. Prædestinationis nomine solam, Electionem intelligens, eam sic definit. *Prædestinatio est decretum Beneplaciti Dei in Christo, quo apud se ab æterno statuit fideles quos fide donare decreuit, iustificare, adoptare, & vita æterna donare ad laudem gloriosæ gratiæ suæ.* Cæteri omnes eius sectarij vno ore dicunt Electionem esse decretum Dei de saluandis in Christo credentibus, & in fide perseueraturis.

III. Hic verò Arminiani mira calliditate mentem suam abscondunt: Nam definitio ista posita ab Arminio videtur docere Deum certos quosdam homines elegisse ad salutem. Sed secus est, neque hæc mens est huius definitionis: his enim vocibus, FIDELES QVOS *fide donare decreuit*, non intelligunt certos quosdam homines, quos Deus præcisè elegerit: sed tantum innuunt, quales Deus eligat, nempe credituros. Voluntate ve-

rò illa qua Deus decreuit homines fide donare, docent Deum sępe frustrari, & posse damnari quem Deus sic elegerit. Hoc enim decretum negāt esse præcisum, sed conditionale & quod pendeat ex fide præuisa. Cuius quidem fidei gratia Dei sit causa partialis tantùm, nam etiam suas hìc esse partes libero arbitrio, penes quem sit benè aut malè vti gratia Dei præueniente & comitante, eamq; aut percipere aut respuere. Ergo statuunt Deum quidem hoc decreto seriò intendere salutem omnium hominum, eisq; statuisse dare sufficientem gratiam, viresq; ad credendum: sed Deum in multis hoc illo suo decreto & intentione frustrari, obstante voluntate humana, per quam fit vt Deus fraudetur desiderio suo naturali, & prima intentione, quæ sanè non potuit esse non optima. Ne quis ergo putet hoc Electionis decreto quod definit Arminius, certos quosdam electos destinari ad vitam, tenendum est hoc decretum ex mente Arminij ad omnes omnino homines conditionaliter pertinere, & voluntate antecedente Pharaonem, Iudam, &c. esse conditionaliter electos. Quapropter negant Arminiani numerum electorum esse certum ex præcisa Dei ordinatione, qui nec augeri possit nec minui.

*Greuinch. p. 101 dicit hoc decretū esse cōditionale de quolibet, si credat, seruando.*

*Coll. Hag. p. 96.*

*Arnol. p. 192*

IV. Obserua etiam definitionem illam ab Arminio positam non pertinere ad infantes immatura morte sublatos. Volunt enim Arminiani solos credentes eligi.

V. Præter hanc electionem generalem & conditionalem, per quam omnes homines sine exceptione sunt electi, aliam faciunt electionem singulorum, quæ nitatur fide præuisa. Hanc definiunt esse Decretum Dei

absolutum de saluandis certis quibusdam hominibus, quos ab æterno præuidit credituros in Christum, & in fide perseueraturos; Quam fidem & perseuerantiam dicunt in decreto electionis considerari vt iam impletam. Iidem censent hanc electionem dum sumus viatores in terris, esse incompletam & reuocabilem. Sic enim Greuinchouius p. 136. & 137. *Vt salutis nostræ bona sunt incompleta quæ continuātur fide continuatâ, & abnegatâ fide reuocantur.: sic electio est incompleta in hac vita, non peremptoria, non irreuocabilis.* Sed peracto cursu electionis hoc decretum volunt demum esse completum & irreuocabile.

VI. Voluntatem Dei de saluandis certis quibusdam hominibus, volunt esse posteriorem voluntate humana, & inniti præuisioni fidei.

VII. Priorem illam electionem volunt pertinere ad voluntatem antecedentem, posteriorem verò ad consequentem.

VIII. Quod Deus suppeditet hominibus media ad credendum, putant actum esse prouidentiæ, non verò huius electionis, qua certos quosdam homines destinauit ad gloriam: & pernegant veram fidem & perseuerantiam in fide effectum esse huius electionis posterioris & absolutæ: cum potius præcisa electio ab istius fidei præuisione dependeat, & fides prior sit electione. Negant enim Deum quenquam ad fidem præcisè prædestinasse: sed volunt habentes fidem prædestinari ad salutem.

IX. Totam verò doctrinam Electionis quatuor decretis comprehendunt, quę sic inter se nectunt per-

petua concatenatione, vt posteriora à prioribus dependeant.

X. Primum decretum est de dando Filio ad abolitionem peccati, & redemptionem generis humani, qua redemptione volunt totum genus humanum esse reconciliatum, & omnibus impetratam remissionem peccatorum. Secundum decretum est, quo Deus decreuit saluare credentes, & in fide perseueraturos. Hæc est illa generalis & cōditionalis electio. Tertium decretum est, quo Deus decreuit omnibus hominibus dare sufficientem gratiam ad fidem & resipiscētiam: quas vires dicunt dari irresistibiliter: immo & Deum teneri dare omnibus hanc gratiam; actum verò ipsum credendi, non dari nisi resistibiliter, ne vis fiat humanæ voluntati. Negant ergo Deum decreuisse cuiquam dare absolutè & præcisè fidem actumq; credendi. Quartum denique & postremum decretum volunt esse illud, quo Deus absolutè & præcisè decreuit seruare certos quosdam homines ex fide eorum præuisa.

XI. Hæc sunt scita Arminianorum, & summa totius eorum doctrinæ, in qua peruidenda & introspicienda labor est non mediocris: ita sensus suos inuoluunt, ita mentem abscondunt, vt semper rima aliqua pateat ad effugium: quorum mentem qui non pernouerit, facilè credet eis fieri iniuriam, ita speciosis coloribus incrustant errorem, quasi qui nobiscum sentiant, cum tamen absint longissimè. Tum si quis in exponenda eorum sententiâ non expressit omnes eorum distinctiunculas, aut non obseruauit omnia di-

uerticula, dici nō poteſt quantas excitent tragœdias, quam miſerabiliter lamententur, quaſi de vi & atroci calumnia: Parati etiam eiurare Arminium, & ſua ipſi conuellere, & Pontificiorum cauſam tueri, denique nihil non agere dum noſtrorum manus effugiant.

XII. Nos verò apertiùs rem gerimus, nec Dei electionem tam operosè in articulos concidimus: nec Deo præſcribimus ordinem per quem debuerit aut debeat digerere ſuas cogitationes & diſponere decreta. Electionem generalem nullam agnoſcimus, cū non ſit electio vbi nihil relinquitur: nullâque electionem agnoſcimus niſi ſingulorum: eamque præciſam & Dei conſilio definitam. Nec putamus quemquam electum, niſi qui ad ſalutem certò & infallibiliter peruenturus eſt. Nec credimus nos electos ex fide, nec ob fidem, ſed ad fidem. Deus enim non eligit bonos bonitate quæ electionem præceſſerit, ſed eligendo vult efficere bonos: Nec quicquam in nobis præſcit boni, niſi quod ipſe facturus eſt: quod ſanè non eſt præuidere, ſed præordinare: Nec electionem ſingulorum à voluntate humana ſuſpendimus. Immo verò obfirmationem humanæ voluntatis in fide, & perſeuerantiam, credimus ab electione Dei gratuita proficiſci, per quam decreuit dare media ad finem ijs quos deſtinauit ad finem.

XIII. Inter nos quidem & Arminianos conuenit, Deum in eligendo conſiderare hominem non modò vt lapſum, ſed & vt ſuo beneficio crediturum: quos enim ad ſalutem deſtinauit, deſtinauit quoque ad fidem & reſipiſcentiam. At non putamus in electione

fidem

fidem considerari vt impletam, sed vt implendam per Dei gratiam, quę sit effectus electionis: idq; fieri non quidem cogendo voluntatem, sed flectendo, & dando vt sponte sequatur vocantem. Nec vi, quæ ideo irresistibilis dicatur, quia ei non possis resistere etiam si velis, cùm hoc ipsum pars sit gratię nolle resistere. Deum vero TENERI dare gratiam suam hominibus, vt dogma contumeliosum in diuinam Maiestatem abominamur. Tum Arminianorum sententiam qua statuunt Deum omnibus ex ęquo cupere salutem, vt sententiam aduersam scripturæ & experientiæ aspernamur.

XIV. Electionem dicimus esse Decretum Dei æternum, eóque immutabile, quo ex genere humano lapso & corrupto, Deus decreuit certos quosdam homines ex mera sua gratia per Christum seruare, & media eis dare quibus ad salutem perueniant.

XV. Decretum de danda fide & resipiscentia facimus partem istius decreti. Decretum enim de fine includit media. Sic decretum de bello gerendo includit equos, arma, commeatum. Et voluntas qua quis decreuit ædificare, includit necessario voluntatem congerendi lapides & ligna. Nec putamus tutum πεμαχίζειν, diuina consilia, & quasi in frusta scrupulosè concidere.

O

*Arminianos facere præuisam fidem, causam Electionis singularium.*

## CAP. XVII.

I. COLLATORES Hagienses Arminiani, & quotquot sunt sectarij, pluſculis in locis profitentur se non facere fidem causam electionis, sed tantùm conditionem præcedaneam, & aliquid prærequisitum ante electionem. Hæc illi verbo tenus: nam ijdem summo studio congerunt argumenta quibus conficiatur fidem esse causam electionis singulorum. Quin & inuitis aut imprudentibus sæpe excidit quod premere conantur; & quasi sorices suo indicio capiuntur.

II. Nicolaus Greuinchouius pag. 103. fatetur Arminium sentire electionem INNITI præuisæ fidei. Eodemq; loquendi modo vtuntur Remonstrantes collatione Hagiensi. p. 117. Et Arminius Declarationis p. 47. *Decretum quo Deus decreuit certas quasdam personas saluare innititur præscientiæ* Dei *qua ab æterno sciuit qui nam credituri*, &c. Arminiani Responsionis ad VValachrianos pag. 38. hæc habent. *Statuimus fidei & infidelitatis præuisionem, decretum prædestinationis ordine antegressam esse, & priori isti præscientiæ hoc decretum* INNITI. Profecto cæcus est qui non videt aliud esse sequi aliquem, aliud ei inniti. Non si stella

oriens ordine antecedit ſequentem, idcirco poſterior innititur priori. Non ergo Arminius ponit fidem tantùm vt rem antecedentem, ſed vt aliquid quod ſuſtentet electionem, & in quo fundetur, cuiq; innitatur electio. Non minus autem electionem à fide ſuſpendit qui dicit fidem eſſe fundamentum, quàm qui dicit eſſe cauſam electionis. Per hanc enim datur electioni vt ſit, per illud vt ſtet & firma ſit: Vtrobique Deo par fit iniuria, ſiue dicas beneplaciti diuini cauſam eſſe virtutem aliquam quæ ſit in homine, ſiue dicas beneplacitum Dei habere ab humana virtute ſuam firmitatem.

III. Sed & ijſdem verbis non obſcurè agnoſcunt fidem præuiſam eſſe cauſam electionis: volunt enim prçuiſionem fidei perinde antecedere electionem, vt præuiſio incredulitatis ordine antegreditur reprobationem. At reprobos deſtinari damnationi ob incredulitatem, & quia ſunt increduli, ipſi paſſim agnoſcunt. Et Arminius in Perkinſum p. 86. rotundè affirmat peccatum eſſe cauſam meritoriam reprobationis. Sic Arnoldus pag. 151. *Electio & reprobatio perſonarum ſingularium ex præuiſione fidei & infidelitatis factæ ſunt.* Tuam fidem, Arnolde, ecquis poteſt ſuſpicari, te voculam EX æquiuocè accipere, & in reprobatione quidem cauſam denotare, in electione verò conditionem? Oportet igitur agnoſcant electos deſtinari ad ſalutem ob fidem præuiſam, & quia ſunt credentes fidemque prçuiſam eſſe cauſam electionis ſingulorum.

IV. Nihil autem intereſt dicas electionem inniti fi-

dei præuisæ, an verò præuisioni fidei. Vtrobique enim fides fit causa electionis, hic quidem proxima, illic remota. Fides enim præuisa causa fit præuisionis: præuisio causa electionis. Nam cur Deus præscit eos credituros nisi quia credent? cur autem eligit nisi quia præscit eos credituros? Verba hæc sunt Arminij in Perkinsum pag. 142. *Quod Deus præscit, ideo præscit quia futurum est.*

V. Iidem in Valachros paulòpost, quanquam timidè, *In VVa-lachr. p. 39.* vtuntur voce DEPENDENDI, vt faciant electionem à fide depẽdentem. *Et quanquam* (inquiunt) ἀδιάβλητος *sit illa vox dependendi, qua nunquam in hoc argumento vti solemus, tamen si maleuolus absit animus, ne ad minimam alicuius absurdi suspicionem trahi potest.* Immo verò ad *p. 198.* maximam; Nam ipse Greuinchouius agnoscit dependentiam strictè sumendo causalitatem arguere, & dependentiam superioris ab inferiore. Ac profectò hi homines non obscurè indicant quàm cupidè hac voce vterentur, nisi metuerent insectationem nostrorum.

VI. Extat Greuinchouij tractatus hoc titulo, *De Electione ex fide præuisa*: At illud EX non tantum indicat prioritatem, sed & causalitatem: Nam quis ferret hominem qui diceret Tiberium esse ex Octauio Augusto, aut hunc annum esse ex præcedente, quia vnus alterum antecessit? Homo latinitatis non imperitus, satis sciuit, præpositionem EX non esse aptam ad solam prioritatem fidei denotandam, nisi præter prioritatem aliqua insuper efficientia aut dependentia accederet. Quocirca idem p. 24. hæc habet. *Naturæ legum ac conditionum præscriptarum omnino conueniens est vt voluntas*

*iudicis à conditione postulata ac præstita moueatur ad præmium.* Hanc conditionem præstitam Arminiani dicũt esse fidem, quæ in electione (si eis creditur) consideratur vt præstita. Volunt ergo Deum ab hac conditione impleta moueri vt det præmium, quod si verum est, planè fides causa est decernendi & dandi præmij, quippe quæ iudicem mouerit.

VII. Sic Collatione Hagiensi Arminiani pertendũt Deum non eligere sine qualitatum respectu. Quod quidem verum est non modo de fide, sed & de resipiscentia, dummodo hoc sic accipiatur, Deum in eligendo considerare homines vt beneficio suo credituros, & renouandos resipiscentiâ. Si respectum illum aliter accipis, oportet hic respectus causa sit: Aliquis enim dicitur aliquid eligere respectu alicuius qualitatis aut virtutis, qui ista qualitate aut virtute mouetur ad eligendum: alioqui non electurus.

VIII. Quid quod Collatores Hagienses Arminiani p. 86. vtuntur voce causæ. *Mittit Deus verbum suum quò ipsi visum fuerit, non secundùm aliquod decretum absolutum, sed propter alias causas in homine latentes.* Nempe homo causa est cur vocetur: vnde fit vt causa etiam sit cur eligatur: Nam quod causa est cur Deus vocet hominem ad salutem, planè causa est cur Deus velit eum seruare: hæc enim sunt connexa. Iidem p. 109. *Absurdum est ponere absolutam Dei voluntatem in decreto electionis pro causa prima, quæ reliquas causas, Christum puta, fidem, aliasq; causas omnes antecedat.* Audis fidem poni inter causas electionis? Quocirca Arnoldus p. 53. relinquit in medio, an fides debeat vocari causa, an ve-

rò conditio. *Siue* ( inquit ) *fides vocetur conditio, siue causa, posito semper pro confesso Dei donum esse, hoc solum quæritur quomodo fides se habeat ad electionem.* Et paulò ante dixerat. *Si quis diceret fidem in decreto electionis habere rationem causæ, non tamen proinde negaret eam donum Dei esse.* Non obscurè innuens, quàm pronus sit in eam partem : ac censens non temerè culpandum qui fidem causam electionis vocauerit.

IX. His adde quod Arnoldus p. 186. & cum eo cæteri pertendunt fidem non esse electorum, sed electionem esse fidelium. Nos quidem ex Paulo ad Titum cap. 1. v. 1. dicimus fidem esse electorum, quod quidem sic accipimus quia electio causa est fidei: cui nostræ assertioni cùm suam opponant vt contrariam, qua dicunt electionem esse fidelium, quid aliud volunt quàm fidem esse causam electionis?

X Ponderentur quoq; momenta rationum. Collatione Hagiensi profitentur se non detrectare scribere vncialibus literis & subsignare, electionem factam à Christo citra considerationem vllam bonorum operum. Iidem tamen ad nauseam inculcant electionem esse decretum de saluandis credentibus, & neminem à Deo eligi nisi respectu ad fidem. Ego verò scire velim cur tam sedulò excludant considerationem operum ab electione, cùm studium bonorum operum non minus sit conditio prærequisita ad salutem quàm fides ? Quis per hæc non videt fidem non poni ab eis merè vt conditionem prærequisitam ? Nam si fides ita ab eis consideraretur, planè studium bonorum operum fuisset adiungendum, & eodem gradu cum fide collocandum.

XI. Quod ſi Deus eligit ad ſalutem non quos abſolutè decreuit, ſed quos præuidit crediturus, planum eſt Deum in electione reſpicere ad dignitatem aliquam quæ ſit in his, non verò in illis. At non eſt conſentaneum quenquam ſapientem eligere optimos, alia de cauſa quàm quia ſunt optimi. Nam ſi bonitas fideliũ pręcedit electionem, improbè ageret qui eos alia de cauſa eligeret quàm quia ſunt boni.

XII. Ac profectò quandocunque aliquid homini promittitur ſub conditione quæ ſit humani arbitrij, planum eſt impletionem conditionis ab humano arbitrio, cauſam eſſe cur promiſſio impleatur: Arminiani autem pertendunt Deum dare, immò & teneri dare omnibus hominibus gratiam vireſq; ſufficientes ad credendum: vti autem iſta gratia aut non vti, eſſe penes arbitrium hominis.

XIII. Nec verò difficile eſt ab eis extorquere quod volo. Dicat enim nobis Arminij ſchola quid Deũ mouerit ad eligendũ volũtate cõſequente Simonem Petrum, potius quàm Simonem Magum? cur Gregoriũ potiùs quam Iulianũ? Non habẽt quod reſpondeant, niſi id factũ quia in illis Deus præuidit fidem, in his incredulitatem. Itaque etſi obtinerent, fidem præuiſam ex ipſorum doctrina non fieri cauſam cur Deus hunc deſtinauerit ad ſalutem; tamen neceſſe eſt fateantur iuxta Arminium, fidem præuiſam eſſe cauſam diſcriminis inter electos & reprobos, ideoque cauſam eſſe cur hic illi præferatur: Quod ſanè nihil eſt aliud quàm eſſe cauſam electionis. Omnis enim electio eſt comparatiua, & infert alicuius aut aliquorum reiectionem.

XIV. Sic cum voluntate Dei eligentis negant certum esse & definitum numerum electorum, necesse est velint humanam voluntatem causam esse cur talis sit numerus : & sic vnusquisque causa erit cur sit de numero electorum, ac proinde & causa electionis suæ.

XV. Quantumcunque igitur hanc suspicionem à se amotam velint, nunquam tamen abstergent hanc maculam; per quam sunt in Deum contumeliosi, & labefactant fidei firmitatem. Vtpote qui electionem Dei æternam & beneplacitum, ab humano suspendunt arbitrio : & volunt salutem esse volentis & currentis : ponuntque in homine dignitatem aliquam & virtutem, quæ causa sit cur salus huic potius quàm illi sit in æterno Dei consilio destinata : vnde fit vt nutet fides & salus sit incerta : quippe quam etsi Deus certò præscit, non tamen certò & infallibiliter vult, electio enim non est actus præscientiæ, sed voluntatis, hęc autem voluntas quomodo potest esse certa si pendet à re incerta, nempè ab humana voluntate ? Sed hæc obiter : excutientur enim accuratius suo loco.

*Excutitur*

*Excutitur Decretum electionis generalis, qua Arminius vult omnes homines esse electos ad salutem sub conditione fidei.*

## CAP. XVIII.

I. DOCVIMVS cap. 5. voluntatem Antecedentem, prout eam Arminius post Damascenum accipit, merum esse figmentum, & rem in Deum contumeliosam. Hoc fundamento subducto, corruit electio illa vniuersalis, & omnibus hominibus communis, sub conditione fidei præstandæ. Hanc enim electionem generalem Arminius vult pertinere ad voluntatem Dei antecedentem.

II. Quibus adde quæ diximus cap. 12. vbi dissoluimus catenam quatuor Decretorum, quibus Arminiani totam Electionis doctrinam comprehendunt: Ibi demonstrauimus secundum Decretum, per quod salus non decernitur singulis, sed tantum statuitur eos esse seruandos qui credent, non esse Decretum prouidentiæ, nec prędestinationis, sed esse regulam Euangelij, quæ præscribit viam salutis.

III. Solo nomine electionis profligatur hęc quęstio, non enim potest electio esse omnium: Non eligit qui omnia capit: Nec fuisset diluuij tempore Noah ad id electus vt esset superstes diluuio, si nemo hominum di-

luuio perijsset: Is demum eligitur qui alijs præfertur, cæteris spretis, aut post habitis.

IV. Et cùm in omnibus fidei capitibus, debeamus sapere ex scriptura, multo magis in tam sublimi argumento, quod captum nostrum exuperat. Ædant ergo Arminiani quonam loco scripturæ omnes homines dicantur electi, electione ista quæ reprobationi opponitur: (de ea enim hîc agitur) non de electione singulorum volũtate consequente: Quis fando vnquam audiuit, Pharaonem, aut Iudam ad electionem Dei vllatenus pertinere? Petrus quidem 2. Epist. cap. 1. vocationem electioni adiungit, iubens nos firmare vocationem nostram & electionem, id est studio bonorũ operum efficere vt sensus vocationis efficacis & persuasio electionis in dies in nobis augeatur. Sed non ideo vocationem & electionem vult esse eadem, nec omnes quoquo modo vocatos esse electos. Immo *Multi vocati, pauci electi*. Mat. 20. 16.

V. Id quoq; obseruandum, per hanc generalem electionem non decerni quinam sint seruandi, sed quales: atq; ad id trahi ab Arminianis caput nonum ad Romanos, vbi tamen apertè agitur de Dei beneplacito & miseratione erga singulos aliquos, & peculiares personas, quas Deo visum est eligere: Nam illud *Miserebor quorum misertus fuero*, agit de certis quibusdam hominibus; non verò de qualibus: alioqui dixisset *miserebor qualium libuerit*, non verò CVIVS, vel, QVORVM. Nec exempla Isaaci & Iacobi, qui fuerunt singulares quædam personæ, fuissent accommodata ad explicandam electionẽ, non singulorum, sed vel *omnium* vel *qualium*.

VI. Velim vero diſcere ex Arminianis an Iudas, an Pilatus, an Sacerdotes & Scribæ, quorum impulſu & accuſationibus Seruator in crucem actus eſt, fuerint electi conditionaliter, & electione illa generali comprehenſi: Si non fuerunt comprehenſi, concidit illa electio generalis & conditionalis, quam volunt ad omnes homines extēdi. Viciſſim ſi Iudas & Sacerdotes iſti fuerunt electi conditionaliter, decretum Dei de crucifixione Chriſti non potuit eſſe abſolutum, quippe quæ facta eſt conſpiratione hominum, qui electi erant conditionaliter, ſub cōditione quam poterāt implere: Poterat ergo fieri vt ante hoc facinus conuerterentur & fideles euaderent, & ita Chriſtum non crucifixiſſent.

*Greuinc. p. 101.*

VII. Quin & Decreto illo generali quo omnes homines dicuntur electi ſub conditione fidei præſtandæ, apertè Deo illuditur: Ineptum eſt enim decretum quod fit ſub conditione quam is qui decernit, eo ipſo momēto quo decernit, certò ſcit non eſſe implendam. Maximè vero ſi hæc conditio non poteſt impleri niſi ope & virtute eius ipſius qui decernit: Tali enim decreto Deus ſibi ipſi figeret legem non homini. Attamen experimento conſtat Deum non adminiſtrare omnibus media neceſſaria ad hanc conditionem implendam. Non enim omnibus vult annuntiari Euangelium, nec omnibus dat Spiritum regenerationis.

*Decretũ conditionale de quolibet ſi credat ſeruãdo. Et p. 2. Decreuit ſalutem conferre ſub cōditione fidei præſtãda ab ijs quibus ſalutem applicaret.*

VIII. Deniq; quid iudicandum ſit de generali hac electione apparet ex conſectarijs quæ inde deducuntur: Quorum illud eſt præcipuum & longè deterrimum, quo negant electorum numerum eſſe certum & Dei eligentis voluntate præfinitum: vnde fit electio-

*Arnold. p. 192. Numerũ ſtatuitis certũ eſſe.*

*& ex præcisa Dei ordinatione determinatũ, qui nec augeri nec minui possit, idque ex eadẽ ordinatione. Lõgè vero aliter Euangeliũ & vera prædestinationis doctrina, quæ in genere tantum docet quales sint electi.*

nem singularium certam non esse, ex Dei voluntate. Nam si certum esset Dei decreto vt hic aut ille esset de numero electorum, ex singulis iũctis summa integra & certus numerus necessario conficeretur. Illud vero quod Arnoldus ait. p. 192. numerum electorum posse augeri vel minui, tale est vt ad eius auditum nemo bonus non cohorrescat. Nam quid est in Deo minuere numerum electorum nisi mutare sententiam, & eximere numero electorũ quos re non satis probè perpensa, & malè subductis rationibus, in album electorum retulerat, referendos potius in reproborum nigrum?

IX. Eiusdem & πονηροῦ κόμματος est illud Greuinchouii in Amesium p. 136. facientis electionem quãdam dimidiatam & incompletam, eóq; reuocabilem. *In Scripturis* (inquit) *dicuntur electi; 1. incompletè secundùm statum præsentem, quà tales, puta fideles hoc tempore, excepto vltimo vitæ termino in quo 2. electio completur.* En pendulam electionem, per quam pessimus quisque incompletè electus est, & decretum Dei incompletum donec ab homine compleatur. Quę sane non sunt dogmata sed portenta, quæ ex quo Christi nomen in mundo auditur nunquam cuiquam in mentem venerant.

X. At Scriptura docet certum esse numerum electorum. Apoc. 6. animæ quæ sunt sub altari iubentur tantisper expectare donec numerus fratrum impleatur. Tum quod Christus dicit de ouibus sibi datis etiàm ante conuersionem, Ioh. 10. v. 6. Nec non quod dicit venturos ad se omnes quotquot sunt ipsi à patre dati. Ioh. 6. v. 37. Et nullam suarum ouium posse eripi de eius

manu, Ioh. 10. v. 28. apertè indicant numerum earum Dei consilio esse definitũ. Succinit Lucas, apud quem cap. 10. vers. 20. Christus sic affatur Apostolos. *Ne gaudete quod spiritus vobis subijciantur, gaudete vero potius quod nomina vestra scripta sint in cœlis.* Nec minus disertè Apostolus ad Hebræos cap. 12. v. 22. & 23. vbi Ecclesiam vocat *Ierusalem cœlestem & coetum primogenitorum qui scripti sunt in cœlis.* Huc pertinet liber ille vitæ de quo sæpe alibi, tum Apocalypseos cap. 20. agitur, vbi dicuntur coniecti in stagnum ignis, qui non inuenti sunt descripti in libro vitæ.

XI. Arminiani Collationis Hagiensis p. 96. verba Christi *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis* futili interpretatione diluunt. Nolunt enim hæc verba accipi de electione ad salutem : sed volunt esse hunc sensum, Gaudete quod iuxta presentem fidei, iustitiæ & obedientię statum pro pijs & probis immo & pro filijs Dei habemini. Bone Deus vbi frons? Hic sanè, nec ratio nec color: Nam censeri fideles ab hominibus non est habere nomina sua scripta in cœlo. Nec erat cur Apostoli tantopere gauderent quod homines de ijs bene sentirent, cum id pessimo cuiq; sæpe contingat: Et hoc sane longè minus fuisset quam quod ad eorum vocem diaboli contremiscebant & fugiebant : quod tamen Christus censet leue esse præ scriptione nominum in cœlo. Sanè illud *scriptum esse in cœlo*, refertur non ad opinionem hominum sed ad consilium Dei. Estq; phrasis hæc sumpta à Prophetis, apud quos aliquid scriptum esse coram Deo dicitur quod decreto eius fixum est & constitutum. Sic Esaiæ quarto v. 3.

dicuntur *ſcripti ad vitam*, qui Dei conſilio ſeruandi ſunt. Et cap. *65*. v. *6*. *Ecce hoc ſcriptum eſt coram me, non tacebo, ſed retribuam*: quaſi diceret, certum eſt mihi & ſtatutum hæc ſcelera vlciſci.

XII. Pudet effugij quo quidam aiunt ideo nomina Apoſtolorum dici ſcripta in cœlo quia electi erant ad Apoſtolatum. Sic enim Iudæ ipſius nomen fuiſſet ſcriptum in cœlis. Quo nomine tantum abeſt vt debuerit gaudere, vt etiam ipſe eius Apoſtolatus ei ceſſerit exitio. Tum habemus verba Apoſtoli ad Hebræos planè his conſona, quibus fideles vocat *primogenitos qui ſcripti ſunt in cœlo*: quod non poteſt trahi ad electionem ad munus, cùm ad omnes fideles & electos pertineat.

XIII. De libro vitæ maior eſt quæſtio, & longior, neq; huius loci. Non me latet eſſe quendam librum vitæ, qui non eſt liber electionis, ſed catalogus eorum qui ſe membra Eccleſiæ profitentur, & qui viſibiliter ſunt inſiti fœderi, cuius libri fit mentio, Ezechielis 13. v. 9. & Pſalmo *69*. verſ. *29*. à quo libro deleri quoſdam non eſt dubium. At cùm præcipitantur in tartara quotquot deſcripti non ſunt in libro vitæ, planum eſt hoc libro deſignari certum & definitum numerum hominum, qui dum alij deſtinantur igni, ſoli reſeruantur ad vitam: Quorum numerus nihilo plus nunc quam in vltimo iudicio, augeri poteſt nec minui.

XIV. Hæc de prima illa Electione generali, & conditionali. Veniamus ad electionem abſolutam ſingulorum, quam Arminiani volunt inniti præſcientiæ fidei, & fieri ex fide præuiſa. Et prior quidem in ſerie quatuor Decretorum ab Arminio poſitorum ſecun-

dum locum obtinet, posterior vero quartum. Illa pertinet ad voluntatem Dei antecedentem, hæc ad consequentem. Illa antecedit, hęc verò sequitur voluntatem humanam. Illà Arminius dicit Deum frustrari, hac verò non posse frustrari.

---

*Conuellitur electio singulorum ex fide præuisa authoritate scripturæ. Probatur homines non eligi ex fide, sed ad fidem.*

## Cap. XIX.



EX ampla locorum segete quæ scriptura sacra nobis suppeditat edecumabimus quædam quæ plus habent lucis & ponderis.

I. Paulus ad Ephesios cap. 1. v. 3. & 4. hæc habet. *Deus benedixit nobis omni benedictione spirituali in cœlis in Christo, prout nos elegit in ipso ante iacta mundi fundamenta.* Satis apertè docet Apostolus benedictiones spirituales, ac proinde fidem, nobis datas secundùm electionem æternam, & prout eramus electi. Vnde conficitur necessariò electionem esse priorem his benedictionibus & ordine & tempore. Sic qui dicit milites donatiuum accepisse prout visum est Imperatori, omnino dicit prius id visum esse Imperatori, quàm fieret, & voluntatem certam & absolutam Imperatoris, largitionem hanc antecessisse.

Neque leuiora sunt quæ sequuntur. *Elegit nos in*

*Christo ante iacta mundi fundamenta vt essemus sancti & inculpati coram eo per charitatem.* Vides nos electos esse ad sanctitatem, non vero ex sanctitate aut ob sanctitatem? Quod si electi sumus ad sanctitatem, ergo & ad fidem qua præcipuè constat nostra sanctitas. Fidem esse partem nostrę sanctitatis negari non potest, nisi ab eo qui negat incredulitatem in profanis partem esse profanitatis & vitij. Neq; enim fide tantum sanctificamur efficienter, sed etiam formaliter: non secus ac paries ab ipsa albedine formaliter dealbatur. Quod si Arminiani obtinerent sanctitatem de qua hìc agitur sola charitate constare; nihil tamen efficerent, nec minus ex hoc lòco probaretur nos ad fidem eligi. Nam quicũq; electus est ad charitatem necessariò electus est ad fidem quę charitatem gignit. Gal.5.6. Nec est credibile quenquam esse electum ad vnam partem sanctitatis, non vero ad aliam.

Inde ergo depulsi alia quęrunt effugia. Arnoldus p. 66. per *electos* vult intelligi *vocatos*, quasi idem essent *electio* & *vocatio*. At multi vocati, pauci electi, Matt.20. Ergo inter hos electos, si Arnoldo creditur, multi erũt reprobi; nec hęc electio opponetur reprobationi. Idem pag.142. pertendit hos *electos* esse *fideles*, quod sanè falsum est eo sensu quo accipit, nempe eos considerari vt iam fideles cum eliguntur: Nam quomodo possent qui considerantur vt fideles eligi ad sanctitatem, cum eo ipso quod sunt fideles iam sint sancti? Alloquitur quidem Paulus Ephesios quos fideles vocat & benedictos: sed non si nunc sunt fideles & benedicti, ideo fideles erant antequam eligerentur.

Ergo

Ergo aliam bonus vir commentus est stropham, & vult Paulum hîc non agere de electione singulorum, sed de electione qua aliquis populus eligitur ad vocationem per Euangelium. Hoc si verum est, oportet vt inter electos ante mundi fundamenta multi sint reprobi. Sed verba sequentia non admittunt hanc interpretationem, dicit enim Apostolus nos electos, *vt essemus inculpati in charitate*: Nempe vult nos esse electos vt studeamus sanctitati & bonis operibus, at bona opera sunt singulorum, non gentis. Neq; per electos possunt hîc intelligi Gentes in fœdus ascitæ, cùm Paulus ipse se includat hoc numero, *Elegit* NOS *in Christo*, &c. Ipse Arnoldus satis indicat quàm parum fidat huic solutioni dum subiungit alteram quæ hanc euertit; dicit hîc agi de electione ad gloriã, ac proinde per sanctitatem intelligi salutem. At huic effugio Apostolus opportunè occurrit; addit enim, *vt simus sancti & inculpati*: Esse autem inculpatum virtus est non salus ipsa. Tum exponit Paulus quomodo sancti simus, nempe *in charitate*, non verò in fruitione gloriæ. Charitatis officia intelligit, quæ exercentur in hac vita, & ad quæ hortari post hanc vitam superuacaneum est. Denique tam varijs solutionibus quæ se inuicem euertunt, satis fatentur se non habere in quo consistant; Et conantur nos obruere numero solutionum, quia non possunt pondere.

Leue est quod ex hac voce ἄμωμοι 1. *inculpati* colligunt agi de perfectione post hanc vitam. Nam etiam in hac vita Apostolus vult nos esse inculpatos, vt Philip. 2. vers. 15. vbi iubet nos esse, ἀμώμους & ἀνεπιλήπτους

in medio generationis obtortæ & peruersæ. Sanè cùm Apostolus dicit *vt essemus inculpati in charitate*, apparet eum non agere de sanctis fruentibus gloriâ, vbi nec reprehēsioni locus est, nec exhortationi ad charitatis officia. Non parum est virium in sequenti versu. *Prædestinauit nos quos adoptaret in filios per Iesum Christum.* Ex hoc loco sic argumentor. Quos Deus prædestinauit ad adoptionem, prædestinauit etiam ad spiritum adoptionis eis dandum. Hoc autem nihil est aliud quàm prædestinare ad fidem. Nam spiritus adoptionis est ille qui perhibet testimonium in cordibus nostris nos esse filios Dei. Rom. 8. hoc autem testimonium est fides ipsa. Verum quidem est Deum neminem ad adoptionem destinare, nisi quem Deus considerat vt fidelem futurum suo beneficio; sed idem etiam dici potest de destinatis ad fidem, quæ nulli destinatur nisi quem Deus considerat vt fidelem futurum. Et sanè crassè allucinantur qui censent fideles destinari ad adoptionem in filios, cùm hoc ipso quod sunt fideles iam sint filij. Hoc docet Ioannes cap. 1. *Eis qui crediderunt dignitatem dedit qua sint filij Dei.*

II. Huic loco affinia sunt alia quamplurima. 1. Cor. 7. vers. 25. *Misericordiam consecutus sum à Domino vt sim fidelis*, non verò quia me considerauit vt iam fidelem. Ioá. 15. v. 16. *Elegi vos vt afferatis fructum*: Ergo non elegit nos vt consideratos iam fideles, ac proinde iam ferentes fructum. Fingamus Christum hîc agere tantùm de electione Apostolorū ad Apostolatum; Puto tamen neminem esse oris tam duri qui neget idem dici posse de quolibet electorum, quorum nullus est quem

Deus non elegerit vt ſit pius & probus: quemadmodum etiam omnia ſequentia documenta nemo niſi perfrictæ frontis negabit ad omnes fideles pertinere: *Hæc mando vobis, vt diligatis vos inuicem: Si mundus vos odit, ſcitis quod me prius odio habuit*, &c.

III. Non abſimile eſt quod dicit Apoſtolus 2. Theſ. 2. verſ. 13. *Deus vos elegit ad ſalutem per ſanctificationem ſpiritus & fidem habitam veritati.* Nempe dicit nos eſſe electos ad ſalutem adipiſcendam per fidem, non ex fide, & ſic fides eſt electione poſterior, & medium quid inter electionem & ſalutem.

IV. Conſonant verba Ananiæ ad Paulum Actorum 22. verſ. 14. *Deus te elegit vt cognoſceres eius voluntatem*, qua cognitione fides & aſſenſus Euangelio intelligitur, neque enim Paulus magis fuit electus ad cognoſcendum Euangelium quàm ad credẽdum Euangelio. Fuit ergo Paulus electus ad credendum, & ſic electio eius prior fuit eius fide.

V. Idem Apoſtolus 1. Theſſal. cap. 1. verſ. 3. laudans fidem & charitatem Theſſalonicẽſium, harũ virtutum cauſam ab ipſa electione arceſſit. *Indeſinenter* (inquit) *memoria repetentes efficacem veſtram fidem, & laborioſam charitatem, vt qui ſciamus vos à Deo eſſe electos.*

Hîc Arminiani vltro cæſpitant in plana via: nam per electionem volunt intelligi vocationem: Quod ſi verum eſt, ipſi reprobi erunt electi; vtpote qui etiam vocati ſunt. Tum illuditur Paulo, quaſi non eſſet mentis compos. Nam cur diceret Theſſalonicenſibus ſe ſcire eos eſſe vocatos per Euangelium, cùm ipſe Paulus eis prædicauerit Euangelium? Ridiculus eſſet Gram-

maticus qui discipulis à se eruditis diceret, *ego scio vos didicisse Grammaticam.* Arnoldus pag. 66. suspicatur vocem εἰδότες *scientes*, ad Thessalonicenses ipsos referri, quasi Paulus eis diceret, scitis vos esse vocatos. At vir bonus nimis oscitanter hîc egit; non enim vidit orationem Græcam hoc pacto fieri incongruam, nam legendum esset εἰδότων vt quadraret cum ὑμῶν, quod est præcedente versu. Sed diffidens huic solutioni, subolfecit voce *electionis*, debere intelligi *excellentiam* quæ quidem desultoria est licentia: cùm *electio* differat ab *excellentia* toto prædicamento: Illa enim est actio, hæc est qualitas aut relatio. Sanè si eiusmodi portenta interpretationum licet afferre, quid deinceps erit in sacra scriptura quod non possit eludi aut deprauari? Proferat Arnoldus alium locum vbi voce electionis præstantia intelligatur.

Neque verò mirum videri debet quod Paulus dicit se scire electionem Thessalonicensium. Deus enim potuit ei idem reuelare de Thessalonicensibus, quod ei reuelauit de Corinthijs Act. 18. vers. 10. *populus est mihi multus in hac vrbe.* Aut si id non placet, dicendum est, Paulum cùm videret Euangelium à Thessalonicensibus summa lætitia receptum, & multo cum fructu, facilè sibi persuasisse, de isto populo multos ad electionem Dei pertinere.

VI. Idem Apostolus initio Epistolæ ad Titum, se vocat *Apostolum secundùm fidem electorum Dei.* Planum est fidem electorum dici, quia electis est peculiaris, alioqui perperam ornaretur hoc elogio, idque fatente ipso Vorstio, *Fides* (inquit) *dicitur fi-*

*Collat. cum Piscat. sect.* 118

*des electorum Dei, Titi 1. Nempè quia fides est propria electorum nota, &c.* At cur fides est electis peculiaris? An quia quotquot habent veram fidem à Deo eliguntur? At hoc negant Arminiani, quippe qui scribunt de Apostasia sanctorum, & censent sanctissimos quosq; posse deficere. Restat ergo vt fides dicatur electorum quam dat Deus electis, & quæ fructus est electionis.

Hoc telum Arminiani quidam declinant, dicendo, fidei nomine intelligi doctrinam. Malè: nam doctrina Euangelij non est peculiaris electis, nec potest vocari doctrina electorum, cùm etiam reprobis & profanis annuncietur. Hîc ergo videre est Apostolum & Arminium inter se commissos: Paulus ait Fidem esse electorum. Arminius contra, Electionem esse fidelium, & qui vt iam credentes considerantur.

*Arnol. pa. 186. Fides nō est præcisè electorum, sed electio fidelium.*

Pari licentia ludunt in voce electorum, per quos volunt intelligi vocatos & sanctos. Quo tandem modo? cùm iuxta Arminium inter vocatos & sanctos multi sint reprobi? Ergo electi erunt reprobi. Siccine illudi scripturæ? Sed alia videamus.

VII. Insignia sunt Christi verba Luc. 10. v. 20. *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælo*: Christus alloquitur homines viuos & superstites, & qui nondum perseuerauerant in fide ad finem vsque: Nihilominùs tamen, iam eorum nomina erant scripta in cœlo, iam eorum salus certo Dei consilio definita. Fuit ergo eorum electio prior perseuerantiâ eorundem in fide, cōtra quam sentit Arminius qui perseuerantiam in fide vult antecedere ordine electionem, & nos eligi ex fide præuisa.

Quod si, vt volunt Arminiani, electio non est peremptoria & immutabilis, nisi post finalem perseuerantiam; dicendum erit nomina Apostolorum qui tunc primum professionis Christianæ stadium ingrediebantur, sic fuisse scripta in cœlo, vt tamen fuerit penes Apostolos deficere à fide & sic reprobari: Ac proinde eos potuisse efficere vt Christus mentiretur. En quò recidat nouatorum audacia. Porrò in scriptura aliquid dici scriptũ esse in cœlo & coram Deo quod æterno eius consilio statutum est & definitum, probauimus præcedenti capite: vbi & reiecimus putidam illam & temerariam interpretationem Arminianorum, qui habere nomina scripta in cœlis, volunt nihil esse aliud quàm haberi filios Dei ex præsenti iustitiæ statu: idque nullo alio argumento quàm quia sic volunt.

VIII. Paulus Ephes. 2. v. 8. *Gratia seruati estis per fidem.* Non dicit eos seruari ex fide præuisa, sed per fidem vt per medium ad salutem. Quod si Deus non seruat nos ex fide præuisa, neque etiam vult nos seruare ex fide præuisa, neque etiam eligit ex fide præuisa: Eligere enim est velle seruare.

IX. Eadem verba, *Gratia seruati estis per fidem*, apertè dicunt fidem esse medium ad salutem: Quod si salus est finis, fides autem medium, oportet Deus priùs cogitauerit de salute dãda Petro & Paulo, quã de fide eis dãda qua ad salutem peruenirent. Finis enim prior est intentione medijs: Sic habitatio priùs intenditur quàm ædificatio: vita quàm victus, sanitas quàm medicina. Qua fronte ergo Arminiani audent dicere

Deum prius decreuisse dare Petro & Paulo fidem, quàm eis decreuisse salutem?

X. Hic verò Arminius frontem perfricat, & pernegat salutem esse finem Dei, sed salutem & fidem ait esse dona Dei hoc ordine inter se ex voluntate Dei colligata, vt fides salutem præcedat respectu datoris Dei & re ipsa. Hæc sunt verba Arminij quæ citantur & probantur ab Arminianis, in responsione ad Epistolam Vvalachrianorum pag. 93. At præterquàm quod malo credere Paulo docenti nos seruari à Deo per fidem, mihi videtur Arminius id ipsum concedere dum negat. Non est enim consentaneum Deum velle vt fides præcedat adeptionem salutis, nisi quia vult fidem conferre ad salutem. Quod confert autem ad adipiscendam salutem, est medium per quod ad salutem vt ad finem peruenitur: Eum secutus Greuinchouius pag. 12. negat Deum salutem quorundam in particulari tanquam finem intendisse. Et pag. 124. *Fidem dupliciter considerari diximus, vel vt præscriptam & præstandam, vel vt præstitam. Vt præstanda, medium non est, sed conditio, & postulatum: vt præstita, autem medium est homini per quod salutem sub conditione fidei promissam consequatur.* Obseruabit lector præclarum acumen. Hic homo vult fidem tum demum esse medium ad salutem cùm est præstita: id est cùm fides desiit; Nam fidem Arminiani censent tunc esse præstitam, cùm quis ad finem vsque perseuerauit in fide. Quo tempore fidei desinenti succedit visio. Tũc ergo fides (si Arminio creditur) incipiet medium esse ad salutem quando non est fides.

Tum illud, fidem præstitam esse medium homini non Deo, valde dilutum est. Non enim alia de causa fides est medium homini ad salutem quàm quia Deus vult & facit vt homo perueniat ad salutem per fidem. Sic qui cibum dicit medium esse homini ad vitam; dicit etiam medium esse quo Deus vtitur ad vitæ humanæ sustentationem.

XI. Non leue est quod fidem Apostolus eodem loco, vocat donum Dei. *Gratia seruati estis per fidem idq; non ex vobis donum Dei est.* Neque enim solam salutem Apostolus vult esse donum Dei, sed & fidem. Idem enim qui dat finem, dat etiam media. Vt qui dat nobis vitam dat etiam vitę subsidia. Sic cap. 1. ad Philip. vers. 29. *Datum est vobis super Christo*, idest in Christi negotio, *non solũ in eum credere sed etiam pro eo affligi.* Ergo credere in Christum, donum Dei est. Quocirca malè dicimur electi à Deo ex fide præuisa, quandoquidem Deus ipse fidem dat. Neque enim, nisi valde impropriè, dicitur Deus præuidere quæ statuit ipse facere: Non censeretur sani cerebri qui diceret Deum præuidisse Solem futurum rotundum aut splendidum, ipse enim Deus eum in rotunditatem tornauit, eiq; lucem affudit. Quantopere hic errent Arminiani, & ex eorum doctrina sequi fidem non esse donum Dei, vtcunq; aliter aliquando loquantur, videbitur suo loco.

*Ephes. 2. 8.*

XII. Eodem pertinent verba quæ habentur cap. I. vers. 11. *Prædestinati secundùm propositum eius qui omnia effecit ex consilio voluntatis suæ.* Nempe si quem Deus prædestinauit ad salutem, etiam omnia facit quæ sunt necessaria ad executionem istius decreti: Si autem

autem omnia, ergo & fidem. Fides ergo eſt aliquid poſterius prædeſtinatione, ſi quidem pars eſt executionis iſtius decreti.

XIII. Inſignis eſt locus Actorum 13. v. 48. ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον: *crediderunt quotquot ad ſalutem fuerant ordinati.* Paulo prædicante Antiochenis quidam credunt, quidam reſpuunt Euangelium: cauſam cur illi crediderint Lucas hanc affert, nempe Dei ordinationem & decretum. Prior ergo electio eſt fide, quandoquidem electio Dei cauſa eſt cur credatur. Debuerat Lucas, iuxta Arminium, ſic loqui, *& quot quot crediderunt, fuerunt a Deo electi, in fidei ſuæ præmium.* At contra, dicit eos crediđiſſe qui fuerant electi.

Socinus & poſt eum Arminius ſummo ſcelere hũc locum deprauant. Nã per τεταγμένους *ordinatos* intelligunt *diſpoſitos, præparatos & procliues ſeu benè affectos*: quaſi Lucas ſcripſiſſet διακειμένους. Audax ſanè χρηστοφονεῖν, & interpretatio ſine colore & exemplo. Nunquam enim ſcriptura, nec quiſquam quod ſciam vocem τεταγμένοι hoc ſenſu accepit. Quam ad rem cum poſſint plurima exempla congeri, aptiſſima tamen ſunt quæ ſumuntur ex ipſo libro Actorum, vt appareat quo ſenſu Lucas hanc vocem ſemper accipiat. Cap. 15. verſ. 2. ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον, *decreuerunt ſeu conſtituerunt, vt Paulus aſcenderet.* Et Actorum 28. v. 23. ταξάμενοι αὐτῷ ἡμέραν *cum conſtituiſſent ei diẽ.* Sic Paulus ad Romanos c. 13. v. 1. αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν, *poteſtates quæ ſunt, à Deo ſunt ordinatæ ſeu conſtitutæ*: Sic interpretatur hunc locũ Actorum Chry-

ſoſtomus Homil. 30. in Acta Apoſtolorũ, *τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, τουτέστιν ἀφωρισμένοι τῷ θεῷ*, vbi *τεταγμένους* vertit *ſegregatos Deo, & prædeterminatos*. Et author Hypognoſtici l. 6. *Præordinati hoc eſt prædeſtinati*. Tũ etſi vox eſſet ambigua, ratio tamẽ ipſa hoc euinceret. Nemo enim irregenitorũ poteſt eſſe bene diſpoſitus & bene affectus ad vitam æternã: omnes autem hi Antiocheni antequam credidiſſent Euangelio erant irregeniti, ergo malè affecti ad adeptionem ſalutis. Dicat Arminij ſchola, quænam ineſſet latroni qui cum Chriſto crucifixus eſt diſpoſitio ad credendum antequam crederet? aut Apoſtolo Paulo cum inſtar lupi in gregem Chriſti graſſaretur, & turgens Phariſaico faſtu, iuſtitiæ per legem eſſet aſſertor acerrimus? Sed & illud ipſum loquendi genus quod comminiſcuntur abhorret à ſenſu communi. Non enim ſolemus dicere aliquem benè diſpoſitum eſſe aut pronum aut bene affectum ad beatitudinem, ſed ad virtutem. Oportet hæc propenſio ſit ad agendum, non ad fruendum aut adipiſcendum; Sic poteſt aliquis dici propenſus ad exercitationem corporis non ad ſanitatem; ad certamen non ad præmium vel victoriam. Aut ſi cui lubet *diſpoſitum* accipere, pro *cupido*, nemo eſt qui non ſit diſpoſitus ad ſalutem.

Non eſt de nihilo, quod Greca non habent *τεταγμένοι* ſimpliciter, ſed *ὅσοι τεταγμένοι ἦσαν*, *quotquot ordinati fuerant*, quo pluſquam perfecto apertè ſignificatur non præſens diſpoſitio ſed ordinatio dudum antegreſſa.

Fruſtra ſunt qui per *ordinatos* intelligi *diſpoſitos* inde

colligunt, quia ibidem opponuntur indignis. Nam Lucas nullam facit hîc oppositionem, nec si faceret quicquam nobis officeret, qui scimus electione ipsa ad fidem & salutem homines fieri dignos, ac proinde & oppositos indignis. Interea iudicet lector, qualis sit & quam nefaria hæc doctrina quæ statuit homines esse *dignos* antequam credāt, & inter infideles inueniri qui digni sint fide & salute.

XIV. Marci 13. versu. 22. *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa & miracula ad seducendum, si fieri posset, etiam electos.* Αἰτιολογία est in voce *electos*; Assignatur enim causa, cur aliqui seduci finaliter non possint, nempe quia sunt electi. Est igitur electio prior perseuerantia in fide ad finem vsque; vtpote causa perseuerantiæ. Quod autem causa est perseuerantiæ in fide, causa est fidei. Quod causa est cur quis semper credat, causa est cur credat. Concidit ergo Arminij dogma quo statuit non modo fidem sed & perseuerantiam in fide esse priorem electione, & Deum in eligendo eam considerare vt conditionem iam præstitam & impletam.

XV. Non debent omitti verba Apostoli 2. Timot. cap. 2. vers. 9. *Seruauit nos & vocauit vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, quæ data quidem est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia.* Hæc mihi videntur cum Arminianismo pugnare ex diametro. Apostolus enim non modo negat nos seruatos ex præuisione operum, sed & æternum Dei beneplacitum affert ad excludendum respectum operum. At si Deus nos non elegit ex præuisione ope-

rum, ſanè nec ex præuiſione fidei quæ gignit opera, & efficit: Quod ſi Deus non eligit quenquam ex præuiſione operum, ſanè nec ex recto vſu gratiæ, nec ex obſequio fidei, quandoquidem hic vſus & obſequium manifeſtè opus eſt. Nec dubium quin amplecti Euangelium fide, ſit quoddam opus & actus voluntatis.

XVI. Quid quod Arminius non modo fidem agnoſcit eſſe actionem, ac proinde & opus, ſed & pertendit fidem imputari in iuſtitiam, non qua inſtrumentum, id eſt, non qua Chriſtum apprehendit ſed quatenus eſt opus & actio? Verba Arminij, afferuntur à fratribus VValachrianis, in ſua Epiſtola; ſunt autem hæc. *Fides non qua inſtrumentum ſed qua actio imputatur in iuſtitiam, quanquam propter illum quem apprehendit.* Neque Arminiani in ſua reſponſione eunt inficias, ſed vltro agnoſcunt hæc eſſe verba Arminij, eumq; tuentur pag. 87. Iidem præcedenti pagina fatentur Petrum Bertium, virum inter Arminianos præcipui nominis, ſentire, *ipſum actum fidei in iuſtitiam nobis ſenſu proprio imputari, ac proinde fide nos ceu qualitate inhærente iuſtificari.* Quod vlcus hic non attingo: ſed id tantùm arripio quod facit ad rem præſentem; nempe cum ipſa fides non ſolum ſit actio & opus, ſed inſuper ex mente Arminianorum, iuſtificemur fide quatenus eſt actio & opus & virtus inhærens; planum eſt eo ipſo quod Apoſtolus vtitur beneplacito æterno ad excludendam præuiſionem operum, etiam excludi præuiſionem fidei, quandoquidem ipſa quoq; opus eſt, & actio, immo & iuſtificat quatenus actio eſt, ſi Arminio creditur.

*Arnol. Contra Gomarũ p. 41. Arminius dicit ipſum credere in Chriſtum nobis in iuſtitiam imputari non vt inſtrumentum, & pag. 35. dicit fidem æſtimari pro obedientia & opere. Vorſt. Catal. Errorum Sibr. p. 41. Fides nobis ad iuſtitiã imputatur formaliter. Bertius Epiſt. ad Sibr. p. 69. 79. Non eſt ineptum dicere, cum Deus ipſe id dicat, nos habitu ſeu qualitate inhærente iuſtificari. Idem dicit Vorſtius Catal. Errorum Sibrandi p. 61. & p. 54. Impius per pœnitentiam iuſtificatur.*

XVII. Eodem pertinet illud Rom. 9. 11. *Propositum Dei quod est secundum electionem non ex operibus sed ex vocante*: si quidẽ fides ipsa opus est, & iustificat quatenus opus est, vt volunt Arminiani: & rectè vti gratia est operari.

XVIII. Scriptura agit de Decreto electionis, vt de decreto certo & immutabili. 2. Timoth. 2. vers. 19. *Solidum fundamentum Dei stat, habens hoc sigillum, nouit dominus qui sui sint.* Et Rom. 9. *Vt propositum Dei quod est secundum electionem maneret.* Et Ioh. 10. v. 28. *Do ouibus meis vitam æternam, non peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea.* Et cap. 6. vers. 37. *Quicquid Pater dat mihi veniet.* Quibus adde quod est Marci 13. *electos* non posse seduci. An Pilatus putauit esse nefas, crucis elogium à se scriptum immutare: & res erit digna Dei sapientia & maiestate inducere à se scripta, & à se relatos in album electorum, mutatà sententia expungere? Malè igitur sentit de Deo, & subuertit doctrinam Euangelij quisquis decretum electionis hominum, vult esse mutabile & reuocabile, & pendere ab humana voluntate. Audiuimus Greuinchouium negantem Decretum electionis, dum hîc viuimus, esse peremtorium & irreuocabile. Et tota Arminij schola vno ore clamat numerum electorum Dei electione & voluntate nõ esse certum atque definitum. Quod si numerus electorum ex Dei voluntate non est certus, ergo nec ipsa electio. Et sanè meritò faciunt electionem mutabilem qui eam à voluntate humana suspendunt. Electionem enim volunt niti præuisione fidei, fidem autem ipsam pendere ab humano arbitrio. Gratiam quidem præuenien-


tem & concomitantem dicunt esse necessariam ad credendum: Sed huius gratiæ vsum volunt esse penes humanam voluntatem, cuius semper sit ea libertas vt possit ista gratia vti aut non vti. Et videbimus suo loco, Arminianos docere gratiam Dei non esse causam totalem fidei, sed tantum partialem.

XIX. Denique passim inuenias electionem fieri ex Dei proposito & beneplacito, & ex mera eius gratia, vt 2. Tim. 1. 19. Ephes. 1. vers. 5. & 6. & 11. Rom. 9. 15. & 11. vers. 5. At quenquam eligi ex præuisa fide nuspiam inuenio: nec Arminiani id aliter probant quàm consequentijs longè petitis; quas tamen excutiemus suo loco & ordine.

---

*Electio ex fide præuisa refutatur locis petitis ex Euangelio Ioannis.*

CAP. XX.



VOD si ipsius Christi testimonio statur, cessabit hæc contentio. Is in Euangelio secundum Ioannem, multa dicit quæ hunc nodum secant, & nullum locum relinquunt dubitationi.

I. Ioannis sexto vers. 37. sic affatur Iudæos. *Quicquid dat mihi pater ad me veniet.* Venire ad Christum est credere; sic enim ipse Christus explicat v. 35. *Qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet vnquam.* Poterat vtrobique dicere, qui venit non esuriet nec sitiet: sed posteriori loco posuit *credere* pro *venire*, vt sciamus cre-

dendo ad Christum veniri. Mens ergo Christi est eos qui ipsi sunt dati à Patre in ipsum credituros. Dantur autem Filio, qui ad id ei dantur vt eos seruet & sint eius peculium. Sensus ergo horum verborum, *quicquid mihi dat Pater ad me veniet*, hic est. *Quoscunque Pater mihi dat saluandos, in me credent.* Ergo prius dati sunt Christo quam veniant & credant: si quidem ideo veniunt ad Christum & credunt quia ei dati sunt. At Arminius vult eos prius credere quam dari, vult enim eligi ac proinde & dari Christo ex fide præuisa: Christus dicit ideo eos venire quia ei dati sunt à Patre: sectarij contra volunt ideo eos esse datos quia veniunt.

Non alio in loco magis se detegit horum hominum cerebrosa peruicacia. Per eos *qui dati sunt Christo* volunt intelligi credentes, quasi Christus diceret, *omnis credens in me, ad me veniet.* At iam probauimus, venire idem esse quod credere. Sensus igitur horum Christi verborum, iuxta Arminium, erit, *Quicunque credit in me credet.* His adde quod cùm in electione Arminiana fides & perseuerantia in fide consideretur vt iam præstita, ac proinde qui eliguntur considerentur vt defuncti, aut in ipso vitæ mortisq; confinio, dici non possunt venire qui iam vitæ cursum emensi sunt. Nec verò per eos qui dati sunt Christo possunt intelligi qui se prius Christo dediderunt, hoc enim non esset dare eos Filio, sed velle vt filius venientes ad se recipiat. Ille quidem venientes recipit, sed qui ideo veniunt quia Christus eos traxit, vt ipse dicit vers. 44. *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.*

Collatores Hagienses Arminiani p.87. suspicantur,

per *datos filio* intelligi non quidem *fideles*, ſed *datos ad credendum.* At cũ Arminiani cenſeant etiam reprobos datos eſſe ad credendum, & Deum ſeriò eorum ſalutem & fidem intendere, falsò dicerentur à Chriſto venturi eſſe, id eſt, credituri quotquot ei ad credendum dati ſunt. Ipſa Chriſti verba clamant & ſenſus communis hoc euincit per datos Chriſto intelligi Chriſti peculium, ac proinde electos: quandoquidem hîc dati Chriſto à non datis diſcernuntur.

II. Iohan 8. verſ. 47. *Propterea non auditis quia ex Deo non eſtis.* Ergo qui audiunt & credunt ideo audiunt & credunt quia ex Deo ſunt. Ex Deo autem eſſe quid aliud eſt quàm ad Deum pertinere? quemadmodum ex aduerſo verſ. 44. dicuntur eſſe ex diabolo, qui pertinent ad diabolum. Cum ergo Chriſtus ipſe teſtetur ideo aliquos credere quia ad Deum pertinent, quis non videt neceſſe eſſe vt prius ad Deum pertineant quam credant, quandoquidem pertinere ad Deum cauſa eſt cur credant?

III. Nec minus roboris in verbis Chriſti Ioh. 10. v. 26. *Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis.* Ergo ij qui credunt, ideo credunt quia ſunt ex ouibus Chriſti. Non vt ARMINIUS qui ideo vult eſſe ex ouibus Chriſti quia credunt. ARMINIANIS placet per oues Chriſti intelligi credentes. Ergo vero non inficior oues Chriſti eſſe eos qui credunt. Sed pernego vocem ouium hoc loco poſſe ſic accipi. Sic enim affingeretur Chriſto putida ταυτολογία, *Vos non creditis quia non creditis.* Indicio eſt quod paulò ante oues ſuas vocauit etiam eos qui nondum conuerſi ſunt. *Alias* (inquit) *oues habeo quæ non*

*non ſunt ex hac caula, illas quoque me oportet adducere vt vocem meam audiant.*

IV. Sic Iohan. 17. v. 6. *Pateſeci nomen tuum illis quos dediſti mihi.* Ergo prius erant dati quam Chriſtus eis nomen Dei pateſeciſſet, qua patefactione fidem acceperunt. Collatores Hagienſes Arminiani pag. 87. cenſent hîc agi de Apoſtolis qui iam credebant. Sed nihil efficiunt: hoc enim conceſſo ſtat tamen quod volo, prius datos Apoſtolos Chriſto quam ſe eis pateſeciſſet. Veruntamen non agi hic de ſolis Apoſtolis ipſe Chriſtus diſertè teſtatur. v. 20. *Non tantum pro ijs rogo, ſed & pro ijs qui per ſermonem eorum credituri ſunt in me.* Et cum v. 9. opponuntur mundo; *Pro eis non pro mundo rogo,* apparet ad omnes fideles hæc extēdi. Niſi fortè Arminij ſchola exiſtimat ſolos Apoſtolos non eſſe de mundo, & mundi maledictione eximi. Porrò cum nulla ſit pars ſcripturæ, quæ plus afferat ſolatij, & fidem cum tentationibus luctantem magis fulciat, quam hæc Chriſti planè diuina & prolixa precatio, quia Chriſti intercedentis pro nobis petitiones, ſunt totidem promiſſiones tacitæ, & declarationes voluntatis Patris quæ cum filij petitione ſemper conſpirat, viderint Arminiani quo agantur ſpiritu, & cur tanto ſtudio conentur nos fraudare hac conſolatione: quæ ſanè nobis eripitur, ſi hæc Chriſti precatio pro ſolis Apoſtolis intercedit: & ſi per eos qui dati ſunt Chriſto ſoli Apoſtoli deſignantur.

*Idem probatur ex octauo & nono & vndecimo capite ad Romanos.*

## CAP. XXI.

PAVLVS octauo ad Romanos, de prædestinatione agens, omnes erroris nebulas facilè discutit. Verba eius hæc sunt, verſ. 28. & 29. & 30. *Nouimus ijs qui Deum diligunt, omnia ſimul conferre ad bonum, ijs videlicet qui ex propoſito ipſius vocati ſunt. Nam quos præſciuit eoſdem & prædeſtinauit, vt conformes fiant imagini filij ſui, vt is ſit primogenitus inter multos fratres. Quos vero prædeſtinauit eos etiam vocauit: & quos vocauit eos etiam iuſtificauit, quos autem iuſtificauit eos etiam glorificauit.*

I. Principio occurrit illud, nos prædeſtinatos eſſe vt conformes fiamus imagini Chriſti. Cum autem hęc conformitas in hac vita ſit per fidem & charitatem, planum eſt ex Apoſtolo, nos ad fidem prędeſtinari, non vero ex fide. Scio quidem Chriſtum ipſum non habere fidem, prout fides in Euangelio accipitur: Sed cum conformitas fidelium cum Chriſto poſita ſit in charitate, iuſtitia, & ſanctitate, & hęc ſint effecta fidei quæ per charitatem operatur, quicunque dicit nos ad charitatem & iuſtitiam eſſe prædeſtinatos, dicit quoq; nos ad fidem deſtinatos eſſe quæ iſta omnia efficit: non ſecus ac qui deſtinatus eſt ad inceſſum aut reſpirationem, deſtinatus eſt ad vitam.

II. Quid hîc Arminiani? nempe per cõformitatem cũ Christo intelligunt crucem & ęrumnas pro Christo. At reclamant sequentia: additur enim, *vt sit primogenitus inter multos fratres.* Est enim Christus primogenitus filiorum Dei, cum alijs de causis, tum quia donis Spiritus liberalius instructus, exemplar est iustitiæ & sanctitatis; *vnctus oleo exhilarante supra consortes.* Psal. 45. non secus ac primogeniti plus capiunt de paternis bonis. Vt verò primogenitus dicatur ob crucem & ærumnas, nouum est & insolens, & abhorrens à ratione. Tum quod dicit Paulus certum est ad omnes fideles pertinere. Addit enim *quos prædestinauit vocauit, quos vocauit iustificauit, quos iustificauit glorificauit.* Quatuor sunt istius catenæ annuli, glorificatio, iustificatio, vocatio, prædestinatio ad conformitatem imagini Christi, ijq; ita conserti & implexi vt nulla ratione possint diuelli. Omnes enim glorificati iustificati sunt, omnes iustificati sunt vocati vocatione illa efficaci quæ electis peculiaris est, omnes sic vocati destinati sunt vt sint conformes imagini Christi. Dicant sectarij annon glorificatio, iustificatio, & vocatio ad omnes electos pertineant? Non negabũt: cur non igitur conformitas imagini Christi ad omnes electos pertinebit? Nam Arminius dum hanc conformitatem ad ærumnas restringit, multos electos facit non conformes Christo, quippe cum plurimis Dei seruis, etiam optimis, contigerit pax non interrupta, & otium cum honore: An Arminiani ipsi se ex numero electorum expungunt, qui in alta pace obliti crucis Christi, hanc Camarinam mouerunt exitialem sibi

& Ecclesię? Non me latet hæc dici ab Apostolo ad consolationem afflictorum, quibus ait omnia cedere in bonum. Sed quid obstat quo minùs soletur eos documentis quæ ad omnes fideles pertineant? Sic Apostolus Petrus cap. 2. prioris Epistolæ, cum iussisset seruos subiectos esse heris, non modo bonis, sed etiam prauis & asperis, mox eosdem ad tolerantiam hortatur, documentis quæ sunt omnibus Christianis communia, monens placere Deo si quis molestias perferat ob conscientiam; Christum innocentem ideo passum, vt nobis relinqueret exemplar, quò insisteremus eius vestigijs. Nec dubium est quin hi prędestinati ad conformitatem imagini Christi, ijdem sint cum eis quos ibidem dicit vocatos ex Dei proposito. At non ij soli qui sunt afflicti pro Christo ita sunt vocati, sed & omnes electi, inter quos multi sunt expertes persecutionum.

III. Imprimis obserua Paulum hîc agere de electione singulorum; QVOS *Prædestinauit* &c. & QVOS *glorificauit*, quidam enim ijque pauci glorificantur. Hanc electionem singulorum nouatores volunt esse posteriorem vocatione, eos enim demum volũt eligi quos Deus præuidit secuturos vocantem, & statuunt electionem niti hac præuisione. At Paulus hîc electionem facit priorem vocatione, dum ait, *quos prædestinauit vocauit, quos vocauit iustificauit, quos iustificauit glorificauit.* Nempe vt ordine & tẽpore iustificatio prior est glorificatione, & vocatio iustificatione, ita & prædestinatio singulorum prior est vocatione.

IV. Sed operę pretium est istius Apostolicæ catenæ

annulos recognoſcere. *Quos prædeſtinauit vocauit, quos vocauit iuſtificauit, quos iuſtificauit glorificauit.* Vides ne nos prædeſtinatos ad vocationem, & per hanc ad iuſtificationem? cum autem fide iuſtificemur, ſequitur nos ad fidem prædeſtinari. Nam quomodo poteſt prędeſtinari ad iuſtificationem per fidem, qui non prędeſtinatur ad fidem? Hæc quidem iugulum petunt.

V. Mitto quod Arminiani euertunt illud Pauli, *quos iuſtificauit & glorificauit*, dum aſſerunt multos iuſtificatos eſſe qui ſunt reprobi. Hoc clarè ædunt Epiſtola aduerſus VValachrianos pag. 40. *Iuſtificati dici poſſunt pro tempore credentes quos euentus reprobos demonſtrat.*

VI. Eodem capite v. 16. dicit *Spiritum Dei teſtari vnà cum ſpiritu noſtro nos eſſe filios Dei.* Quæro an hoc teſtimonium ſit certum, an dubium? Si eſt dubium arguitur Spiritus Dei mendacij. Si certum, quæro quo firmamento nitatur hæc certitudo. An nititur viribus arbitrij? at hæc certitudo eſt incerta & fallax. An verò hoc teſtimonium certum eſt quia non datur niſi iis quos Deus certò deſtinauit ad ſalutem? At hoc ipſum eſt quod aſſerimus, & quod Arminiani negant.

VII. Non minus eſt virium in Capite 9. ad Romanos, vbi Apoſtolus de electione & reprobatione pertractatę agit & prolixè. Scopus Apoſtoli eſt docere non ex operibus legis, ſed ex Deo vocante & miſerente eſſe electionem & ſalutem: non verò (vt fingit Arminius) agere de iuſtificatione per fidem. Non repetam ea quæ dicta ſunt capite 15. vbi repreſſimus Arminium cruciantem Apoſtolum, vt eum inuitum ad ſuæ cauſæ patrocinium pertrahat.

VIII. Tantùm obseruabit sedulus lector, Paulum postquam egit de proposito secundum electionem, mox subijcere exemplum istius electionis Iacobum, quem Deus amauerit antequam quicquam egisset boni vel mali, ergo & antequam credidisset, hoc enim est aliquid agere, & sic electio præcessit fidem. Immo quamuis credere Euangelio, eiq; obsequi non esset actio, si tamen electio præcessit considerationem operum, oportet quoq; præcesserit considerationem fidei, à qua fluunt opera. Nam si fides præcederet electionem, Deus in eligendo non posset considerare fidem nisi vt gignentem opera: alioqui consideraret fidem, non qualis est, sed qualis non est.

IX. Tum illud v. 16. *Non est volentis neq; currentis, sed miserentis Dei*, falsum esset, si ex fide præuisa Deus hominum misereretur. Arminiani enim hoc mordicus tenent summoq; studio defendunt, Deum dare omnibus vires credendi in Christum, immo & teneri dare. Ad credendum vero actu quantamcunq; gratiam Deus det, esse tamen penes liberum arbitrium hac gratia vti vel non vti, credere vel non credere. Eum autem à Deo eligi quem crediturum prǫuidit, & quem iam vt credentem considerauit. Iuxta hanc doctrinam meritò potest dici, salutem esse volentis & currentis, & non tantùm miserentis Dei. Quod si ideo Paulus dicit non esse volentis, quia non est solius volentis, cur non fas erit quoq; dicere, non esse miserentis Dei, quia non est solius miserentis, sed humani quoque arbitrij?

X. Quod si ad quæstionem qua quæritur cur Deus

ex vna eademq; maſſa hunc quidem amauerit illum. oderit, huius miſertus ſit, illum obdurauerit, poteſt reſponderi id factum eſſe quia Deus præuidit hunc crediturum, illum non crediturum, non debuit Paulus ſciſcitatorem increpatione compeſcere, eiq; imperare ſilentium, cum cauſa diſcriminis eſſet in promptu, nempe hîc fides, illic incredulitas præuiſa. An Paulus Arminio viſus eſt aut parum acutus, aut ſine cauſa religioſus? Veruntamen ne hoc dicere cogeretur, commentus eſt neſcio quas ſtrophas & portenta interpretationum quæ iugulauimus cap. 15. Qualia hæc ſunt, *ex vocante*, id eſt, *ex fide*. Et *miſerentis Dei*, id eſt, *iuſtificantis non ex operibus ſed ex fide*, quæ tamen miſeratio communis ſit etiam multis reprobis. Tum illud *Miſerebor cuius miſerebor*, vbi per *cuius* vult intelligi *qualium*. Et *non volentis*, ſupple *iuſtitia*. Nam de ſalute hæc negat intelligenda, quaſi ſalus eſſet volentis. Quemadmodum & *miſereri*, ſi fides Arminio, non eſt *ſaluare*, ſed dare media ad iuſtitiam. Et plura eiuſmodi inficeta aut obtorta, quæ cap. 15. excuſſimus.

XI. His adde illud vndecimi ad Romanos. *Hoc tempore reſiduum ſecundum electionem gratuitam factum eſt.* Hoc reſiduo ſeu portione reſeruata, intelliguntur Iudæi qui Chriſto adhæſerunt, & qui cum cæteris non exciderunt fœdere: Habemus ergo cauſam cur hi perſeuerauerint in fide nec exciderint gratia, nempe quia reſeruatio facta eſt ſecundum electionem gratuitam. Ergo perſeuerantia in fide eſt ſecundùm electionem gratuitam, non vero (vt vult Arminius) electio ſecundum perſeuerantiam in fide.

Arminius vt hunc locum eludat, dicit hic agi de electione ad iustitiã non de electione ad fidem: Quod etsi falsum est, non tamen infringit huius loci vim & euidentiam: Nam quisquis electus est ad iustitiam electus est ad fidem. Et sanè non possum satis mirari quod dicit Arminius pag. 222. *Quid est illud quod est per gratiam? Electio ad fidem? nihil minus: sed electio ad iustitiam,* quasi vlla esset iustitia sine fide: aut quasi qui respuit fidem non respuat etiam iustitiam. Hæc sanè Socinianismum crepant, & indicant aliquid subesse occulti vlceris. Tum quid attinet pertendere hic agi de electione ad iustitiam, cum ne hæc quidem certa sit ex Dei voluntate, iuxta Arminium, sed pendeat ex humano arbitrio?

*Arm. in Perkinsum, p. 222.*

XII. Arnoldus pag. 346. cautius agit. Censet hic agi de reiectione Iudæorum & assumptione gentium: Sed vox residui seu reseruationis hoc refellit, nam hinc, vt etiam ex versibus præcedentibus, apparet Paulum inquirere causam cur de Iudęis pauci tantum residui ad fœdus pertineant. Postea explicaturus quomodo in locum cæterorum qui reiecti sunt & amputati Gentes fuerint insitæ.

Deniq; aduersus hæc scripturæ loca Arminiani quantumlibet acuti ita φυγομαχοῦσι, ita cessim pugnant, ita ipsi se implicant, vt vel nolle intelligi, vel causæ suæ diffidere videantur. Cæterùm si vera dicunt, certum est neminem hactenus quid sit religio Christiana intellexisse.

Eadem

*Eadem electio ex præuisa fide refellitur ratione.*

## CAP. XXII.

I. SCRIPTVRÆ sacræ ratio ipsa suffragatur. Nam si perseuerantia in fide consideratur in electione Dei vt res iam pręstita, nemo eligitur nisi consideratus vt mortuus, & iam consummato cursu, nemo enim potest dici perseuerauisse vsq; ad finem, nisi qui ad finem peruenerit.

II. Hinc etiam patet ipsum ARMINIUM secum pugnare: Dicit enim electionem esse credentium: at mortui desierunt credere: Debuit ergo ARMINIUS, vt sibi ipse constaret, dicere electionem esse eorum qui desierunt credere: non vero credentium.

III. Tum si electio ad gloriam fit ex aliqua virtute præuisa, Christus ipse qua homo non fuit prædestinatus ad gloriam. Neq; enim ad tantum culmen gloriæ euectus est ex præuisione vel fidei, vel operum, vel vllius virtutis. Quicquid enim inest Christo homini virtutis & sanctitatis, fluit ex vnione personali cum diuinitate, & ex puritate conceptionis, per quam fuit immunis ab originali labe. Hæc ergo eius sanctitas non potest dici præuisa sed decreta. Nec prædestinatus est ex sanctitate sed ad sanctitatem. Vt autem electio capitis contraria sit electioni membrorum, & caput ad

T

virtutem, membra ex virtute sint electa, nulla ratio admittit.

IV. His adde quod dum electio dicitur esse ex fide præuisa, statuitur electio quæ ad infantes immatura morte sublatos pertinere non potest, quippe qui carent fide.

V. Immo nec electio ex fide præuisa potest dici electio, sed est admissio & receptio eorum qui fide ad Christum veniunt, & qui per liberum arbitrium bene vtentes gratia, prius Deum eligunt in quo ponant fiduciam, quam à Deo eligantur. Christus contra Ioh. 15. v. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Arminiani dum pertendunt hic agi tantum de electione ad Apostolatum, non obscurè fatentur hunc locum ipsis officere, si ibi agatur de electione ad salutem. Volunt ergo in salutis negotio Deum eligi ab homine, antequã homo eligatur à Deo. Age verò, demus hîc tantùm agi de electione ad Apostolatum: id enim causam nostram non parum iuuat. Nam si Apostoli electi sunt ad Apostolatum non ex præuisa aliqua virtute, sed electi sunt ad recipiendas virtutes & dona per quæ Apostolatu fungerentur, multò magis consentaneum est hominem non eligi ad salutem ex virtute vlla præuisa, cum salus æterna sit longè maius bonum Apostolatu, & longius summotum à viribus humanis, nostrúmque captum magis excedens, ac proinde sit res ad quam multo magis opus est ope Dei, & quæ minus est humani arbitrij quam Apostolatus adeptio.

VI. Per eadem doctrinam, fides in Christum fit res humani arbitrij, penes quod sit vti gratia vel non vti,

credere vel non credere: & viribus ad credendum irresistibiliter datis vti vel non vti. Profecto nunquam Arminius dixisset electionem esse ex fide præuisa, si putauisset Deum certis quibusdam hominibus quos elegit ad salutem, fidem quoq; dare decreuisse. Nullum enim agnoscit Dei decretum præcisum & necessarium de dando cuiquam ipso actu credendi. Esset enim inepta hæc oratio, *Deum elegisse Paulum, quia præuidit se ei daturum fidem.* Omnino si in electione fides consideranda est vt iam præstita, & cui innitatur electio, oportet Deus eam non effecerit. Alioqui Deus diceretur velle saluare aliquem quia cõstituit ei dare fidem: cum contra ideo det fidem alicui, quia eum saluare certa & immutabili voluntate decreuit.

VII. Quid sentiendum sit de hac doctrina colligere est ex consequentibus, quæ ipsi huic fundamento superstruũt: qualia hęc sunt. Dei electio in hac vita non est certa nec irreuocabilis. Numerus electorũ Dei voluntate & electione non est certus & definitus. Gratia Dei non est causa totalis fidei. Quæ quidem est capitalis oratio, & fidei fundamenta subruens: vt iam probauimus, & deinceps eadem de re plura dicentur.

*Armin. in Perkinsum p. 223. & 224. Causa totalis cur iste credat iste non, est volũtas Dei & liberum arbitrium hominis.*

Quid quod per hoc dogma nemo potest credere se esse electum? nam si quis crederet se esse electum, crederet quoq; suam fidem esse electione posteriorem: Sic qui credit se esse hominem, erat homo antequam id crederet. Quod si fides & perseuerantia in fide præcedit electionem, is qui credit in Christum potest quidem præsumere aut sperare se electum iri, postquam perseuerauerit: at se iam electum esse credere non po-

test, cũ iuxta Arminium nemo eligatur nisi postquam crediderit, & cum credere desierit. Ideo ne exitialis hęc doctrina Belgicarum Ecclesiarum laniauit viscera, vt ex animis euelleret fiduciam electionis? & vt nemo nisi impudenter & falsò crederet se à Deo electum esse ad salutem?

---

*Sententia Augustini de electione, ex fide præuisa.*

CAP. XXIII.



DEBEMVS Pelagio eiusque sectarijs eruditos tractatus AVGVSTINI, & plenos bonæ frugis, quibus capita fidei Christianæ de gratia, de libero arbitrio, & de prædestinatione plenius & planius quam quisquam explanauit: Nam antè Pelagium hæc παχύλως & non satis accuratè tractabantur. Ipse AVGVSTINVS libro de Prædestinatione sanctorum cap. 3. & Retractationum lib. 1. cap. 24. & sæpe alibi fatetur se inter initia his de rebus parum consideratè scripsisse: virum sanctum non puduit mutare sententiam postquam ad hanc contentionum cotem ingenium subegit, & ex collisione exilierunt scintillæ veritatis.

Profligata Pelagij hæresi, manebant tamen in Gallia reliquiæ Pelagianorum, qui ad declinandam inuidiam, ne Pelagio fauere viderentur, naturam distinguebant à gratia: Sed gratiam sufficientem affirma-

bant omnibus hominibus offerri, & tam latè patere quàm naturam. Electionem quidem agnoſcebant, ſed conditionalem & non abſolutam. Eligi enim à Deo quos credituros præuidiſſet & benè vſuros gratia: Suntq; hæc eorum dogmata. *Electionem eſſe ex fide præuiſa.* Et *numerum electorum non eſſe certo Dei decreto definitum.* Doctrinæ vero Auguſtini de electione ſecundùm propoſitum fructum dicebant eſſe vel deſperationem, vel torporem, ſi nec reprobatus poteſt vllo labore & contentione ſeruari, nec electus poteſt vllà negligentia regno priuari. Eorum verba lubet hic aſcribere, excerpta ex epiſtola Proſperi ad Auguſtinum quæ inſerta eſt Tomo 7. operum Auguſtini. *Definiunt vniuerſis hominibus propitiationem quæ eſt in ſacramento ſanguinis Chriſti ſine exceptione eſſe propoſitam: vt quicunque ad fidem & ad Baptiſmum accedere voluerint, ſalui eſſe poßint. Qui autem credituri ſunt, quiue ex fide quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuãda manſuri ſunt, Deum præſciſſe ante mundi conſtitutionem: Et eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum quos gratis vocatos dignos futuros electione & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præuiderit*, &c. Auguſtini vero ſententiam dicunt *lapſis curam reſurgendi adimire, & ſanctis occaſionem torporis afferre*, &c. *Non acquieſcunt prædeſtinatum electorum numerum nec augeri poſſe nec minui.* Hic quidem merus eſt Arminianiſmus: eadem ſententia: ijſdemq; calumnijs inceſſimur quibus Auguſtinus.

Aduerſus hos Semipelagianos vir ſanctus ſcripſit librum de prædeſtinatione ſanctorum: ex quo non abs re erit loca quædam exſcribere.

Cap. 3. *Legimus, dicente Apostolo, Misericordiam consecutus sum vt fidelis essem. Non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur, sed data est etiam vt esset fidelis.*

Cap. 17. *Intelligamus vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant. Hanc enim & Dominus ipse satis aperit vbi dicit: Non vos me eligistis, sed ego elegi vos. Nam si propterea electi erant quoniam crediderunt ipsi eum prius vtique elegerant credendo in eum, vt eligi mererentur.* Et paulo post. *Non elegerunt eum vt eligeret eos, sed vt eligerent eum elegit eos: quia misericordia eius præuenit eos secundum gratiam non secundum debitum.* Et eodem capite, *Elegit ergo Deus fideles, sed vt sint, non quia iam erant. Eligendo ergo facit diuites in fide sicut hæredes regni: rectè quippe hoc in eis eligere dicitur quod vt in eis faciat eos elegit. Rogo quis audiat Dominum dicentem; non vos me eligistis sed ego vos elegi, & audeat dicere credere homines vt eligantur, cum potius eligantur vt credant?*

Cap. 18. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem vt essemus sancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus sed vt essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est: Ideo quippe tales eramus futuri quia elegit ipse, prædestinans vt tales per gratiam eius essemus.*

Cap. 19. eadem repetit, & hæc insuper addit. *Cum ergo nos prædestinauit opus suum præsciuit qui nos sanctos & immaculatos fecit.*

Ibidem Pelagiani reijcientes electionem ex præuisis operibus hærent in sola præuisione fidei. N*os autem dicimus* (inquiunt) *nostrum Deum non præscisse nisi fidem qua credere incipimus & ideo nos elegisse*, &c. Aduersus

hæc Auguſtinus multa diſſerit, & tandem ſic ſermonem claudit. N*ec fides ipſa præcedit: non enim quia credemus ſed vt credamus elegit nos, ne priores eum elegiſſe dicamur: falſumque ſit (quod abſit) non vos me elegiſtis ſed ego vos elegi.* Nec *quia credimus, ſed vt credamus vocamur, atque illa vocatione quæ ſine pœnitentia eſt id prorſus agitur & peragitur vt credamus.*

Denique dicit ipſum Pelagium vt ambigua confeſſione Synodum Paleſtinam ludificaretur damnauiſſe eos qui dicunt gratiam dari ſecundùm merita. Quæ ſententia probata eſt à Synodo: ijque damnati qui electionem dicerent eſſe ex fide præuiſa. Hæc enim eodem recidere Auguſtinus affirmat.

Libro 5. in Iulianum cap. 3. *Deus nullum elegit dignum, ſed eligendo efficit dignum.*

Electionem vero abſolutam ſeu (vt loquitur Arminius) præciſam & non dependentem ex præuiſione vllius virtutis aut dignitatis, ſexcentis locis inculcat. Vt epiſtolâ 105. C*ur ille credat ille non credat cum ambo idem audiunt: & ſi miraculum in eorum conſpectu fiat, idem ambo vident altitudo eſt diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & apud quem non eſt iniquitas, dum cuius vult miſeretur & quem vult obdurat: neque enim iſta iniuſta ſunt quia occulta.* At Arminio hæc non ſunt occulta, quippe qui cauſam huius diſcriminis ait eſſe præuiſionem fidei in altero eorum.

Liber de fide ad Petrum, ſiue eſt Fulgentij ſiue Auguſtini cap. 3. *Illi cum Chriſto regnabunt quos Deus gratuita ſua bonitate prædeſtinauit ad regnum. Quia enim tales prædeſtinando præparauit vt regno digni eſſent, præparauit*

*vtique secundum propositum vocandos vt obediant, præparauit iustificandos vt accepta gratia rectè credant & bene viuant. Ad quod regnum illi peruenerunt quos Deus gratis nullo bonæ voluntatis vel boni operis merito præcedente saluauit.*

---

*Excutiuntur Argumenta Arminianorum, quibus conantur stabilire electionem ex fide præuisa.*

## CAP. XXIV.

I. ARMINIANI qui se Remonstrantes nouo nomine indigetant, in collatione Hagiensi effundunt densam locorum scripturæ grandinem, quibus persuadere conantur electionem esse credentium, & nihil aliud esse Decretũ prędestinationis quàm velle seruare credẽtes. Hoc quidem est aliud agere, & quæstionem non attingere, neq; enim de his inter nos est controuersia. Status quæstionis hic est, *An electio sit ex fide præuisa.* Tum an Deus eligens singulares & certas personas, consideret in eis perseuerantiam in fide vt rem iam impletã, & vt conditionem cuius pręstatione nitatur electio. At hi relinquentes quæstionem intactam, in eo toti sunt vt probent electionem esse credentium. Quapropter etsi nouem Syllogismorum acies quam explicant, multis alijs næuis laborat, quia tamen omnes peccant fallacia quæ Ignoratio Elenchi appellatur, qua id quod concluditur putatur officere aduersario, cum tamen

tamen non officiat, præſtat concedere quod volunt, nempe Deum non eligere niſi credentes, & electionem eſſe credentium, dummodo hæc accipiatur commodè & bono ſenſu; Nempe Deum eligere & velle ſaluare credentes, quia neminem ſeruat niſi cui fidem daturus eſt, & quia ſine fide ad ſalutem non poteſt perueniri. Et Deum in eligendo conſiderare homines vt fideles, id eſt, vt habituros fidem ſuo beneficio. Et decretum electionis eſſe cum reſpectu fidei, quia decretum de ſalute includit decretum de medijs ad finem, ac proinde & de fide in Chriſtum. Et ſanè falsò Arminius & poſt eum Arnoldus pag. 29. hanc nobis affingunt ſententiam, Deum conſtituiſſe ſeruare electos citra fidei in illis conſiderationem.

Ergo fulmen quod tanto ſtrepitu vibrant, ſolo flatu, aut pilei ventulo auertitur, neq; nos aut rem attingit.

II. Nihilo magis ad rem alij ſectarij frequenter ingerunt verba Pauli Eph. 1. v. 4. *Elegit nos in Chriſto*, quod ſic accipiunt quaſi Paulus diceret, *elegit nos propter Chriſtum & conſideratos vt iam credentes in Chriſtum cum eligeret.* Nihil tale Apoſtolus: cuius mens plana & ſimplex. *Elegit nos in Chriſto*, id eſt, *deſtinauit nos ad ſalutem per Chriſtum ſiue in Chriſto nobis conferendam.*

III. Nihilo plus efficiunt his locis, *Nemo nos ſeparabit à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Rom. 8. v. 39. Et *Deus erat in Chriſto ſibi reconcilians mundum* 2. Cor. 5. Hic ſanè de fide præuiſa οὐδὲ γρῦ. Non ſi vngues perroderēt ad ſanguinem, ſexcentis talibus locis quicquam efficerent. Deus erat in Chriſto in terris agente, in eo & per eum

peragens nostram reconciliationem: At quid hoc ad fidem præuisam?

IV. Debile est telum quod vibrant. *Qui credit in me habet vitam æternam.* Ioh. 6. *& sine fide non potest placeri Deo.* Hebr. 11. His locis probatur quidem necessitas fidei, at non eius præuisio ante electionem. Nemo seruatur nisi credens, quia Deus hanc voluit esse viam salutis, & quia nemini dat salutem cui non det fidem.

V. Conradi Vorstij hæc sunt, in Collatione cum Piscatore. Sect. 18. *Si per fidẽ adoptamur, per fidem quoq; sumus electi.* Ego verò nego id sequi, est enim adoptio electione posterior, vt docet Apostolus Ephes. 1. v. 5. *Prædestinauit nos ad adoptionem.* Qui dicit nos adoptatos per fidem, non ideo dicit nos electos per fidem, vel ex fide: sed dicit nos per fidem affici sensu amoris paterni Dei erga nos, & credẽtes spiritum adoptionis accipere.

VI. Tuetur se verbis Apostoli 2. Thess. 2. *Elegit vos Deus ab initio per fidem.* Hic verò Vorstius improbè detruncat verba Apostoli, & mutilata nobis exhibet. Verba Pauli hæc sunt. *Elegit vos Deus ab initio ad salutem per sanctificationem spiritûs, & fidem habitam veritati.* Nempe docet Apostolus Deum nos prædestinasse ad adipiscendam salutem per sanctificationem & per fidem: at non dicit nos electos esse ex fide præuisa: sed nos electos esse ad salutem consequendã per fidem. Quod si ex hoc loco colligi potest nos esse electos ex fide præuisa, ex eodem loco probabitur nos electos esse ex sanctificatione seu regeneratione prǽuisa: quod non placet Arminio.

Vrget illud Iacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes di-*

*uites in fide*? Frustra. Ideo enim sunt diuites in fide, quia Deus eis fidem dedit. Ideo autem illis dedit quia sunt electi. An si dico Deum elegisse sanctos qui fruuntur gloria, idcirco censeo Deum eos elegisse ex præuisione futuræ gloriæ? Quod si licet Arminianis verba illa Christi, *do animam meam pro ouibus meis*, accipere vt dicta per anticipationem de ijs qui nondum sunt oues, sed qui sunt futuri: cur nobis quoque non erit fas, hæc verba, *Deus elegit credentes*, accipere vt dicta per anticipationem, de ijs qui non credunt actu, sed considerantur vt credituri?

VII. Addit Vorstius Matthæi vicesimo secundo, paucos dici electos quia pauci habent vestem nuptialem. At ego pernego hoc ibi inueniri. Christus parabolam vocatorum ad nuptias, quorum pauci tantùm paruerunt vocanti, claudit hæc sententia, *nam multi vocati, pauci electi.* Quibus verbis non redditur ratio cur non vestitus veste nuptiali foras sit eiectus, sed cur de multis vocatis pauci venerint. Quod ne lector animaduerteret, duplici fraude vsus est Vorstius: Nam illud *multi vocati* omisit, tum pro NAM substituit QVIA, vt persuaderet hìc causam reddi cur indecenter vestitus, foras eiectus sit. Sciebat enim particulam NAM sæpe designare notam seu indicium, non vero causam: vt Matt. 26. v. 73. & sæpe alibi. Sed hoc loco, non dubium est quin hic causa significetur. Assignatur enim causa cur de tam multis vocatis pauci secuti sint vocantem, nempe quia etsi multi sunt vocati, pauci tamen sunt electi. Vnde liquet, hunc locum si quisquam alius, officere Arminio.

VIII. Cætera quæ congerit vt probet electos esse credentes, non sunt ad rem. Nam & electi sunt credentes, & credentes electi, At non sunt electi quia credentes, sed vt credant.

IX. Nihilo plus virium est in obiectione quam affert ex 2. Petr. cap. 1. *Firmam facite vocationem & electionem vestram*: ex quibus verbis infert vocationem priorem esse electione. At Petrus non hic præponit vocationem electioni, sed certitudinem vocationis certitudini electionis: Illam ordine priorem esse agnosco lubens. Ipsam vero electionem priorem esse vocatione docet Paulus Rom. 8. *Quos prædestinauit vocauit, quos vocauit iustificauit, quos iustificauit glorificauit.* Nempe vt iustificatio prior est glorificatione, & vocatio iustificatione, sic prædestinatio vocatione.

X. Greuinchouius in Amesium pag. 171. sic disputat *Dico tua prædestinatione Euangelium inuerti. Nam Euangelij sententia hæc est, si credideris viues: At vero hæc tua prædestinatio dicit, si prædestinatus es ad vitam credes.* Respondeo aliud esse inuertere seu conuertere enuntiationem, aliud euertere. Est enim hæc enuntiatio conuertibilis. Quicunque electus est credet, & quicunque credit electus est: de fide enim agimus quam Paulus ad Titum 1. v. 1. vocat *fidem electorum.* An potius Arminiani inuertunt Euangelium quod dicit fidem esse electorum, illi vero dicunt, fidem non esse electorum, sed electionem esse fidelium? Quod Greuinchouius ibidem de reprobatione infercit excutietur suo loco.

*Vtitur eodem argumēto Arn. post* Arminium *p. 282.*

*Eodem argumēto pugnat Arnold. p. 240. & 241.*

XI. Idem pag. 130. sic argumentatur. *Salus est mer-*

*ces fidei* 1. Petri 1. 9. *corona iustitiæ, præmium laboris, brabium certaminis & cursus consummati, hæreditas filiorum Dei, id est fidelium Joh. 1.12. Gal.* 4. 30. Quia autem difficile est videre quomodo hæc possint trahi ad electionem ex fide præuisa, cum ibi de electione non agatur, nec de fide præuisa, subijcit: *Ergo electio ad salutem non est decretum de fine hominum vt hominum simpliciter, sed de salute hominum qua talium, scilicet fidelium, & in fide perseuerantium.* Hoc etiam fatemur eo sensu quo diximus: quanquam præstabat dicere *perseueraturorum:* quia Deus eligens non considerat fidem & perseuerantiam vt rem præstitam, sed vt præstandam, idq; suo beneficio & dono.

VII. Addit. *Voluntas conferendi præmium, mercedem &c. necessario præsupponit præuisionem fidei & perseuerantiæ in fide, ex pacto Euangelico, si credideris & perseueraueris saluus eris.* Hic verò deflectis à quæstione. Agebatur enim de electione ex præuisa fide: tu vero agis de salute quæ confertur post fidem. Deus eligens ad salutem præuidet quidem fidem antecessuram adeptionem salutis, sed ita præuidet quemadmodum Deus præuidet quod ipse facturus est, quod quidem propriè loquendo non est præuidere sed velle. Porrò vita æterna vocatur merces fidei, quia non est nisi post certamen fidei, nec eo peruenitur nisi per laborem: sed non datur ob laborem, neque ad salutem eligimur ex præuisione laboris aut fidei. Sed Deus qui nos prędestinat ad præmiũ prędestinat etiam ad certamen: teste Paulo Philip. 1. 29. *Datum est vobis in Christi negotio non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati.* Est etiam merces quę

dam gratuita: vt docet Ambrosius 1. Epistola 1. libri. *Alia merces liberalitatis & gratiæ; alia virtutis stipendium, laboris remuneratio.* Interea lector obiter notabit Arminianos pugnare pro electione ex prævisione operum: vita enim æterna in sacra scriptura vocatur merces & præmium, non tantum fidei, sed etiam operum, eleemosynarum, patientiæ, iuxta illud Matt. 19. *Voca operarios, & da eis mercedem.* Si ergo inde probari potest electionem esse ex præuisa fide quia vita æterna vocatur merces fidei: cur non eadem electio erit ex operibus præuisis, cum vita æterna merces operum frequenter appelletur? Maximè cum ipsum credere sit opus, idq; longè præcipuum? & Arminiani censeant nos iustificari fide quatenus est opus, vt suo loco videbitur?

XIII. Idem pag. 170. & 188. sibi plaudit in hoc argumento. *Si talis est qualem vos fingitis prædestinatio, Ergo duplex est & sibi contradictoria voluntas Dei de salute hominis saluandi, vna qua salutem vult & ordinat non credenti, id est, non ex fide præuisa, Altera qua in tempore non vult eundem saluare nisi vt fidelem.* Ego vero pernego hæc pugnare; Eligere ad salutem non credentem vt credat, & velle saluare credentem. Sic si pater filiolum bimulum destinauerit ad munus Senatoris, aut Pastoris Ecclesiæ, eundem vero filium grandiusculum postea curet literis imbui, vt ad hoc munus preueniat, an volet contraria, quia primò quidem rudem, postea verò literatum ad hoc munus destinauit?

XIV. Idem pag. 194. sic disserit. *Quoscunque & quales & quo ordine Deus in tempore saluat, eosdem & ta-*

*les & eodem ordine ſaluare decreuit. At in tempore primò dat Chriſtum, deinde ſecundum ſapientiam ſuam iuſtè administrat media ad reſipiſcentiam & fidem neceſſaria, ſufficientia, & efficacia: actu autem reſipiſcentes & credentes recipit in gratiam: Denique perſeuerantes in fide ſaluat. Ergo eodem modo & ordine illos ipſos & tales ſeu taliter conſideratos ſaluare decreuit.*

R. Maior propoſito admiſcet falſa veris, vt falſa lateant in turba, nec vſquequaque vera eſt. Non dubium eſt quin quoſcunque & quales Deus in tempore ſaluat, eoſdem & tales ab æterno ſeruare decreuerit. At Deum ſeruare eodem ordine quo decreuit, vno modo verum eſt, altero falſum. Verum eſt Deum ſeruare eodem ordine quo decreuit ſeruare. At non verum eſt Deum in exequendo ſeu ſeruando eundem ſequi ordinem quem in decernendo. Nam in decernendo prius cogitat de fine quam de medijs. Contra in exequendo incipit à medijs & adminiculis, & in fine deſinit. Sic medicus prius intendit ſanitatem quam medicinam: at in exequendo prius medetur quam ſanet. Errat igitur Greuinchouius, qui ex ordine quem Deus ſequitur in exequendo colligit quis debeat eſſe ordo in decernendo. Interea obiter obſerua in Greuinchouio Arminii genium. Non auſus eſt dicere Deum dare fidem, ſed tantum media ad fidem, quia vult eſſe liberi arbitrii vti his mediis, neque fidem niſi ex parte eſſe donum Dei.

XV. Eodem vitio laborat argumentum Arnoldi, p. 181. *Inter iſta* (inquit) *hic eſt nexus, vt prius Deus velit aliquem credere antequam illum velit ſeruari: Cum prędeſtinatio tua contra doceat prius Deum velle aliquem ſeruare deni-*

lianda doctrina Euangelij, cum Satanæ blasphemia.

XVII. Solent sectarij hoc modo nos incusare euersionis Euangelij. *Non potest* ( inquiunt ) *Euangelium quod ex conditione vitam promittit credenti, seruire exequendo decreto, quo vita certis & determinatis personis præcisè ordinata est.* At ego pertendo seruire: quia Deus promittit vitam sub conditione quam decreuit ipse in electis efficere. Nam quid obstat quo minus Deus promittat credenti vitam, & tamen fidem decreuerit dare certis & determinatis personis quas elegit?

XVIII. Arnoldus p. 52. hæc habet. *Si fides est effectum electionis non potest decreto electionis comprehendi.* At nemo nostrum dicit fidem, sed consilium seu voluntatem de danda fide electionis, decreto comprehendi. Hæc autem voluntas se habet ad Decretum electionis vt pars ad totum. Nam decretum de medijs ad finem includitur decreto quo finis decernitur. Vt voluntate ædificandi domum continetur voluntas lapides & ligna congerendi.

XIX. Leue est quod nullibi non inculcant. *Iuxta Euangelium* (inquiunt) *fides est conditio in saluando & eligendo requisita, iuxta vos minimè.* Calumnia. Agnoscimus fidem esse conditionem in saluando requisitam at non in eligendo prærequisitam, vt vult Arminius. Fides est res sine qua Deus non eligit, at non ex cuius præuisione eligit. Fidem esse in electione requisitam: etsi Scriptura totidem verbis non dicit, commodè tamen potest accipi & ex mête scripturæ, si fides ponatur vt conditio consequens electionem, & sine qua Deus non vult esse salutem. Non secus ac respiratio est con-

*Arnol. p. 283.*

ditio ad vitam, quamuis prius ſit deſtinare ad vitam quam ad reſpirationem.

XX. Arminiani in Epiſtola aduerſus Fratres VValachrianos pag. 43. ſententiam ſuam ſic explicant. *Inconuenientiſſimum nobis videtur affirmare Deum electione decreuiſſe quid ipſe eſſet in homine per ſpiritum ſuum operaturus. Electionis ſi quidem abſolutæ ad ſalutem decreto, ſalutis tantùm non fidei decernitur collatio.* Hanc ſuam ſententiam hoc argumento fulciunt. *Cum ſalus & fides prædicata ſint diuerſiſſima, nec per ſe nec per accidens vnum conſtituant, non poteſt non aliud eſſe decretum de ſalutis, aliud de fidei collatione.* Reſpondeo, quantuncunq; ſalus & fides ſint res diuerſæ, eſt tamen fides medium neceſſarium ad ſalutem: decretum autem de fine includit media. Vita & reſpiratio ſunt res non minus diuerſæ quam fides & ſalus: & tamen eodem decreto quo quis deſtinatur ad vitam, etiam deſtinatur ad reſpirationem, quia reſpiratio eſt medium ad vitam.

XXI. Frequens eſt & vſu detrita hæc Arminianorum obiectio. *Si Deus prædeſtinat homines ad fidem vt ad medium per quod ad ſalutem perueniant, neceſſe erit vt Deus quoque prædeſtinet reprobos ad incredulitatem & impenitentiam vt ad medium per quod ad damnationem perueniant.* Ego verò nego hoc ſequi: hic enim agimus de medijs quæ Deus ipſe ſuppeditat, incredulitas autem & impenitentia ſunt media quæ homo ipſe ſuggerit de ſuo. Diſtinguenda ſunt media quæ Deus iuuenit ab eis quæ facit. Deus in prædeſtinando conſiderat hominem vt corruptum & in peccato iacentem, vnde fit vt media ad damnationem iam ſint in homine:

nec opus ſit aliunde ſuppeditari, multo minus à Deo, qui nunquam eſt author peccati. At cum medijs ad ſalutem homo ſit naturaliter deſtitutus, non poſſunt illa contingere homini niſi dante Deo. Nec vero incredulitas eſt conditio eodem modo requiſita in reprobis, vt fides in electis. Nam illa eſt conditio prærequiſita ante reprobationem: hæc eſt conditio conſequens electionem. Inde eſt quod incredulitas & impenitentia ſunt meritoriæ reprobationis, at fides non eſt meritoria electionis nec ſalutis.

XXII. Cum iſto argumẽto concidit alterum quod ſectarij ingerunt ad nauſeam. *Si Deus* (inquiunt) *non eligit ex præuiſa fide, neque etiam reprobat ex præuiſo peccato.* Ego verò pernego hæc eſſe paria, aut vnum ex altero ſequi. Peccatum enim Deus præuidit, quia ipſe non eſt author peccati: fidem vero non præuidit, ſed facere decreuit: hoc autem quod Deus decernit non præuidet ſed vult: ſi modo volumus vti ſignatis vocibus & aptis, non vero impropriâ oratione tenebras vltro rebus offundere. Ac profecto mihi videntur Arminiani ſuis ſe aculeis compũgere. Nam ſi hæc eorum ratio valet, cur non licebit quoque ſic argumentari? Si Deus ſine reſpectu bonorum operum eligit, vt vult Arminius, ergo etiam ſine reſpectu malorum reprobat. Eadem eſt conſecutio, quam tamen Arminiani non admittunt.

Multa congerit Arnoldus poſt Arminium, quibus cauſæ noſtræ conflet inuidiam, eamque prægrauet odio, quæ operæpretium eſt cognoſcere, ſunt enim multa arte & quæſitis coloribus veſtita: locat autem

in fronte argumenta quibus euincat ſententiam noſtram pugnare cum Dei ſapientia.

XXIII. Is ergo pag. 217. ſic diſſerit. *Pugnat cum ſapientia, aliquid quod amiſſum eſt, quodque ideo non eſt, prius alicui abſolutè ordinare, inde vero vt idem impetretur decernere.* Eadem homonymia eſt in voce *abſolutè* quam ſupra notauimus in Greuinchouio, obiectione 16. inde ergo petatur ſolutio. Sed neque verum eſt hoc pugnare cum ſapientia Dei: nihilo plus quàm abſolutè decernere vt quis viuat, & tamen decernere vt medicinam ſumat, aut ſtructas inſidias euitet.

XXIV. Idem argumẽtũ alijs verbis repetit eàdẽ pagina & ſequenti. Niſi quod addit, *pugnare cum ſapientia Dei prius ordinare quinam præmium ſint accepturi quã qua id accepturi ſint conditione.* At hoc non docemus. Omnia enim decreta Dei ſtatuimus eſſe æterna: quod ad ordinem attinet, non hæc diuellimus in duo decreta, quorum alterum ſit de perſonis ſaluandis, alterum de conditione qua ſaluandi ſint. Vno eodemq; decreto Deus certos homines ſtatuit ſeruare per fidem. Sed neq; ſi ita loqueremur vt fingit Arnoldus, quiquam inde derogaretur Dei ſapientiæ. Sæpe pater decernit aliquid dare filijs, antequam conſtituerit qua conditione & per quem laborem.

Hoc loco Arnoldus multa infercit de irreſiſtibilitate reprobatione, quæ reijcimus in alium locum. Ergo à ſapientia Dei tranſit ad iuſtitiam Dei, quam à nobis violari pertendit.

XXV. Incipit igitur pag. 224. à calumnia, *Statuitis* (inquit) *Deum abſq; fidei intuitu quoſdam homines decre-*

*nisse præcisè seruare.* Dico nobis impingi calumniam: Nam etsi Deus non eligit ob fidem, eligit tamen ad fidem, & fides est de definitione electionis. Sed neq; si de duobus pariter peccatoribus alterum eligit ad salutẽ non considerãs obedientiã vt rem præstitã, sed eligens eum ad obedientiam præstandam, Deus idcirco erit iniustus; de suo enim facit quod vult, iuxta illud. *Miserebor cuius misertus fuero,* &c. Satis est quod etsi huic gratiam dat indebitam, alteri tamen nullam irrogat pœnam nisi debitam. Interea est quod gaudeant Pontificij qui in Arminio inuenerunt patronum meritorum. Meritum enim dicitur cui merces datur ex iustitia: Vita æterna est merces: vt vero detur ex iustitia Arminius vult dari intuitu obedientiæ præstitæ. Datur ergo merenti.

XXVI. Futile est quod addit p. 225. *Decreto quo Deus nemini nisi credenti salutem dare decreuit, se magis obedientiam quam creaturam amare ostendit. Contra verò decreto vestro Deus magis homines, licet peccatores, quàm iustitiam amare statuitur, quod cum iustitia pugnat.* Hæc sanè prauo artificio texta sunt. Nam primò fingit nos docere Deum alios velle seruare quam credentes. Secundo astutè amorem quo Deus amat obedientiam, comparat cum amore quo Deus amat creaturam: cum amor obedientiæ, (qui quidem est ipsissima Dei iustitia) potius comparandus sit cum amore quo Deus amat suam bonitatem & misericordiam. Nam etsi Deus plus amat suam iustitiam quam creaturam, non tamen plus amat suam iustitiam quam bonitatem qua benefacit creaturæ. Deus enim non minus clara & cer-

ta dat documenta & effecta bonitatis quam iustitiæ: quæ bonitas etiam iustitia quædam est, si iustitia accipitur non strictè pro ea virtute qua dantur præmia iustis, & pœnæ iniustis, sed pro virtute illa generali qua Deus omnia conuenienter agit & vt par est: Et quanquam omnia in Deo sint paria, immo omnia attributa Dei sint vna virtus, & ipsissima Dei essentia, scriptura tamen bonitatem Dei longe maioribus effert præconis quam iustitiam; Sic in lege Deus visitat iniquitatem patrum in filios ad tertiam & quartam generationem, miserationem vero extendit ad mille generationes. Sic Psalmo 36. iudicia Dei comparantur montibus, at bonitas abysso. Et Psal. 30. eius bonitas ad vitam seu sæculum extenditur, ira ad momentum restringitur. Succinit Iacobus 2. v. 13. dicens misericordiam se efferre ac gloriari supra iudiciū, quia Deus bonitatis quam iustitiæ euidentiora nobis patefacit τεκμήρια. Meritò ergo Deus dicitur *Optimus Maximus*, sed prius Optimus quam Maximus. Quod si rem à primordio repetas, inuenies primo loco ponendum esse decretum creandi, in quo sanè est bonitas, non verò iustitia.

XXVII. Eadem prolixius ingerit Arnoldus cap. 9. vbi à nobis ait violari iustitiam Dei, dum volumus Deum ad salutem homines ordinauisse sine vllius obedientiæ intuitu. Quod alienum esse à nostra sententia iam diximus. Fateor quidem Deum plus amare suam iustitiam quam hominem: sed nego eum plus amare manifestationem aut executionem suæ iustitiæ, quàm manifestationem suæ bonitatis & misericordiæ erga

hominem. Deus plus amat quod ſibi à creatura debetur, quam ipſam creaturam: At non plus amat quod ſibi à creatura debetur, quàm quod ipſe ſibi debet, nempe manifeſtationem ſuæ gloriæ benefaciendo creaturæ. Nempe periculum erat ne Deo ſua iuſtitia non conſtaret, niſi emerſiſſent hi nouatores, qui patrocinarentur eius iuſtitiæ, inſuper habità eius bonitate & ſapientia. Atq; hic locus eſt vbi Arnoldus vult Deum eſſe debitorem. *Dictat* (inquit) *iuſtitia vt Deus creaturæ obedientiam præſtanti, quod ſuum eſt etiam tribuat.* Nihil ſanè durius vnquam dictum eſt ab accerrimus aſſertoribus meritorum humanorum. Nempe paratus eſt Arnoldus dicere Deo, redde mihi quod meum eſt, hoc enim poſtulat tua iuſtitia. Strenuè. Sed ad alia pergamus.

XXVIII. In eandem Dei bonitatem à nobis impingi in doctrina de reprobatione paulò poſt probare conatur: Sed his excutiẽdis peculiare caput deſtinamus: vt & ijs quæ de irreſiſtibilitate, & de libero arbitrio, & de Chriſto electionis fundamento, paſſim ſine ordine infercit, excutiendis ſuus erit locus.

XXIX. Non eſt omittendũ familiare eſſe Arminianis in doctrinam electionis quæ creditur in noſtris Eccleſij tragicè inuehi, idque ſub obtentu pietatis, & hortationis àd bona opera. Dicunt enim electionem præciſam extinguere omne ſtudium bonorum operum, preces, verbi auditum, denique omnem pium conatum auertere. Nam ſi quis credet ſe prædeſtinatum ad fidem & ad bona opera, relinquet curam Deo mouendi hominem infallibiliter: & omnem ſalubrem

timorem excutiet, quippe persuasus nullis flagitijs salutem posse amitti nec fidem excuti. Hæc & alia à Pelagianis emendicata & à Pontificiorum incude adhuc calentia quasi Circensem pompam circunducũt magno cum strepitu. Quin & homines astuti sic loquuntur quasi facti doctiores experimenro: Dicunt enim se quando idem sentiebant nobiscum, sensisse in se ipsis gliscentia per hãc doctrinam vitia, sibiq; obrepsisse langorem, & immunitionem amoris Dei, interdum etiam sensisse quædam tentamenta desperationis. His se morbis sanatos, suamq; pietatem incaluisse, ex quo excusserunt opinionem illam de præcisa electione. Nimirum conclamatum erat de pietate & sanctitate morum nisi emersisset hæc secta, quæ de vitijs quarta opima retulit, & pietatem intermortuam excitauit. Non inquiro in eorum mores, tantùm dico eorum scripta spirare iracundiam, & plena esse acerbitatis.

XXX. Sed ad rem. Nego ex nostra doctrina posse capi iustam occasionem peccandi, & laxãdi habenas intemperantiæ. Sed nihil tam sanctè vnquã nec tam verè dictum est quod nõ possit trahi in deteriorem partem, & sinistra interpretatione corrumpi. Eandem calumniam passus est Paulus, qui cap. 6. ad Romanos opportunà prolepsi hanc à se opinionem amolitur; sic loquens, *An manebimus in peccato vt abundet gratia?*

XXX. Negamus igitur hæc quæ fingunt, ex nostra doctrina sequi. Non si quem Deus prædestinauit ad fidem & resipiscentiam, idcirco debet minus esse sollicitus quomodo Deo placeat, eiq; morem gerat.

Enimuero

Enimuero resipiscentia est illa ipsa sollicitudo. Perinde ergo loquuntur quasi dicerent, electos debere carere sollicitudine quia Deus eos prædestinauit ad sollicitudinem.

XXXI. Nec vero Dei beneficentia impedit hominis vigilantiam. Sic Deus dat nobis panem quotidianum, nec tamen per hoc impedit laborem. Frustra expectat à Deo vitæ subsidia qui sedet otiosus, brachijs decussatis. Idem Deus qui dat nobis victum, nos hortatur ad laborem. Eius enim benedictio non superuenit socordiæ sed industriæ.

XXXII. Porrò nihil obstat quominus gnauiter incumbatur labori, cuius euentus certo Dei decreto est definitus, siue hoc decretum nobis notum sit, siue non sit. Christus non ignorabat vitæ suę in terris terminum: & tamen vitabat pericula, & Iudæorum manus non semel euasit. Ezechias recreatus ex morbo sciebat sibi adhuc superesse annos quindecim vitæ, quo tempore non dubium est quin cibum sumpserit & curauerit suam valetudinem. Deus reuelauerat Paulo neminem de vectoribus qui erant in eadem naui submersum iri: nihilominus tamen nautas hortabatur ad laborem, & volentes demissa in mare scapha fugere, iussit in naui retineri. Non negabunt Arminiani euentum bellorum esse Dei consilio definitum, nec tamen inde vellent inferre frustra strenuè pugnari. Scriptura multis in locis testatur Deum vnicuique fixisse limites vitæ, & dierum nostrorum numerum esse Dei consilio definitum, non tamen ideo vituperandus est qui accersit medicum in morbo, aut qui ante prælium loricam in-

duit. Oportet enim hominis industria Dei decreto subseruiat. Nec fas est vt Dei liberalitas nobis causa sit negligentiæ. Sic embryo se mouet in vtero, & natiuitatem suam ipse adiuuat, quamuis id ipsum quod vires habet se mouendi sit à Deo. Sanè cum fides & resipiscentia sint media ad salutem, nihil tam abhorret à ratione, quam vti fine ad abolenda media. Quocirca Paulus secundo ad Philippenses Deo quidem refert acceptum velle & perficere; ibidem tamen nos hortatur ad incumbendum saluti cum timore & tremore. Cui malumus credere quam Arnoldo cuius hæc sunt verba pag. 273. *Mihi conscientia peccati omnino extingui videtur in eo qui nouit se ex peccato absoluta Dei & immutabili ordinatione esse ereptum.* Quid? an postquam Deus Dauidi significauit per Prophetam Nathan se eius peccatum abstulisse, Dauidis conscientia ad peccatum occalluit, aut amisit sensum peccati? Immo vero peccatum suum mœret, & grauiter lamentatur. Nam etiam post impetratam veniam hæret infixus animo dolor, & pœnitentia. Sic Paulus 1. ad Timoth. cap. 1. dicit Deum ipsius esse misertum, & tamen ibidem peccatum suum detestatur.

XXXIII. Idem sentiendum de precibus quod de labore & studio bonorum operum. Nam rectè & piè petimus à Deo quæ sunt certo eius consilio definita: Nempe Deus cui constitutum est nobis bene facere, vult id dare nostris precibus, non vero torpori & securitati. Non frustra orabat Iosaphat ante pugnam 2. Chron. 20. quamuis non ignoraret Deum iam decreuisse quis futurus esset euentus belli. Satis nouerant

Apoſtoli ſibi eſſe remiſſa peccata à Deo, & tamen quotidie vſurpabant illud, *Dimitte nobis debita noſtra.* Non dubitabat Chriſtus de ſua reſurrectione, & de adeptione gloriæ poſt certamen, idem tamen orabat pernox, & ſecedebat in montem ad orandum.

XXXIV. Mitto quod optimus quiſque eſt tentationibus obnoxius, quibus aſſilientibus, confugiendum ad Dei auxilium, ne fides labaſcat, aut torpor & negligentia obrepat.

XXXV. Quid quod teſte Paulo Rom. 8. Spiritus ſanctus orat in nobis, & gemitus precationeſq; ſuggerit, vnde à Zacharia cap. 12. v. 10. *ſpiritus ſupplicationum* appellatur: qui quum ſit effectus beneplaciti Dei, & fructus electionis, mirum ſanè eſſet ſi ipſa electio nos à precibus reuocaret.

XXXVI. Quod ſi quis electus, de ſua, vt fit, ſalute adhuc dubitat, habet quod petat à Deo, nempe πληροφορίαν, & ſuſtentationem fidei vacillantis, & incrementum charitatis & zeli, & adeptionem gloriæ. Si vero certus eſt de ſalute, petat incrementum huius fiduciæ; petat perſeuerantiam in fide & bonis operibus: petat cohiberi à peccatis ad quę ſe pronum ſentit: petat complementum promiſſionum Dei: deprecetur tentationęs Satanæ, qui etſi electos nõ poteſt peſſundare, eorum tamen calcaneum pungit, eoſque ſtimulis fodicat.

XXXVII. Eiuſdem eſt farinæ quod Arnoldus ex Arminio p. 304. nobis exprobrat. *Veſtra* (inquit) *doctrina Dei ſeruos & Miniſtros in ſuo Miniſterio ſegnes reddit, vt pote ex qua ſequitur ipſorum diligentiam non poſſe*

*prodesse, nisi iis quos Deus absolutè vult seruare, & qui perire non possunt: & negligentiam rursus ipsorum non posse nocere nisi iis quos Deus absolutè vult perdere, quique seruari non possunt.* Eadem obijciebant Pelagiani Augustino lib. de bono perseuerantię cap. 14. ad quæ iam prolixè respondimus: Eædem enim rationes quæ acuunt sollicitudinem auditorum ad penitentiam & bona opera, perinde valent ad incitandos pastores ad munus suum gnauiter obeundũ & subdendos auditoribus aculeos ad resipiscentiam. Nametsi electi non possunt perire, scimus tamen Deum electos deducere ad salutem per verbum & sacramenta & ministerium Euangelij: cuius decreto oportet nostrum obsequium subseruiat.

*Aug. de bono Persen. cap. 14.*

*Aiunt prædestinationis definitionẽ vtilitati prædicationis aduersam.*

Quod si Minister verbi perfunctoriè agens non potest efficere vt electus pereat, ipse tamen sibi nocet, & negligentię istius pœnas luet in Dei iudicio: Itaq; etiam si alijs non noceret, sibi tamen ipse obesset plurimum. Paulus acerrimus electionis assertor profitetur tamen se *omnia sustinere propter electos vt salutem consequantur,* 2. Timoth. 2. 10.

XXXVIII. Quod ad reprobos attinet, si hæc Arminij ratio valet, pari ratione neque edendum erit neque bibendum, neque parentes debebunt esse solliciti de valetudine liberorum: quia nulli potest nocere hæc negligentia, nisi eis quos Deus vult perire, qui suo decreto vitæ singulorum certam fixit metam, quæ reuelli non potest, nec transiliri. Quod si constaret Pastoribus quinam de suo grege essent reprobi, aliquis esset color dubitationi an de reproborum salute deberent esse solliciti. Sed cum hoc eis ignotum sit, debent

ſemen verbi vbique ſpargere, euentum Deo relinquere.

XXXIX. Arnoldus pag. 307. rem dicit, meo iudicio, peſſimam. *Si quis* (inquit) *doceret Deum ipſum præcisè ſtatuiſſe aliquem in hac vita aliquandiu nutrire, & ita de pane quo nutriatur ipſi proſpicere, vt non poßit non habere abundanter: concedo talem non poſſe moneri vt ſollicitus ſit quomodo panem ſibi paret,* Ego vero pertendo talem poſſe & debere moneri vt ſibi panem paret, quia idem Deus qui promittit panem, & decreuit dare, idem quoq; declarat verbo, ſe velle dare hunc panem noſtro labori, & mediante noſtra ſollicitudine. Ideoq; idem qui panem dare vult dat quoq; vires, volūtatem, & induſtriam qua panis paretur. Itaq; Arnoldus ſibi ipſe concedit, quod nemo benè ſentiens ei conceſſurus eſt.

XL. Porrò cum certitudo electionis poſſit bifariam accipi, vel pro immutabilitate decreti diuini, vel pro certa perſuaſione qua aliquis certò credit ſe eſſe electum, de priore tantum certitudine hic agitur; poſterior tractatum peculiarem expoſcit. Obiter tamen dicimus nihil à nobis credi eorum quæ nobis Arnoldus affingit, quale eſt illud, omnes homines teneri credere ſe ad vitam æternam eſſe electos. Immo vero docemus, eum qui non vult in Chriſtum credere, nec reſipiſcere, teneri credere ſalutem Chriſti morte partam ad ſe non pertinere: Eiuſdem notæ eſt illa calumnia qua dicit nos iubere omnes ſceleratos eſſe ſecuros, vt qui nullis flagitijs poſſint excidere à ſalute. Apage tam abominandam doctrinam. Dicere, *ſum electus ergo*

*mihi licet esse improbo*, sermo est reprobi, qui ideo vult malus esse quia Deus bonus est. Hoc pacto amor quo Deus nos in Christo complexus est, qui est acerrimus stimulus ad amandum Deum, vertitur in puluillum cui profana securitas indormiat. Quemcunq; Deus elegit, dedit ei aut dabit Spiritum sanctum, per quem à tam profana cogitatione abstineat. Sic quem destinauit ad vitam destinauit etiam ad cibum & respirationem. Ridiculus esset qui diceret, si Deus decreuit vt viuam ad annum octuagesimum, quid mihi opus est edere, cum fieri non possit quin eo vsque perueniam? Eiusmodi hominis proculdubio instat exitium: nempe ad eum puniendum Deus statuit vti hac ipsa eius vecordi peruicacia.

XLI. Interea monemus, esse sedulò distinguendam certitudinem electionis singulorum à certitudine qua singuli se credunt esse electos: illa est certitudo Decreti, hæc est certitudo fidei. Nam si Arminius efficeret, persuasione electionis extingui pietatem & studium bonorum operum, non tamen inde fieret, decretum Dei de electione singulorum non esse certum atq; præcisum: Sed tantùm sequeretur hoc Decretum non debere à nobis certo credi. Vnde apparet quam malè argumententur Arminius & Arnoldus, qui ex eo quod fiducia electionis aliquos reddit negligétiores ad opera pietatis, inferunt Dei decretum de electione singulorum non esse absolutum neq; præcisum.

XLII. His adde quæ docuimus cap. secundo, vbi exposuimus quot modis doctrina de electione conferat ad bonos mores pietatisq; disciplinam. Quod ta-

men ſic volumus accipi; non quòd ſingulis expectanda ſit reuelatio de ſua electione. Sed audiendum eſt Euangelium, ac penitus animo infigenda & toto pectore amplectenda hæc promiſſio, qua Deus promittit vitam credentibus. Qua perſuaſione quincunq; ſe ſentiet amore Dei ad viuum affici, & ad reſipiſcentiam impelli, facile colliget ſe eſſe electum, & rem Euangelio promiſſam ad ſe pertinere. Nam etſi electio naturà prior eſt fide & reſipiſcentia, quippe cauſa vnde hæ virtutes fluunt, eſt tamen fides & reſipiſcentia nobis notior: Semper autem procedendum â notioribus. Vnde fit vt ab effectis ſæpenumero progrediamur ad cauſam, qui ordo in ſcholis Reſolutiuus appellatur.

XLIII. Quod ſi vellemus imitari Arminium, facilè nobis eſſet hæc ei reponere, & docere quot modis eius doctrina impingat in Dei ſapientiam, & bonitatem, ac proinde & in eius iuſtitiam: quot modis inde poſſit capi occaſio aut diffidentiæ aut proteruiæ: qua ratione inflet hominem vt diſrumpatur, & tollat in altum vt eum præcipitet. Enimuero aliquis Arminio plenus, ſic poterit loqui. Deus quidem me vult ſeruare, ſed poteſt fruſtrari ſua voluntate; poteſt fraudari deſiderijs ſuis naturalibus, quanquam ſint longè optima. Quos vult ſeruare voluntate antecedente eoſdem vult perdere voluntate conſequente. Tum eius electio nititur præuiſione volitionis humanæ: miſerum me ſi mea ſalus pendet à re tam inſtabili. Idem quoq; ſic argumentabitur: Deus dat omnibus gratiam ſufficientem; at non omnibus patefacit Chriſtum: ergo eſt aliqua gratia ſufficiẽs ſine cognitione Chriſti. Sed & idem

facilè credet Deum illudere hominibus, quippe qui in Arminij ſchola didicerit Deum ſeriò cupere & intendere ſalutem omnium & ſingulorum hominum, nihilominus tamen plurimos vocare modo non congruo, id eſt modo, tempore, & menſurà non apta nec idoneà, quo modo quicunque vocatur nunquam ſequitur vocantem. At quid ſcio an vocer modo congruo nec ne? His adde præclara hæc dogmata: etiam irregenitos facere bona opera, eſſe mites, ſitientes, facientes voluntatem Patris. Fidem partim eſſe à gratia partim à libero arbitrio. Quid quod aliquis ex Arminij ludo par mularius, audebit Deo ipſi leges figere, & dicere Deum TENERI dare omnibus vires credendi? Et Dei iuſtitiam poſcere vt reddat homini quod ſuum eſt? Et hominem ſe ipſum diſcernere, & ſibi ipſi cor aperire vt verbum Dei recipiat? Veſtram fidem: hæccine ſunt illa veſtra præclara incitamenta ad vitæ ſanctitatem? His ne documentis Arminius homines ad pietatem imbuit? Profecto ſiquis per hæc inſtigatur ad bona opera, eo ipſo magis corrumpitur. Deus enim mauult peccata cum pœnitentia, quàm iuſtitiam cum ſuperbia. Deus non vult accendere homines ad reſipiſcentiam diſpendio aut noſtræ fidei, aut ſuæ gloriæ. Nec tantum danda eſt opera vt homines inſtigentur ad pœnitentiam, ſed inſuper videndum eſt vt id fiat rationibus idoneis, & quæ non ſint in Deum contumelioſæ.

*An Chriſtus*

## *An Chriſtus ſit cauſa electionis, & fundamentum.*

## CAP. XXV.

I. DICIMVS neminem ſeruari niſi per & propter Chriſtum. Et Chriſtum eſſe λυτρὸν & pretium noſtræ redemptionis, fundamentum ſalutis, cauſamq; meritoriam. At non dicimus cauſam eſſe electionis, aut cauſam cur de duobus in maſſa corrupta conſideratis hic illi præferatur. Non deſunt exempla hominum peſſimorum quorum alteri Euangelium annuntiatum eſt ſic diſpenſante Deo, vnde factum vt conuerteretur & crederet, alteri vero non eſt annuntiatum. Cauſam huius diſcriminis eſſe mortem Chriſti ſcriptura non dicit, neque patitur ratio: ſed cauſam repetit à Dei εὐδοκίᾳ & beneplacito, qui miſeretur quorum vult: Semper enim amor Patris præcedit interceſſionem Filij: quandoquidem amor Patris erga mundum cauſa ei fuit mittendi Filium.

Enimuero cum Chriſtus ipſe, qua homo, ſit electus, & caput electorum, non poteſt eſſe fundamentũ electionis & cauſa. Nam vt caput eſt hominum qua homo, ita caput eſt prædeſtinatorum qua homo prædeſtinatus ad tantum honorem qui ei ex mera Dei gratia contigit.

II. Quocirca Apoſtolus vocat quidem Chriſtum λυτρὸν, & ἱλαςήριον Col. 1. Rom. 3. cauſam vero cur hi potius quam illi eligantur nunquam eſſe dicit.

III. Ipſa ratio concinit: Nam vt ægri ſanatio ſemper præcedit intentione adhibitionem medici, ita neceſſe eſt in mente Dei prior fuerit (non quidem tempore, ſed ordine) cogitatio de ſaluandis hominibus quam de mittendo ſaluatore.

IV. His adde quod mediatio Chriſti & redemptio, eſt actio qua ſatisfit iuſtitiæ Dei: quod ſanè electionis voce non ſignificatur. Nempe quia aliud eſt eſſe Mediatorem, aliud eſſe cauſam electionis, ſeu prælationis vnius alteri in arcano Dei conſilio. Vnde fit vt Chriſtus ſit quidem cauſa meritoria ſalutis, at non electionis: Quod perinde eſt ac ſi dicerem, Chriſtum eſſe fundamentum & cauſam executionis decreti electionis, at non cauſam ipſius electionis.

V. Non leue eſt quod Chriſtus Ioh. 15. verſ. 13. dicit ſe *mortem pati pro amicis*: & cap. 10. v. 11. ipſe ſe vocat *bonum paſtorem qui animam ponit pro ſuis ouibus*. Quod ſi Chriſtus eſt mortuus pro amicis & pro ouibus ſuis, neceſſe eſt vt cum moreretur pro eis iam eos conſideraret vt amicos & oues, quantumuis multi eorum nondum eſſent vocati: teſte ipſo Chriſto qui verſu 16. eiuſdem capitis vocat oues ſuas etiam eos qui nondum erant conuerſi. Quod ſi Chriſtus moriens pro nobis, nos conſiderabat vt amicos & oues, planum eſt ante mortem Chriſti iam factam eſſe diſtinctionem inter amicos & inimicos, inter oues & hircos, ac proinde decretum electionis prius eſſe ordine morte Chriſti: &

explodendum esse Arminij dogma vt subuertēs Euangelium, quo censet tunc cum Christus mortuus est electioni nondum locum fuisse. Omnino qui mortuus est pro ouibus, mortuus est pro electis, non vero pro eligendis postquam fuerit mortuus.

Ex his patet per amicos & oues pro quibus Christus mortuus est, non intelligi eos solum qui Deum amant & Christum sequuntur, sed omnes eos quos Deus amat, & quorum salutem decreuit: pro quibus cum nondum amarent Deum, eiq; essent inimici, Christus est mortuus: Ergo inimici dicuntur Rom. 5. v. 10. quia Deum non amabant, sed tamen iam tunc summè amabantur à Deo, & ad salutem in Christo erant destinati: Nempe diuerso respectu erant amici & inimici, oues & hœdi. Amici quia Deus eos amabat, inimici quia Deum nondum amabant.

VI. Nec vero fit iniuria Christo, si amor Patris & εὐδοκία dicatur præcedere ordine decretum de Filio mittendo, cum ipse Christus id testetur. Ioh. 3. 16. *Ita Deus dilexit mundum vt Filium suum Vnigenitum dederit*, &c. vbi dilectio Patris missioni Filij manifestè præponitur. Quod quidem sic accipiendum est, non quod ab ipso electionis actu Filius excludatur: cum & ipse sit vnus Deus cum Patre: sed hoc ab eo factum est non qua Mediator, sed qua Deus.

VII. Sed nec fit iniuria Christo si Patris voluntas de hominibus seruandis dicatur præcedere Christi redemptionem: cum hæc redemptio sit etiam posterior peccato: est enim morbus prior medicinà.

VIII. Nec quidquam detrahitur de magnitudine

pretij, etiam si voluntas eius qui pretium obtulit dicatur antecessisse.

IX. Ipsa definitio Decreti Electionis hoc idem euincit, si quidem electio est decretum de certis hominibus per Christum saluandis, qua definitione Christus ponitur non vt causa electionis, sed vt medium executionis, & causa meritoria salutis.

X. Hic vero Arminiani mirum quantùm insultãt, nam quia amorem Patris facimus, non quidem tempore sed ordine priorem intercessione filij, sic agunt nobiscum quasi doceremus Deum nos amauisse extra Christum, & vt consideratos sine fide in Christũ; quod quidem tam alienum est à nostra sententia quã quod maximè. Absit dicamus Deum vnquam nobis voluisse salutem conferre, quin simul & eodem momento nos in Christo considerauerit, vt per eum seruandos. Neque erat causa cur Socinianismi ob id insimularemũr: Nihil nobis commune est cum hoc Alastore qui Christi beneficium funditus euertit. Sed aliud est dicere, amorem Patris præcedere ordine intercessionẽ filij, aliud dicere Deũ nos amare extra filium. Aliud est digerere ordine Dei cogitationes; aliud res cogitatas diuellere & separare. Arminius qui initio libri aduersus Perkinsum, ipse se nasutulum vocat, astutè, immo improbè aucupatur pũcta prioritatis in ordine, ad diuellenda quæ separari non possunt. Perinde ergo agit ac si quis diceret in Deo priorem ordine fuisse cogitationem de creando homine, quam cogitationem de ornãdo eo sanctitate & iustitia, & inde inferret Deum prius voluisse crea-

re hominẽ non iustũ,aut prius considerauisse eum vt non sanctum. Si quis dicit in Decreto Dei priorem esse cogitationem de euertendo mundo quam de euertendo per ignem, non idcirco dicit Deum prius cogitare de eo euertendo absque igne. Æterna sunt omnia Dei consilia, etiamsi ordo quidam sit inter ea & dependentia.

XI. Vrit Arminium locus ille Iohannis 3. *Sic Deus dilexit mundum vt Filium dederit &c.* vbi dilectio Dei ponitur vt causa per quam factum est vt filium dederit. Conatur ergo locum tam disertum eludere insulso cauillo: *Illa* (inquit) *dilectio non est qua vult vitam æternam: Quod etiam ex ipso dicto Iohannis apparet, si dem enim in Christum inter hanc dilectionem & vitam æternam interiungit.* Obseruabit ergo lector ipsum Arminium agnoscere quendam amorem Dei erga homines qui decretum de mittendo filio antecedit. Sed dicit Deũ isto amore non velle dare vitam æternam. Quid ergo? hoc enim debuerat ædere. An illo amore Deus vult homines in morte relinquere? An possibile est vt Deus amet creaturam à se creatam ad vitam, quin illo amore velit eam viuere? Pudet sane tam dilutæ subtilitatis. Immò vero, eo ipso quod per istum amorem misit Filium, satis aperit, se illo amore voluisse vitam homini restitui. *At* (inquit) inter dilectionem illam & vitam æternam fides intercedit. Quid tum? nonne possum velle sanationem ægri, etiam si interueniat medicus inter meam volitionem, & ægri sanationem? Hic sanè ex rebus appositis facit oppositas. Sed non video cur magis faueat Socino qui dicit Christum

non esse causam electionis, quam qui dicit Christum non esse causam amoris per quem Deus voluit Christum mittere in mundum, & nobis prospicere de redemptore. Aut cur plus peccetur faciẽdo redemptionẽ Christi esse medium inter amorem Dei per quem nos elegit & inter nostram salutem, quàm si fiat medium inter amorem Dei quo vult dare Christum pro nobis, & inter nostram salutem. Vtrobique enim ista redemptio fit medium, non prima causa. Ne igitur inuideamus Patri hanc laudem, vt eius beneplacitum fons & prima origo nostræ electionis statuatur.

XII. Obserua insuper electionem cuius Arminius vult Christum esse fundamentum, esse electionem illam generalem quà omnes homines sunt conditionaliter electi. Quam quidem cum abundè confutauerimus cap. 18. euanescit quicquid Arminiani afferunt ad probandum Christum esse electionis fundamentum. Sanè non erat cur tantopere desudarent ad probandum Christum esse fundamentũ electionis qua Pharao & Iudas sunt electi. Cuius quidem imaginariæ electionis verum habebit characterem & delineationem qui Deum sic loquentem induxerit. *Decreui mittere filium ad seruandos omnes homines qui credent, sed quinam & quot illi sint futuri nondum constitui; tantùm dabo omnibus vires sufficientes ad credendum, credet vero qui volet.*

XIII. Aduersus veritatem tam euidentem tuetur se Arminius vno Apostoli verbulo. Eph. 1. 4. *Elegit nos in Christo.* Verùm aliud est *electum esse in Christo*, aliud *propter Christum*, ita vt Christus sit causa cur hic potius quam ille electus sit. Mens Apostoli est perspi-

cia. *Eligere* nihil eſt aliud quàm *deſtinare ad ſalutem.* Ergo eligere in Chriſto, eſt deſtinare ad ſalutem in Chriſto ſeu per Chriſtum adipiſcendam. Quoſcunque enim Deus decreuit ſeruare, eos Chriſto dedit, & vt Chriſto adiunctos conſiderat. Nodum in ſcirpo quærit qui longè petitis interpretationibus tenebras offundit rei perſpicuæ.

XIV. Huic vero ſuæ ſententiæ Arminius & poſt eum Arnoldus cap. 7. ſubſternit hoc axioma: *Prædeſtinationem eſſe fundamentum Chriſtianiſmi.* Hoc poſtulatum vult ſibi concedi, neq; enim probat: Non ſecus ac ſi quis initio diſputationis vellet precariò obtinere & peteret ſibi concedi, *circulum habere angulos.* Hoc quidem magnum eſt αἴτημα, & quod nemo opinor ei concedet, qui ſcit quid ſit prędeſtinatio, & quod ſit fundamentum religionis Chriſtianæ. Fundamentum fidei Chriſtianæ eſt, agnoſcere Chriſtirum Filium Dei vnicum à patre miſſum, vt quicunque credit in eum non pereat ſed habeat vitam æternam. Omnino neceſſe eſt vt fundamentum Chriſtianiſmi ſit regula fidei, cui innitatur fides Chriſtianorum: At prædeſtinatio non eſt regula fidei, ſed actio diuina qua conſtituit certos homines ſeruare per Chriſtum. Abſit dicamus decretum arcanum quo ſinguli homines, puta Petrus aut Carolus electi ſunt, eſſe fundamentũ Chriſtianiſmi. Quicunque vellet inde auſpicari religionem, & ab hoc decreto ordiretur elementa fidei Chriſtianæ, is aut offuſa caligine trepidaret in limine, aut vertigine correptus corrueret. Quæcunque ergo Arnoldus ſuperſtruit tam falſo axiomati vltro concidunt; vt nobis non ſit

necesse euertere quæ vltro collabũtur. Adde quod impugnat quod à nobis nõ creditur, nempe nos esse amatos à Deo extra Christum. Tantùm notanda est ambiguitas qua fucũ facit lectori, cum dicit p. 171. *Christum esse fundamentum assumptionis in gratiam & amorem Dei.* Si per assumptionem in gratiam intelligit reconciliationem per satisfactionem pro nobis præstitam, fateor istius assumptionis in gratiam & amoris Christum esse fundamentum. At si per assumptionem in gratiam & amorem intelligatur amor ille Patris per quem voluit mittere filium ad nos seruandos (qui sanè amor est lõge maximus & fons omnis boni) ne quidem ipse Arminius vult Christum esse amoris istius fundamentũ. Attamen eodẽ illo amore Deus ab æterno eligit quos voluit.

XVI. Non excutio quod præfidenter & temerè Arminius dicere ausus est, Deum non potuisse aliter nos seruare quam per Christum: nec ei fuisse copiam alterius medij ad salutem hominum. *Non potest* (inquit) *Deus alicui velle vitam æternam citra respectum Mediatoris.* Et Collatores Hagienses Arminiani, *impossibile est apud Deum, salutem decernere peccatoribus quin ante decreuerit satisfactionem iustitiæ suæ*: loquuntur autem de Christi satisfactione. Audacter sanè & temerè sapientiam diuinam limitibus circumscribunt: Quod si hoc verum esset, non tamẽ esset hominis talia proloqui. Satis est quod Deus est secutus viam conuenientissimam & qua nulla est melior. Obseruandum obiter hanc Arminij sententiam non placuisse Vorstio. Is disputatione de Deo pag. 331. asserit *Deo licitum esse de iure suo remittere, non minus quam ius suum retinere aut persequi*

p. 120.

sequi

*ſequi.*Et *pag.399. Falſum eſt quod nullum omnino peccatum per Dei iuſtitiam poßit impunitum dimitti.*

XVII. Collatores Hagienſes ſic argumentantur. *Si Decretum de Chriſto Saluatore poſterius eſt decreto electionis quarundam perſonarum ſingularium ad ſalutem: ergo Deus prius ordine decreuit quarundam ſingularium perſonarum ſalutem quàm ſatisfactionem ſuæ iuſtitiæ.*

Fraus hîc eſt multiplex: nam Decretum de ſaluandis certis hominibus, & Decretum de mittendo Chriſto ad eos ſaluandos faciunt duo decreta, cum vnum ſit: Electio enim eſt decretum de certis hominibus in Chriſto ſaluandis. Non eſt aliud decretum quo Deus deſtinauit hominem ad vitam, aliud quo ad reſpirationem: Altera fraus eſt quod comparant ſalutem ſingularium cum ſatisfactione iuſtitiæ diuinæ, cum inſtituenda eſſet collatio manifeſtationis bonitatis Dei per quam ſaluat ſingulos, cum ſatisfactione ~~eius~~ iuſtitiæ ſuæ. Non eſt inconueniens ſi Deus dicatur ~~prius~~ decreuiſſe manifeſtationẽ ſuæ bonitatis quam ſatisfactionem ſuæ iuſtitiæ: His adde quod aſtutè ad ἐκφαυλισμὸν & quaſi ad contemptum, vtuntur his vocibus *electionis ſingularium quarundam perſonarum*, cum hæ ſingulares quædam perſonæ ſint Eccleſia electorum, cuius ſalus tanti eſt apud Deum vt ob eius ſalutem voluerit ſatisfacere ſuæ iuſtitię, vnde ſequitur Deum vt declararet ſuam bonitatem prius intendiſſe eorum ſalutem quàm ſatisfactionem ſuæ iuſtitiæ.

Catera quæ addunt iam ſunt à nobis excuſſa.

## DE REPROBATIONE.

### CAP. XXVI.

I. REPROBATIONIS doctrina eatenus vtilis est electis, quatenus ex comparatione sortis reproborum cum sua, excitantur ad laudem & admirationem diuinæ erga se benignitatis. Tum vbi pignora electionis languent, & spiritus adoptionis à cupiditatibus carnis contristatur, prodest fidelibus aliquo horrore concuti, & instigari ad se ipsos explorandos an proficiant in regeneratione, an vero in peius ruant & prolabantur: vt sic subdantur segnibus aculei.

II. Quosdam esse Reprobos ipsa vox Electionis euincit: non enim essent aliqui electi nisi cæteri præterirentur & reijcerentur. Reproborum mentionem facit scriptura 1. Petri cap. 2. v. 8. *Qui quidem impingunt in verbum & sunt immorigeri, ad quod etiam positi sunt.* Et Iudæ. v. 4. *Subrepserunt quidam homines ad hanc damnationem iam prius descripti.* Hi in Apocalypsi solent designari per eos qui non sunt descripti in libro vitæ. Quorum numerum esse maximum Christus innuit, sic loquens, *Multi vocati pauci electi.* Idem comprobatur experientiâ: Nam non modo ante aduentum Christi, sed & hoc ipso tempore plurimæ sunt gentes quibus ne nomen quidem Christi notum est, sine cuius tamen cognitione non est salus.

III. Reprobatio est Decretum Dei quo statuit ab æterno certis hominibus non dare gratiam qua ab insita prauitate & debita maledictione liberentur, eosque ad iustas & commeritas ob peccatum pœnas destinauit.

IV. Non placet definitio Thomæ qui reprobationis Decretum dicit esse *voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa*: Nam permissio qua Deus permittit peccatum non pertinet ad prædestinationem, sed ad prouidentiam, quantumlibet inseruiat prædestinationi. *Prima parte Summæ Q. 23. Art. 3.*

V. Reprobos posse seruari dogma est Arminianæ scholæ. *Nam* (inquit Arminius) *decretum illud non est de potentia sed de actu seruandi.* Malè: nam vbi actus Dei decreto definitus est, frustra est potentia per quam huic actui possit resisti. Hoc dogma, vt sunt errores inter se colligati ceu oua serpentum, alia nihilo meliora secum trahit. Nam si reprobus potest saluari, poterit qui non est scriptus in libro vitæ efficere vt de integro inscribatur, & sic electorũ numerus non erit certus, nec reprobationis decretum erit irreuocabile & peremptorium (vt ipsi loquuntur) nisi post finalem perseuerantiam in incredulitate. Tum inde sequetur reprobum posse, si velit, fidem adipisci, & se conuertere: vnde fit vt fides non sit ex mera Dei gratia: quam esse sententiam Arminij postea videbimus. *In Perkinsum Pag. 141.*

VI. Deus eodem modo est causa reprobationis quo iudex est causa pœnæ sontium: Peccatum vero est causa meritoria. Cum ergo peccati consideratio moueat iudicem, iudex vero damnet ad pœnam, apparet pec-

catum esse causam remotam damnationis, & non solùm conditionem necessario præprerequisitam: iudicem verò esse causam proximam.

VII. Porrò etsi peccatum sit causa destinationis ad pœnam, non est tamen causa discriminis inter electos & reprobos. Exempli gratia, sint duo sontes rei eiusdem criminis: placeat autem Regi hunc damnare, illum absoluere, peccatum quidem eius qui damnatur causa est pœnæ: at non est causa cur Rex aliter affectus sit erga hunc quam erga illum; cum par vtrobique sit culpa. Causa discriminis est quod aliquid intercessit quod ab vno horum pœnam auertit. Quod quidem in prædestinationis negotio, nihil est aliud quam mera Dei εὐδοκία, per quam certos homines ex suo mero beneplacito donauit Christo, cæteris in insita corruptione, & debita maledictione relictis. Super quo discrimine nefas est Deo litem intendere, cum non sit ὑπεύθυνος, nec obstrictus vlli creaturæ, & neminem iniustè puniat: ibi quidem dans gratiam indebitam, illic vero irrogans pœnam debitam.

VIII. Hic quæritur quod nam sit illud peccatum ob quod Deus reprobat: Nimirum an homines reprobentur ob solum peccatum ab Adamo contractum, & ob labem quæ reprobis cum electis communis est; an vero etiam reprobentur ob peccata actualia quæ toto vitæ cursu sunt commissuri. Solutio est in promptu. Nam quãuis corruptio naturalis sit causa sufficiens ad reprobationem, non est tamen dubium quin ob quam causam Deus damnat, ob eandem damnare decreuerit. Damnat autem reprobos ob pec-

cata quæ actu commiserunt: non enim in inferno luunt tantùm pœnas peccati originalis, sed etiam peccatorum actualium. Ergo & Deus destinauit eos ad damnationem ob eadem peccata. Reprobare autem & destinare ad damnationem idem sunt. Sic planè Deus aliquid exequitur in tempore prout ab æterno decreuit exequi. Punit autem in tempore ob peccata actualia, Ergo & ob eadem ab æterno punire decreuit. Inde est quod Capernaitarum pœna futura est grauior quam Sodomitarum, & eius qui sciuit voluntatem heri quã qui nesciuit, quia inter peccata actualia ob quæ puniuntur magnum est discrimen. Nihil obstat quo minus Deus considerans hominem iacentẽ in corruptione & prauitate naturali, eundem quoque consideret pollutum ijs peccatis quæ per istam prauitatem naturalem est commissurus.

IX. Arminius non putat quenquam reprobari ob peccatum originale: quippe cuius remissionem toti generi humano à Christo impetratam esse contendit: Sed vult tantùm hominem reprobari ex præuisione peccatorum actualium, id est ob violatam legem & contemptam gratiam. Qua in re mihi ipse sibi constare non videtur. Cum enim peccata omnia actualia fluant à peccato originali, fieri non potest vt causa peccatorum actualium & fons à Deo remittatur, peccata vero quæ inde fluunt non remittantur. Veluti si Deus condonaret alicui intemperantiam, sed puniret eum ob adulterium: actiones enim fluunt ab habitibus & propensionibus naturalibus vt secundi actus à primis.

X. Inter peccata ob quæ aliquis destinatur ad pœnam sine dubio est incredulitas & reiectio Euangelij: Nam hac ipsa reiectione peccatur in legem per quam Deus nos iudicaturus est: Lex enim iubet Deum amari toto corde, ejque in omnibus & sine exceptione morem geri, ac proinde & credi loquenti, & iubenti credere obtemperari, quodcunque tandem illud fuerit quod vel iubebit vel dicet.

XI. Vt reprobetur ob reiectum Euangelium & spretam Christi gratiam is cui Euangelium nunquam annuntiatum est, nulla ratio patitur. Sed quem Euangelium non seruat, relinquit sub lege vt per eam iudicetur. Quæ tunc demum astringit hominem ad credendum in Christum cum Christus ei annuntiatur. Nec est pædagogus ad Christum, nisi quibus Christi cognoscendi facta est copia. Eodem planè modo quo lex non astringebat credere Ieremiæ prophetanti eos quibus Ieremiæ nomen nunquam innotuit, nec potuit innotescere.

XII. Etsi autem reprobatio non potest dici esse causa peccati, quippe quod antecedit reprobationem: non potest tamen negari quin reprobatio causa sit negationis gratiæ & prædicationis Euangelij, & spiritus adoptionis qui electis est peculiaris: Cum enim hæc negatio pœna sit, necesse est infligatur iusti iudicis voluntate. Arminij verba hæc sunt pag. 58. in Perkinsum. *Reprobationis decreto negatur gratia efficax*, & paulo post, *Deus certo reprobationis decreto statuit nonnullis fidem & pœnitentiam non dare, scilicet adhibendo illis gratiam efficacem qua certò credant & conuertantur.* Non est ergo cur

hôc nomine traducamur ab Arminianis, cum id ipsum dicat coryphæus sectæ.

Cur autem Deus non teneatur dare omnibus fidem & pœnitentiam causa est in promptu. Deus enim qui non effecit morbum, non tenetur dare omnibus remedia morbi, nec suppeditare vires ea præstandi quæ ab homine Deo debentur. Impotentia enim hæc prȩstandi, ab ipso homine profecta est, non à Deo. Impletio autem legis est debitum naturale. Quæ cum violetur reiectione Euangelij, planum est hoc etiam esse de debito naturali credere Euangelio, non quidem antequam annuntietur, sed tunc demum cum annuntiatur.

XIII. Arminiani censent neminem reprobari, nisi qui contempsit gratiam quæ ad Christum ducit, præcipuamq; causam reprobationis faciunt incredulitatem, non modo in ijs quibus prædicatum est Euangelium, sed etiam in ijs qui ne fando quidem Christi nomen audiuerunt: hos Arminius reos facit contemptæ gratiæ. Dicit enim omnibus hominibus irresistibiliter dari facultatem credendi, & vires adipiscendi fidem si velint. Immo & Ethnicis qui ante aduentum Christi viuebant in intima Hispania aut Scythia, volũt administrata esse media sufficientia ad credendum. Ponuntq; gratiam quandam vniuersalem sufficientem, omnibus hominibus communem. Sed cum ventum est ad explicandam istam gratiam, modo eam constituunt in notionibus communibus & luce naturali, modo in contemplatione creaturarum, modo in qualicunq; cognitione legis. De qua nefaria doctrina, &

*Arnol. p 336 Dicat Arminius gratiam qua facultas credendi datur quamplurimis, dicat omnibus communem esse, an proinde neget gratiam esse? Et pag. 262. Respondeo Deum cũ nouum fœdus gratiæ proponit & culpæ admissæ remissionem promittit sub noua obedientiæ conditione* TENERI *maxime vires da-*

*re quibus homo conditionē istam poßit implere, alioqui non posset iudicari istam gratiam sincere offerre.*

quomodo per hæc in Pelagij castra non obscurè transeant, agetur suo loco.

XIV. Hîc verò vndique telis incessimur: & Arminiani conuitia in nos quasi ex plaustro iaculantur, & sibi fingunt mōstra quæ iugulent. Collatores Hagienses p. 122. post eructatas aliquot calumnias, sic claudunt sermonem. *Hæc breuiter dicta sint aduersus absurdam, destabilem, atq; abominandam sententiam istam.* Bona verba quæso. Non terrent nos hæc μορμολύκεια. Fingunt nos docere infidelitatem fluere ex reprobatione, quasi reprobatio causa esset infidelitatis. Hunc coccysmum sexcenties nobis occinunt viri boni: tribuentes nobis doctrinam quam nec credimus, nec docemus. Nam si quis non decreuit dare cæco remedia quibus recuperet visum, non idcirco causa est cæcitatis, aut cæcum ad cæcitatem destinauit.

*Collat. Hag. p. 277. Non potuit se conuertere, impeditus scilicet à diuina volūtate.*

XV. Nituntur autem falso fundamento, cui peiora superstruunt. Sermonem enim suum de Reprobatione sic auspicantur p. 118. *Notum est fratribus Contraremonstrantibus quod qualis ex vna parte est Electio, talis debeat esse ex altera parte Reprobatio.* Hic fons erroris; falsum hoc principium homines acutos abduxit in deuia. Alia longè est Electionis ratio, alia Reprobationis. Peccatum enim & infidelitas non est conditio eodem modo requisita in reprobis, quo fides est conditio requisita in electis. Nam peccatum est conditio prærequisita ante reprobationem, fides vero est conditio consequens electionem. Reprobatio fit ex peccato, electio vero est ad fidem. Peccatum causa est destinationis ad pœnam, fides est electionis effectus. Illud Deus

inuenit,

inuenit hanc facit. Peccatum ſequitur reprobationem neceſſitate conſequentiæ tantùm, at non neceſſitate conſequentis. At fides vtroq; modo ſequitur electionem. His abundè diluitur calumnia quam Arnoldus p. 228. & ſæpe alibi nobis inſpergit: nos negare reprobos eſſe reprobatos propter peccatum.

XVI. Calumniandi anſam præbet Arminianis quod dicimus decretum Reprobationis eſſe præciſum & abſolutum, nec aſſentimur Arminio docenti reprobos quidem non ſeruari, ſed tamen poſſe ſeruari: & neganti numerum reproborum decreto Dei eſſe definitum. Sed nihil hîc eſt ex quo poſſit deduci, reprobationem cauſam eſſe peccati, aut quenquam reprobari ſine intuitu peccati.

XVII. Arnoldus ſententiam noſtram obiectiunculis quibuſdam vellicat. Pag. 219. *Dicitis reprobos ob aliud peccatum à ſalute in Decreto à Deo eſſe excluſos, ob aliud verò in tempore excluſos iri.* Calumnia: Hoc nec ſentimus nec dicimus. Eandem criminationem ingerit pag. 229. & 238. vbi dicit à nobis credi homines reprobari tantùm conſideratos in peccato Adami.

XVIII. Pag. eàdem ſic argutatur. *Non eſt ſapientiæ velle vt bonum ſperent qui abſoluto Dei Decreto ab eodem ſunt excluſi.* At nego incredulos aut profanos abſoluto Dei decreto à bono eſſe excluſos, eo modo quo *abſolutum* accipis, id eſt ſine reſpectu ad eorum peccata. Non eſt autem inſipientis iubere vt qui abſoluto, id eſt certo & ineuitabili decreto à vita æterna ſunt excluſi, contendant & aſpirent ad vitam æternam, quando ob id ipſum à vita ſunt excluſi quia ad eam non aſpirauerunt.

XIX. Idem pag. 226. *Statuitis* (inquit) *Deum citra considerationem impenitentiæ quosdam peccatores in lapsu Adæ iacentes præcisè à salute reprobasse*: Calumnia: hoc non credunt Ecclesiæ nostræ. Non hoc dicit Confessio Ecclesiarum Galliæ: Non Angliæ: Non Belgij. Decreto quidem reprobationis includitur voluntas non dádi fidem & finalem pœnitentiam reprobis: Sed non inde fit reprobationem esse citra considerationem impenitentiæ.

XX. Subijcit Arnoldus. *Vestra doctrina statuit* Deum *à reprobis fidem exigere, eosq; si non credant decreuisse damnare, cum tamen simpliciter illis sit impossibile vt in Christum cum certa animi persuasione credant, non solùm quia Deus illis non dat vires ad credendum, sed etiam quia si vel viribus ad credendũ essent instructi, immo crederent in Christum, falsum crederent, vtpote quia Christus pro ipsis non est mortuus. Pugnat vero cum diuina iustitia talem obedientiam exigere, & ob obedientiam talem quæ creaturæ absolutè est impossibilis non præstitam creaturam punire.* Eadem sæpe alibi κατακόρως inculcat: præcipuè vero p. 261. & 262.

Multa hic falsa. Primò falsum est fidem ab omnibus reprobis exigi, nam ab ijs solum exigitur quibus Euangelium annũtiatur. Sed neq; verum est fidem absolutè & sine cõditione exigi ab omnibus quibus Euãgelium annuntiatur: exigitur enim sub conditione, nempe si conuertantur & resipiscant: Si vero non resipiscant, docemus & clamamus Christi beneficium ad eos non pertinere: & frustra ac falsò ab eis sperari & credi in Christum, quandiu Deo inuitanti ad penitentiam ad-

uersantur: Sed & falsum est Deum fore iniustum si iubeat eos credere & obsequi, qui insita prauitate non possunt credere & obsequi, & quibus Deus non dat vires credendi: homo enim ipse sibi hanc impotentiam accersiuit, & hæc prauitas in homine est voluntaria: & Deus exigens ab homine vt sibi per Christum loquenti credat, nihil exigit quod homo non debeat: Obsequi enim legi est debitum naturale: Non potest autem Deus per Christum loquens respui & contemni, quin lex violetur, vt plenius iam aliquot locis docuimus, præcipuè vero cap. 11. vbi docuimus vires credendi nobis in Adamo esse datas; & Adamũ eas habuisse ante lapsum; sed occasionem defuisse: Ac proinde & has vires in Adamo esse amissas. Nec Deum TENERI eas restituere, vt vult Arnoldus, Deo ipsi leges figens. Per hæc etiam itur obuiam criminationi qua nos insectatur Arnoldus p. 230. *Statuitis* (inquit) *à reprobis fidem exigi, media tamen ad obsequium fidei præstandum præcisè negari.* Nam nec ab omnibus exigitur, sed ab ijs quibus Christus innotuit, neq; ab his absolutè, sed cum conditione resipiscentiæ: neq; ab ijs quamuis reprobis quicquam exigitur quod non debeant. *pag. 262. in Tilenum.*

XXI. Sed Arnoldus assuit fœdam calumniam qua causam nostram odiosè prægrauat. *Vultis* (inquit) *à reprobis fidem exigi, vt inexcusabiles reddantur, & damnatio ipsorum aggrauetur.* Dicimus quidem damnationem grauiorem inde effici, sed non dicimus hunc finem Deo esse propositum. Sic cum dicimus aliquem proficisci ad bellum vt occidatur, significamus quid euenturum sit, non quis finis intendatur. In finem vero

quem sibi Deus preponit scrupulosè inquirere non est nostrum. Hi duo tamen fines certi sunt: Nempe petere ab homine quod debet: tum electos hoc pacto ad salutem perducere.

XXII. Intentat aliud telum pag. 286. *Vestra* (inquit) *doctrina pugnat cum minis Euangelicis, quatenus cum intentio Dei in illarum propositione sit, vt homines ab impœnitentia deterreantur & ita seruentur: vos contra docetis Deum media ad pœnitentiam necessaria aliquibus negare, quia illos statuit non seruare.* Principiò dubitari potest an sint aliquæ minæ Euangelicæ, nam minæ quæ in libris Euangelij continentur non sunt pars Euangelij. Cum enim ipsa vox Euangelij bonum nuntium denotet, non video quomodo minæ ad bonum nuntium possint pertinere. Non per Euangelium, sed per legem punientur qui non crediderint Euangelium. Sed vt vt sit, nihil hîc video quod pugnet cum his minis per quas Deus intendit ab homine exigere quod debet, & quod ipsa lex postulat, nempe vt Deo mos geratur. Cum tali minarum denuntiatione optimè conuenit negatio gratiæ & restitutionis virium quas homo sua culpa amisit. Non pugnant ista, vitam sub conditione obsequij homini proponere, & vires obsequendi culpa hominis amissas homini non restituere.

XXIII. Sed neque hæc pugnant, vitam sub conditione alicui proponere, & eundem ad mortem ob præuisam inobedientiam ordinare.

XXIV. Idem pag. 296. (nam quod de infantibus subiungit postea tractabitur) post Arminium, sic inuehitur in nostram sententiam. *Vestra* (inquit) *senten-*

*tia facit quo minus publicæ preces sicut decet Deo offerri possint, scilicet cum fide & fiducia quod omnibus verbum audientibus sint profuturæ: quia iuxta vestram illam sententiam inter eos multi sunt quos Deus non modo non vult saluari, sed quos absoluta, æterna, & immutabili voluntate, omnes omnino res & causas antegrediente damnari vult. Apostolo interim vbi preces pro omnibus fieri iubet hanc rationem adiungente, quod hoc bonum & acceptum sit coram Deo qui vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.*

XXV. Respondeo falsò supponi ab Arminio preces publicas debere fundi cum hac fiducia, quod omnibus verbum audientibus sint profuturæ. Temeraria esset hæc fides, nec nixa Dei verbo. Maximè cum Ministri verbi vt plurimum multos nouerint apertè contumaces & profanos, nec dubitent quin præter hós multi sint intercutibus vitijs ægri, qui tamen præ se ferunt pietatem. Profectò simile de semine sparso in diuersum solum & discrepantis ingenij, dissimilique successu, plus hac in parte nobis affert timoris quam fiduciæ. Veruntamen quia nobis ignota sunt arcana reprobationis, merito pro omnibns concipiuntur preces, quia de singulis bene speratur. Non video autem quo pertineat hæc obiectio nisi ad distinendum lectorem ludicra declamatione; quippe cum hæc eadem obiectio non minus vrgeat Arminium, qui etsi decretum Dei non vult esse præcisum, fatetur tamen Deum certò præscire qui sint damnandi. Hoc autem fateri quid aliud est quam docere Deum velle vt pro ijs oremus, quibus certò scit orationes nostras non profuturas?

Quod vero nobis impingit, nos facere decretum reprobationis antegrediens omnes omnino res & causas, ac proinde & ipsum peccatum, alienum est planè à nostra sententia: Quod si cui talia verba exciderunt per incogitantiam, non hæc idcirco est sententia Ecclesiarum nostrorum. Defendimus nostra, at non præstamus aliena.

XXVI. De loco Apostoli vbi dicit Deũ velle omnes homines saluari, agetur suo ordine & loco: Velle hic nihil est aliud quam inuitare & vocare. Tum per omnes homines, intelligit homines cuiuscunque conditionis & sortis: Eodem planè modo quo ad Titum cap. 2. v. 11. gratia Christi dicitur esse salutifera omnibus hominibus, cum tamen tam multi pereant. Indicio est quod ibi quidem de regibus, hic vero de seruis agitur: Illorum dominationem tunc temporis Christo aduersam, horum vero sortem abiectam, Apostolus vult non esse impedimento quo minus pro illis preces concipiantur, hi vero gratiæ salutaris ~~non~~ posse esse participes existimentur.

XXVII. Arminiani sibi acutè agere videntur cum sic disserunt. *Sit* (inquiunt) *aliquis cui ob malè actas excubias oculi sint eruti, an iustum est ei iubere vt vigilet deinceps & excubet? Quod si non fecerit eundem grauißimis pœnis multare quod non vigilauerit?* Respondeo hoc exemplum planè esse alienum: vtuntur enim exemplo cæci qui non tenetur videre: at homo quantumuis corruptus & prauus tenetur Deo obsequi. Ni fecerit meritò plectitur. Tum afferunt exemplum eius cui reluctanti & inuito oculi sunt effossi: at homo vltro sibi

prauitatem asciuit, & voluntariè malus est: meritò ergo punitur.

*Quatenus & quo sensu Christus sit pro omnibus mortuus. Sententiæ partium.*

## Cap. XXVII.

I. ARMINIANI censent, Christum morte sua omnibus & singulis hominibus impetrauisse & acquisiuisse remissionem peccatorum, & reconciliationem & salutem. Nec dubitant dicere morte Christi reconciliationem & salutem esse acquisitam Pharaoni, Sauli, Iudæ, Pilato, non quidem quà reprobis, sed quà peccatoribus. Deum enim salutem omnium hominum ex æquo intendere & desiderare. Sed quod remissio & reconciliatio omnibus non applicetur, causam esse hominis incredulitatem.

*Coll. p. 130. Christus omnibus per mortem impetrauit reconciliationem & remissionem peccatorum.*

*Collat. Hag. pag. 183. Non omnibus merito suo partam salutem confert etiamsi omnibus sit acquisita.*

II. Vnus tamen Vorstius Arminianorũ Coryphæus hæsitat in hæc quæstione, & pronior videtur in contrariam sententiam. Is pag. 65. collationis cum Piscatore, dicit Christum nõ pro solis electis, sed pro omnibus omnino hominibus, saltem pro vocatis, in mortem à Deo traditum esse.

III. Finem verò quem sibi Deus proposuit in tradendo filium morti censent non fuisse, applicare hoc beneficium certis quibusdam hominibus, nec Christum fuisse destinatum ad mortem ex præcisa Dei vo-

luntate hominem ſaluandi; Chriſtum enim à Patre morti eſſe deſtinatum, antequam Deus de ſaluandis hominibus cogitaret: ideoque Chriſtum morti deſtinatum ſine illo reſpectu, vt credentes in eum ſeruarentur. Greuinchouius p. 21. diſertè dicit etiã impetratione iam cõpleta nullam tamen eſſe neceſſitatem applicationis: id eſt poſt impretatam ſalutem & reconciliationem omnibus hominibus, non eſſe neceſſe vt quiſquam ſaluetur, & poſſibile fuiſſe vt nemo actu reconciliaretur. Nempe quia vult decretum de mittendo Chriſto ordine antegredi decretum de ſaluandis credentibus, ac proinde Deum ſtatuiſſe mittere filium, cum nondum ſtatuiſſet ſeruare credentes. Sed Arminiani finem Deo propoſitum in mittendo filio hunc fuiſſe volunt, reddere ſalutem hominis poſſibilem, & ſibi viam patefacere qua poſſet ſaluare peccatores, illæsà ſuà iuſtitia. Hinc Deo partam eſſe poteſtatem hominem ſaluandi, quia ſine morte Chriſti per quam ſatisfactum eſt Dei iuſtitiæ, Deus ne quidem potuiſſet velle hominem ſeruare.

*Greuinch. p. 15. 16. & 17.*

IV. Quod ſi nemo in Chriſtum credidiſſet, Chriſtus tamen (ſi his creditur) finem quem ſibi moriendo propoſuerat aſſecutus fuiſſet; Negant enim eum eſſe mortuum vt quenquam præcisè ſaluaret, ſed vt ſalus hominis poſſibilis redderetur, eique ianua ad ſalutem pateret, quam homini gratià adiuto liberum eſſet ingredi, aut non ingredi.

*Vide Collat. Hag. p. 172. Greuinch. p. 8. & 9. Deus applicationẽ recõciliationis omnibus nec voluit nec noluit, &c.*

V. Diſtinguunt ergo inter impetrationem & applicationem. Omnibus quidem impetratam reconciliationem & remiſſionem peccatorum pertendunt, quæ tamen

tamen ſolis credentibus applicetur. Omnes homines datos eſſe Chriſto iure ſaluationis: at non communicatione ſalutis. Deum applicationem reconcilationis, id eſt fidem & ſalutem omnibus nec voluiſſe nec noluiſſe, ſed ita demum voluiſſe ſi crederent & ſi vellent recipere gratiam.

*Greuinck. p. 8*

VI. Sed & iidem negant Chriſtum in cruce electorum perſonam ſuſtinuiſſe: aut mortuum eſſe pro electis: quia electio tunc locum nondum habebat, quippe quæ ſit aliquid poſterius morte Chriſti.

*Arm. in Perk. p. 77. & 78.*

*Greuinc. p. 46.* Chriſtus quoad actũ oblationis omniũ omnino hominum ſacerdos fuit, etiã Pharaonis &c. *Ibi per oblationem vult fieri impetrationem, per interceſſionem vero applicationẽ.*

VII. Chriſtum quidem dicunt ſe obtuliſſe in ſacrificiũ pro omnibus, at quod ad interceſſionem eius non ſibi conſtant, * interdũ enim volunt eum intercedere pro ſolis fidelibus, quaſi aliquid impetrari poſſet ſine interceſſione. Interdum verò faciunt duo genera interceſſionis, * quandam generalem, & omnibus communem, quandam particularem, quæ credentibus peculiaris eſt.

VIII. Ab hac ſententia abſumus longiſſimè. Chriſtum quidem pro omnibus eſſe mortuum agnoſcimus, ſed pernegamus hac morte omnibus hominibus impetratam eſſe ſalutem aut remiſſionem peccatorum; Aut Caino, Pharaoni, Sauli, Iudæ &c. eſſe partam reconciliationem. Nec putamus alicui impetratam eſſe remiſſionem peccatorum, cui non ſint remiſſa peccata, aut acquiſitam ſalutem ei quem Deus ab æterno damnare decreuit: inanis enim eſſet hæc acquiſitio. Electionem vero poſteriorem eſſe morte Chriſti, cum multis aliis de cauſis negamus, tum quia Chriſtus in ipſo mortis agone dedit inſigne ſpecimen electionis

*Coll. Hag. pag. 187. Reſpondemus duplicem eſſe interceſſionẽ vnam generalem quæ totum mũdum ſpectat alteram particularem quæ ad ſolos credentes pertinet.*

in latrone, cuius ineffabili modo cor affecit & mentem illustrauit, altero latrone insuper habito: Cum verò Christus passim dicit se mori pro suis ouibus, & pro iis quos pater ei dedit, satis indicat se pro electis esse mortuum.

IX. Cum autem dicimus Christum pro omnibus esse mortuum, id sic accipimus: Nempe Christi mortem sufficientem esse ad seruandos quoslibet credentes: Immo & abundè suffecturam ad seruandos omnes homines, si quotquot sunt toto orbe homines in eum crederent. Et quod omnes non seruantur causam esse non in insufficientia mortis Christi, sed in hominis prauitate & incredulitate. Denique eodem modo potest dici Christum morte sua Deo reconciliare omnes homines quo dicimus Solem illustrare oculos omniũ hominum: quamuis multi sint cæci, multi dormientes, multi in tenebris abditi. Nempe quia si omnes & singuli homines essent oculati, & vigilantes, & positi in media luce, lux solaris sufficeret ad eos illustrandos. Nec dubium est quin possit dici non modo Christum mortuum esse pro omnibus hominibus, sed etiam omnes homines per Christum seruari, quia inter homines nemo seruatur nisi per Christum: eodem planè modo quo Apostolus 1. ad Corinth. cap. 15. v. 22. dicit *in Christo omnes viuificari*, quia nemo nisi per eum viuificatur.

*Christi morte non esse omnibus & singulis acquisitam nec impetratam reconciliationem nec remissionem peccatorum, nec salutem.*

## CAP. XXVIII.

I. PRINCIPIO quicunque dicit morte Christi impetratam esse reconciliationem omnibus & singulis, quamuis consideret Pharaonem & Iudam non vt reprobos, sed simpliciter vt peccatores, dicit tamen reconciliationem esse impetratam ijs qui nunquam crediderunt, nec fuerant credituri. Cum autem non sit æquum, nec iustum vt talibus reconciliatio impetretur, perperam adhibetur mors Christi ad impetrandum aliquid iniusti, & ad faciendum aliquid quod Dei iustitiæ aduersatur.

II. Quis autem nisi qui sibi vltro oculos configit, vnquam credet morte Christi impetratam esse reconciliationem Iudæ, cum ipsa mors Christi sit ipsissimū Iudæ crimen, & inde ad laqueum adactus sit?

III. Cumque eo ipso tempore quo Christus mortem oppetebat multi iam cruciarentur in inferno, oportet sit vacui capitis, qui censet morte Christi eis salutem aut reconciliationem impetratam esse.

IV. Tum per hanc doctrinam Deo apertè illuditur. Fingitur enim Christus à Patre impetrare quod

ſcit nunquam profuturum: quaſi Deus concederet filio ſalutem hominis quem ab æterno damnare decreuit. Enimuero ſi Pharaoni & Iudæ, ſiue conſideratis vt reprobis, ſiue conſideratis vt peccatoribus, Chriſtus impetrauit reconciliationem & remiſſionem peccatorum, ſatis ſciebat iſtam impetrationem ipſorum bono & vtilitati non ceſſuram. Inducitur ergo Chriſtus ſic rogans patrem, *Obſecro te recipe in gratiam eos quos ſcio te nunquam recepturum in gratiam, & quos certò ſcio eſſe damnandos.* Chriſtus enim in morte & ante mortem, arcana electionis pernouerat. Nempe hi homines id videntur dare operam vt religio Chriſtiana ridenda propinetur.

V. Sed & ludibrio Deum exponunt, dum volunt Deum ſimul eundem hominem amare & odiſſe: & amare quidem quia dat pro eo filium, & vult ei impetrari reconciliationem; odiſſe verò quia ab æterno eum damnare decreuit.

VI. Quod ſi Chriſtus impetrauit Iudæ remiſſionem peccatorum, oportet Deus id Chriſto roganti conceſſerit, & Iudæ remiſerit peccata. Quod quidem ſi verum eſt; oportet Deus ſua acta reſciderit. Et damnans Iudam pœnas ſumpſerit de peccatis remiſſis. Et homines puniantur ob peccata quorum impetrata eſt remiſſio. Et teſtamentum Chriſti per quod volunt omnibus hominibus acquiſitam ſalutem, factum ſit irritum.

VII. Neque ſolum Deo ſic illuditur, ſed & Deus fingitur illudens generi humano. Conſtat enim vſu & omnium ſæculorum experientia, Euangelium vix

decimo cuique hominum annuntiari, & nomen Chriſti maximæ parti orbis eſſe ignotum. Quod quidem Dei prouidentia ſic diſpenſante fieri nemo negabit, niſi qui res ſuſque deque ferri, & temerè fluere putat. Quod ſi acquiſita eſt omnibus hominibus reconciliatio & ſalus per Chriſtum, cur Deus non promulgat hoc beneficium per totum orbem? Cur patitur hanc reconciliationem maximæ parti generis humani eſſe ignotam? Cur premit & abſcondit tam multis hominibus gratiam quæ ad eos pertinet, & quæ eis eſt impetrata? ſine cuius tamen cognitione nemo poteſt ſeruari? Reſpondent, Deum id facere, quia homines ſe præſtant indignos hac gratia. Quaſi vero quiſquam eſſet eà dignus, aut poſſet ſe præſtare dignum. Quis neſcit indigniſsimis quibuſque annuntiatum eſſe Euangelium, *Et vbi abundauit peccatum, ibi abundaſſe gratiam*? Rom.5.20. Quod ſi Deus indignitate hominis impeditur ne ei patefaciat reconciliationem impetratam, eadem indignitas potuit & debuit impedire impetrationem reconciliationis. Cum enim impetrata eſt reconciliatio, iam Deus præſciebat indignitatem futuram, non minori certitudine quam ſi præſens fuiſſet.

VIII. Cum vero dicunt Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum quod ad impetrationem reconciliationis, non vero quod ad applicationem, planè fatentur Chriſtum non impetrauiſſe vt hæc reconciliatio omnibus applicaretur. Vnde fit vt inanis ſit hæc impetratio, immo & ridicula. Perinde enim loquuntur ac ſi dicerent alicui impetratam eſſe liberationem, ſed non

vt liberetur : aut alicui cibum esse impetratum, sed non esse impetratum vt hoc cibo vescatur.

IX. Cum autem per fidem fiat applicatio mortis Christi, si Christus morte sua nõ impetrauit nobis applicationem reconciliationis; omnino sequetur eum nobis non impetrauisse fidem : Nempe oportet negent fidem nobis impetratam, qui fidem nolunt esse à sola gratia, sed partim esse ex libero arbitrio; penes quod volunt esse gratiam respuere vel admittere, actu credere vel non credere.

X. Et sanè qui attentius perpenderit quid sibi velint hæ voces, *Impetratio applicationis, aut applicatio impetrationis*, comperiet meram esse μετεωρολογίαν, & tricas importunas quibus ingenia implicant : cum Christus nihil impetret quod non applicet, nec quicquam applicet quod non impetrauerit : alioqui inanis esset impetratio beneficij quod & qui impetrat, & is à quo impetratur scit nũquam applicatum iri, & nunquam profuturum esse ei cui impetratur. Nec credibile est impetratam esse remissionem peccati quod nunquam remittetur.

XI. Immo vero sic agunt nouatores, vt qui velint morte Christi non nobis, sed Deo aliquid esse partum : morte enim Christi volunt Deum acquisiuisse potestatem nos saluandi, Petro vero & Paulo salutis collationem seu applicationem negant morte Christi esse impetratam : sed ianuam tantum & viam eis apertam, vt possint salutem acquirere. Quocirca Christus morte sua non dator, sed præparator salutis dicendus erit. Ac profecto sententia Arminij eo ten-

dit, vt dicatur Christus non impetrauisse cuiquam re-conciliationem, sed Deo patefecisse viam qua posset salutem conferre.

XII. Non minus ineptiunt cum fatentur fructum resurrectionis ad solos credentes pertinere, at fructum mortis, id est reconciliationem & remissionem peccatorum ad omnes & singulos extendunt. Ergo, si his creditur, erunt quidam homines ad quos fructus mortis pertineat, resurrectionis vero non pertineat. Perinde ac si dicerent Christum mortuum esse pro aliquibus pro quibus non superauit mortem: Et ad omnes quidem pertinere fructum pugnæ, at non victoriæ. Et erunt aliqui pro quibus cum se obtulerit in terra, se tamen non offert in cœlo. At scriptura hæc nectit vt indiuulsa & inseparabilia, mortuum esse pro nobis & resurrexisse pro nobis. Rom. 8. 34. *Christus is est, qui mortuus est, immo vero qui etiam resurrexit, qui etiam est ad dexteram patris postulans pro nobis.* Et 2. Cor. 5. vers. 15. *Vt qui viuunt post hac non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Nimirum quia fructus mortis Christi nemo fit particeps nisi per resurrectionem.

*Adu. VValacr. p. 51. Nō ad eos omnes fructus resurrectionis extenditur, pro quibus mortem obijt Christus.*

XIII. Non leue est quod si toti generi humano reconciliatio impetrata est, necesse est omnes infantes nascentes extra fœdus esse reconciliatos, & peccatum eis esse remissum. Vnde fit vt non alio maiori beneficio possint affici quam si quis eos clementi crudelitate in cunis iugulauerit. Nam si in hoc statu reconciliationis moriuntur, certa est eorum salus. At iidem viui & superstites educabuntur in Paganismo, quæ est certissima via ad perditionem æternam.

XIV. Cum autem nemo poſſit ſeruari, niſi cui impetrata reconciliatio, fuerit quoque applicata: non video quid in infantibus immatura morte ſublatis impetratio differat ab applicatione: nam (ex doctrina Arminij) per ſolam reconciliationem ſeruantur: Hic ergo euaneſcit illa diſtinctio impetrationis & applicationis. Quæ quidem quantumcumque inter homines locum habeat; apud Deum tamen locum habere non poteſt, qui nihil concedit quod non det; à quo nihil impetratur quod non largiatur & actu conferat: ei enim omnia ſunt præuiſa, nec quicquam poteſt accidere per quod compellatur negare quod conceſſit, aut mutare conſilium, aut ſua acta reſcindere.

XV. Quod ſi hæc duo inter ſe conferantur, impetrare inimicis reconciliationem vt ſeruentur, & ſalutem eis iam reconciliatis cõferre, non dubium eſt quin longè maioris ſit amoris, mori ad reconciliandos inimicos, quam dare ſalutem reconciliatis. Id diſertè docet Apoſtolus ad Rom. 5. v. 10. *Si quum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati ſeruabimur per eius vitam.* Nempe, ſi Paulo creditur, ſeruare reconciliatum res eſt facilior & probabilior quam reconciliare inimicum, moriendo pro eo. Cum ergo quod eſt longè maximum & ſummi amoris τεκμήριον, Chriſtum (ſi fides Arminio) pro omnibus præſtiterit: dicendum erit, Chriſtum mortem oppetendo pro nobis, non minus Pilatum & Iudam & Saulem ac Pharaonem, quam Petrum & Iohannem amauiſſe. Vt autem Chriſtus ſummo amore amauerit quos pater ab æterno odit, & quos filius ipſe ſciuit ab æterno deſtinatos ad

tos ad

tos ad pœnam, nemo à se impetrabit vt credat nisi qui vult decipi.

XVI. Enimuero cum Christus, quà Deus vnus cum Patre, reprobos ab æterno prædestinauerit ad damnationem, non est cõsentaneum, immò nec possibile vt idem Christus & impetrauerit reconciliationem Iudæ, quà homo & Mediator, & eundem ab æterno reprobauerit quà Deus. Nam etsi sectarij decretum reprobationis velint esse ordine posterius impetratione, tempore tamen neutrum est altero prius, & oportet vt simul in vna eademq; mente fuerint studium reconciliandi & decretum reprobandi.

XVII. Insignis est Christi sententia Ioh. 15. v. 13. *Maiorem dilectionem nemo habet quam si quis ponat animam pro amicis.* Mens Christi est, non posse amicos plus amari quam mortem pro ijs oppetendo. Nam quantumcunque sit maioris dilectionis mori pro inimicis quam pro amicis, certum est tamen non posse quicquam prestari in amicorum gratiã, quo amorem tuum erga eos magis testeris, quam si mortem pro eis oppetas. Cum ergo hic sit summus amor mori pro aliquo, siue amicus sit siue inimicus, oportet Christus omnes homines summo & pari amore dilexerit. Oportet ergo asserant, si sibi constare volunt, Christum, mortem oppetendo, summo amore amauisse Iudam, Pilatũ, immo & Cainum & Pharaonem qui iam erant apud inferos.

XVIII. Collatores Hagienses, conantur se expedire p. 183. *Si* (inquiunt) *summè diligere est non tantum salutem mereri sed & conferre*, *negamus Christum genera-*

*liter omnes eos summè amare pro quibus ipse mortuus est:* Damnent ergo Christum, & mendacij arguant qui hunc vult esse summum gradum amoris, mori pro aliquo. Impossibile est autem vt Christus summo gradu amoris amet aliquem, quin salutem ei conferat. Quod si hæc possent separari, maneret tamen illud statum & firmum, Christum summo amore dilexisse eum pro quo mortuus est, etiam si salutem ei postea non contulerit: quia magnitudo amoris Christi, non ex vtilitate quæ ad eum pro quo moritur peruenit, sed ex magnitudine dolorum quos pro eo pertulit æstimanda est. Immo quisquis hæc accuratà iudicij trutina ponderabit, comperiet, maioris esse amoris pati mortem pro aliquo ad ei adipiscendum exiguum aliquod bonum, quam magnum. Sic flagrantioris est amoris exponere se morti, ne amicus vel tantillum lędatur, quam si id faceret ne amicus viuicomburio pereat.

XIX. Nec verò effigiunt distinctione amoris in antecedentem & consequentem, quandoquidem antecedens amor quo Iudam & Pharaonem volunt à Christo esse amatum, non potest non esse maximus, & quo, Christo ipso teste, nullus est intensior. Non sunt duo amores, velle misereri ante fidem, & velle saluare post fidem, sed vnius eiusdemq; amoris duo effecta.

XX. Quod si Christus morte sua fuit vas & λυτρὸν Iudæ, Pharaonis, Saulis, &c. Deo inuretur nota iniustitiæ, qui duas pœnas pro ijsdem peccatis sumpserit, cum prior satisfactio sufficeret, & bis in idem indicauerit. Semel enim mortui fuerint in Christo, cum Christus eorum personam in cruce su-

ſtinuit, & tamen ijdem ipſi in ſua perſonà moriuntur morte æterna. Inde etiam ſequetur Chriſtum fruſtra luiſſe pœnas Iudæ & Phraoni debitas, ſeq; pro ijs fruſtra vadem conſtituiſſe. Enimuero ſi Chriſtus in cruce, vas erat omnium & ſingulorum, & pro eis comparebat vt fideiuſſor, neceſſe eſt eorum locum in cruce impleuerit, & eorum perſonam ſuſtinuerit. Et ſic de omnibus hominibus ſine exceptione poterit dici, quod dicit Apoſtolus 2. Corint. 5. v. 14. *Si vnus pro omnibus fuit mortuus, nempe omnes ſunt mortui.* At reprobos cum Chriſto aut in Chriſto eſſe mortuos nemo hactenus, quod ſciam, auſus eſt dicere. Ac profecto ſequentia verba Apoſtoli arguunt eum non loqui de omnibus hominibus toto orbe: ſed de omnibus ad quos pertinet fructus reſurrectionis Chriſti & qui ſunt noua creatura.

XXI. Reconciliationem vero ſolis fidelibus eſſe acquiſitam docet Apoſtolus ad Romanos 5. v. 11. *Gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem aſſequuti ſumus.* An Paulus tantopere gloriaretur beneficio quod ipſi cum Herode & Pilato commune eſſet? Et cap. 3. v. 24. *Chriſtum Deus propoſuit placamentum per fidem in ſanguine ipſius.* Non eſt ergo placamentum ſine fide, proinde nec reconciliationis impetratio. Hoc enim ipſo cenſetur Deus placatus peccatori, quia Chriſtus ei reconciliationem impetrauit.

XXII. Eiuſdem Epiſtolæ cap. 8. v. 34. non modo dicitur Chriſtus mortuus eſſe pro electis, ſed etiam ex eo quod Chriſtus pro eis eſt mortuus Apoſtolus in-

fert nullam accuſationem eis intendi poſſe. *Quis intendet accuſationem in electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat. Quis condemnabit? Chriſtus eſt mortuus &c.* Ex quo loco ſic argumentamur, Ii pro quibus Chriſtus eſt mortuus condemnari non poſſunt nec eis vlla accuſatio intendi. At reprobi damnantur, & in eos accuſatio intenditur. Ergo Chriſtus pro eis non eſt mortuus. Nempe eo ſenſu quem initio dixi, videlicet Chriſtum morte ſua non eis impetrauiſſe reconciliationem & ſalutem.

XXIII. Quibus Chriſtus impetrauit reconciliationem & remiſſionem peccatorum, pro ijs orauit & interceſſit. At non intercedit neque orat pro mundo, ſed pro ſolis fidelibus, vt ipſe Chriſtus dicit Ioh. 17. 9. *Ego pro eis rogo, non rogo pro mundo, ſed pro eis quos dediſti mei.* Per mundum intelligi *non credentes*, & qui gratiam Chriſti non receperunt, inter quos etiam ſunt refractarij, non dubium eſt: Pro his Chriſtus negat ſe orare. Sunt autem tales omnes homines ſuà natura, & deſtituti non modo fide, ſed & viribus credendi. Sed inter eos Deus quoſdam dat Chriſto, quibus etiam dat fidem in Chriſtum. Pro his ſolis Chriſtus profitetur ſe apud Patrem intercedere.

XXIV. Hic more ſuo, diſtinctiunculam adhibent ſectarij: Faciunt enim duplicem interceſſionem, vnam generalem qua Chriſtus pro omnibus, alteram particularem qua pro ſolis fidelibus intercedit. Illà impetrari reconciliationem peccatorum, hac vero applicationem reconciliationis & ſalutis. Sed hæc interceſſio generalis planè eſt ſuperuacanea, fruſtra enim petitur reconciliatio ſine applicatione ſalutis. Vtique iſta ge-

nerali intercessione Christus vel petijt salutem Iudæ & Pilato, vel non petijt, si non petijt inanis fuit eius intercessio. Si petijt, repulsam passus est, & frustra intercessit. Cum tamen ipse dicat Ioh.11.v.42. se semper à patre exaudiri. At fortasse volunt Christum petiisse applicationem salutis omnibus hominibus, sed sub conditione, nempe si sint credituri, & ea lege vt credant. Profectò si ita est, tum Christus non intercessit pro omnibus. Quod enim petitur sub conditione, sublata conditione non petitur. Qui dicit Deo, *Oro te pro omnibus dummodo credant*, satis apertè declarat se non orare pro non credituris: Quocirca Christus ipse missionem suam in mundum, ac proinde & intercessionem, ad solos credentes restringit Ioh.3.v.13. *Deus vsque adeo dilexit mundum vt dederit filium vnigenitum, vt quicunque credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam* : Ibi vides non solum fructum seu applicationem dationis filij, vt ita loquar, sed & ipsam dationem filij ad solos credentes pertinere.

XXV. Sed operæpretium est cognoscere, quænam sit illa particularis intercessio, qua (vt fatentur sectarij) Christus Iohannis 17. pro solis fidelibus intercedit, & quid per eam petat. *Pater* (inquit) *conserua eos*: & paulo post, *Rogo te vt serues eos à maligno.* Si hæc intercessio peculiaris est fidelibus, non video quid supersit intercessioni generali: nam sine his omnis intercessio inanis est. Cum autem in oratione Dominica hæc duo simul & iunctim petantur, remissio peccatorum & liberatio à maligno, quis ferat tam audax figmentum quo Arminiani hæc diuellunt, & volunt Christum impetrare

omnibus remissionem peccatorum : at non liberationem à maligno ?

XXVI. Quod si Christus orat pro omnibus; orat etiam pro ijs quos scit peccare peccato ad mortem, pro quibus Iohannes ne quidem nos patitur orare. Ioh. 5. v. 16.

XXVII. Immo nec Arminiani sibi hic satis constant, cum dicunt Christum pro fidelibus & pro ijs quos Pater dedit filio intercedere particulari intercessione. Cum enim doceant fideles & pios posse prorsus deficere à fide, & damnari, apparet eos velle Christum intercedere pro multis reprobis intercessione particulari: si quidem multi fideles sunt reprobi.

XXVIII. Arminius pag. 70. in Perkinsum, multa hanc in rem affert quæ haud scio an ab eius sectatoribus probentur. Primò censet Christum se sacrificare pro multis pro quibus non intercedit: qua sacrificatio prior sit intercessione. Vult enim sacrificationem pertinere ad meritum, intercessionem vero ad meriti applicationem. Hæc quidem mihi videntur pugnare non modo cum veritate; sed & cum sensu communi : Nam quicunque se parat vt sit piacularis victima pro alio necessariò orat vt sacrificium quod oblaturus est sit gratum & acceptabile pro eo pro quo se offert in sacrificium. Et quicunque offert pretium redemptionis prius rogat vt pretium hoc recipiatur, vt Chryses ille, Iliad. α sic loquens

Παῖδα δέ μοι λύσατε φίλην, τὰ δ' ἄποινα δέχεσθε.

En preces priori loco, deinde verò oblationem pretij. Est ergo aliqua intercessio prior sacrificio. Addit Armi-

nius, *Verum quidem est Christum in diebus carnis suæ preces cum lachrymis Deo patri obtulisse: at istæ preces non sunt factæ pro impetrāda applicatione bonorū promeritorum*, (id est pro impetranda salute) *sed pro aßistentia spiritus, vt consistere posset in certamine.* Impium sane & sceleratum dogma, quippe quo negatur Christum pro nostra salute orauisse antequam mortem oppeteret: Cum tamen Iohannis 17. sic oret ante mortem, *Serua eos in nomine tuo.* Et *Pater cupio vt quos dedisti mihi sint mecum, vt conspiciant gloriam quam dedisti mihi.* Ipsum Arminium puduit tam falsæ doctrinæ: nam dubià quadam ἐπανορθώσει videtur damnare quod dixit, addit enim: *Si verò & preces tum obtulit pro impetranda applicatione, illæ nitebantur sacrificio peragendo, tanquam peracto.* Illud, SI VERO, dubitantis est, cum tamen sit res certissima. Sed quid hoc aduersus Perkinsum qui dixit Christum non sacrificare pro ijs pro quibus non orat? Hæc sanè quæ Arminius congerit planè aliena sunt, nec rem attingunt. Nam etsi preces quas Christus ante mortem concepit pro nostra salute, sint fundatæ in merito mortis futuræ, manet tamen quod Perkinsus dicit, Christum non se sacrificare pro ijs pro quibus nō orat: Nam ne quidem mors Christi fuisset sacrificium, nisi orasset vt Patri esset accepta pro eorum vita pro quibus mortem oppetebat. Dolor enim & cruciatus sua natura non est sacrificium, nisi talis petitio accesserit.

XXIX. Non inficior, Christum in morte orasse pro crucifigentibus eum. At nego eum orasse pro omnibus sine exceptione, sed pro iis tantùm qui id faciebant per ignorantiam, dicit enim, *Pater remitte eis, nes-*

*ciunt enim quid faciant.* Lucæ 23. v. 34. Quos paulo post ad Christi fidem esse conuersos idem Lucas testatur, Actorum 2. & cap. 3. v. 17. An & hoc Christus dicit humano affectu, non vero qua Redemtor? potuit enim quà homo bene cupere illis quos, quà Deus, nouerat esse reprobos. Sic illachrymatus est Ierosolymis, cuius vrbis casum & reiectionem ipse, quatenus Deus, decreuerat.

XXX. Cum vero negant sectarij Christum in cruce, electorum personam sustinuisse, apertè impingunt in illud Christi Ioh. 10. v. 11. *Ego sum bonus ille pastor: bonus pastor dat animam suam pro suis ouibus.* Et Ioh. 15. v. 13. *Maiorem hac charitatem nemo habet quam vt quis animam suam pònat pro amicis suis.* Et Ephes. 5. 25. *Christus dilexit Ecclesiam suam, & semet ipsum exposuit pro ea.* Est ergo Christ9 mortuus, pro ouib9, pro amicis, pro Ecclesia sua: At hi quid aliud sunt quã fideles & electi? an Pharao, Iudas &c. vlla ratione possũt dici oues Christi? Respõdent Arminiani, oues vocari non respectu præsentis conditionis, sed futuræ. Frustra: nam conditio futura iam erat præsens in decreto Dei, cuius decreti respectu oues dicuntur ante conuersionem. Ioh. 10. 16. Dicuntur enim oues non tantũ quia se aggregaturi sunt ad ouile Christi, sed quia Deus in consilio suo æterno eis fidem dare decreuit qua se ad Christi ouile aggregent: enimuero cum hæ oues datæ sint Christo, non est dubium quin datæ sint antequam essent oues: ac proinde & ad electionem Dei pertinerẽt, antequam sese aggregarent ad ouile Christi. Nam si non datæ essent Christo nisi postquam se per fidem Christo adiunxissent, ipsæ se dedissent

ſent Chriſto priuſquam Deus eas Chriſto dediſſet.

XXXI. Interim obſeruandum eſt qua fide hic agant ſectarii. Volunt enim Deum elegiſſe credentes. Neque nos negamus: dummodo per *credentes* intelligantur illi qui Dei beneficio ſunt credituri, & quibus Deus fidem dare decreuit: nempe dicimus fidem conſiderari vt rem præſtandam, non verò vt præſtitam aut præſentem: & credentes vocari, cum de electione agitur, non ratione præſentis conditionis, ſed futuræ: Hoc cum rationi & verbo Dei ſit conſentaneum, reiicitur tamen à ſectariis vt abſurdum: At iidem mox illud ipſum vſurpant, & in noſtras partes concedunt. Illud enim, *Do animam meam pro ouibus*, volunt accipi reſpectu non præſentis conditionis ſed futuræ: & vocari oues, quia ſe aggregabunt ad caulam Chriſti. Non eſt ergo cur tantopere commoueantur quando dicimus, *electos eſſe credentes* non reſpectu præſentis conditionis aut præteritæ, ſed futuræ; & intuitu fidei per quam, Dei dono, ad deſtinatam ſalutem ſunt peruenturi. Nec quod ipſis placet cum ab eis dicitur, debet eis diſplicere cum à nobis vſurpatur. Maximè cum ſcriptura nunquam diſertè dicat *electos eſſe credentes*: ſed clarè pronuntiet Chriſtum mortuum eſſe pro ſuis ouibus, & pro Eccleſia.

XXXII. His de cauſis ſcriptura ſacra, quæ interdum Chriſtum ait mortuum eſſe pro omnibus, eo ſenſu quem dixi, frequenter generalem illam locutionem coarctat & reſtringit, dicens, *Sanguinem Chriſti effuſum eſſe pro multis*, Matth. 26. 28. Et *filium hominis veniſſe vt daret animam ſuam in redemptionem pro multis*. Matth. 26.

28. Et *oblatum esse semel ad tollenda peccata multorum* Heb. 9. v. 28.

XXXIII. Quod si rem à capite arcessas, & ab ipso fœdere quod cum Adamo Deus pepigit, inuenies hoc fœdus ad eos solos pertinere quorum calcaneum serpens pungit, & quos leui vulnere sauciat, ac proinde ad solos fideles & electos. Nam cæteros inficit veneno, & interfecit morsu, ac lethali vulnere perimit.

XXXIV. Quod si Christus morte impetrauit reconciliationem Caino, Pharaoni, Iudæ, &c. oportet eos redemerit: At non eos redemit, quia semper manent & manebunt captiui. Nec credibile est Christum voluisse soluere pretium redemptionis pro ijs quos sciebat nunquam liberandos esse. Aut Satanam potuisse eripere Christo animas emptas tanto pretio.

XXXV. Paulus 2. Cor. 5. v. 20. *Deus* (inquit) *erat in Christo sibi reconcilians mundum.* Si per mundum intelliguntur omnes & singuli sine exceptione; planè credendum erit non solum impetratam esse reconciliationem omnibus & singulis, sed eos etiam actu reconciliatos fuisse. Et Iudam ac Pharaonem aliquando fuisse inter amicos Dei, quod ne quidem Arminius ipse dicere audeat.


XXXVI. Denique si Christus impetrauit reconciliationem omnibus hominibus, etiã ijs qui sunt extra fœdus, nemo nascetur extra fœdus Christi, & falsum erit quod ait Paulus Ephes. 2. v. 3. vbi loquens de conditione sub qua nascimur, dicit nos natura esse filios iræ, id est nasci obnoxios maledictioni. Nam quomodo potest quisquam nasci maledictioni obnoxius, si

omnibus hominibus ſine exceptione recõciliatio cum Deo eſt impetrata?

---

*Diluuntur obiectiones Arminianorum quibus impetrationem ſalutis pro omnibus hominibus aſtruere conantur.*

## CAP. XXIX.



ADVERSVS hęc Arminiani multa mouent, ſed nihil promouent. Primò proludunt locis Scripturæ, deinde rem gerunt rationibus.

I. Afferunt locum illum Iohan. 3. 16. vbi Deus dicitur vſq; adeo dilexiſſe mundum, vt dederit filium: Quem locum iam docuimus officire Arminio, & miſſionem Filij verbis ſequentibus reſtringi ad ſolos credentes. Vnde liquet Chriſtum non eſſe miſſum niſi ad eos ſaluandos qui eſſent credituri. Poſſem dicere *mundum* hic accipi pro ſolis fidelibus, vt Ioh. 6. 33. & 1. Timoth. 3. 16. & Hebr. 2. 5. Sed vt concedamus per mundum, totum genus humanum in ſolidum intelligi, non tamen inde ſequetur Chriſtum omnibus & ſingulis ſalutem acquiſiuiſſe. Nam impetratio reconciliationis quorundam hominum, abundè teſtatur genus humanum à Deo diligi.

II. Operæpretium autem eſt cognoſcere quam mentem Chriſto Arminiani affingant, & quis iuxta Arminium, ſenſus ſit horum verborum Chriſti. *Sic*

*Deus dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum dederit, vt quiſquis credit in eum non pereat ſed habeat vitam æternam.* Iuxta doctrinam Arminij oportet hic ſit ſenſus horum verborum. *Sic Deus dilexit totum genus humanum amore quo non voluit eius ſalutem, vt decreuerit Filium mittere antequam cogitaſſet de homine ſaluando, ad ſibi acquirendam poteſtatem hominis ſaluandi, poſtea autem decreuit dare omni homini vires credendi ſi velit, vt ſic habeat vitam æternam.* Monſtrum ſanè doctrinæ, & nouum Euangelium.

III. Pugnant quoque verbis Iohannis 1. Epiſt. cap. 2. v. 2. vbi Chriſtus dicitur eſſe propitiatio pro peccatis totius mundi. Et ex Iohan. cap. 1. vbi vocatur agnus auferens peccatum mundi. Sed nihil agunt: hoc enim dicitur quia in toto mundo nemini remittuntur peccata niſi per Chriſtum. Eodem planè ſenſu quo 1. Cor. cap. 15. v. 22. Paulus dicit *in Chriſto omnes viuificari*, quia nemo niſi per eum viuificatur. Sic qui diceret Hippocratem omnem Græciam & Italiam imbuiſse arte medendi, non diceret omnes & ſingulos Græcos & Italos ab eo didiciſse medicinam, ſed neminem didiciſſe medicinam niſi ab eo. Chriſtum enim non abſtuliſſe peccata omnium & ſingulorum hinc liquet, quod plurimi manent in peccato, & ob peccata damnantur.

IV. Speciosè oſtentant locum primæ ad Timoth. cap. 2. v. 4. *Deus vult omnes homines ſeruari, & venire ad agnitionem veritatis.* Et v. 6. *Chriſtus ſemet ipſum dedit pretium redemptionis pro omnibus.* Tum illud ad Titum cap. 2. *Illuxit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus.*

Sed hic per OMNES intelligi *Quosuis* & cuiuslibet conditionis homines loci textura euincit. Priori loco Apostolus vult orari pro Regibus, posteriori iubet seruos esse fidos & nihil *νοσφίζειν*. Huius exhortationis *αἰτιολογία* hæc est, quia ad Reges quamtumuis tunc temporis alienos à Christo, & ad seruos quantumuis sortis abiectæ, pertinet promissio salutis, nec vlla conditio hominum à salute excluditur. Hunc locum primæ ad Timotheum sic accipit Augustinus Enchiridio ad Laurentium cap. 103. Et Thomas commentario in hãc epistolam. Idque illis ipsis Apostoli verbis cõfirmatur: dicit enim, *Deus vult omnes homines seruari & venire ad agnitionem veritatis*. Constat autem experientià Deum non dare, immo nec offerre omnibus & singulis cognitionem veritatis.

V. Frequens est in sacra scriptura acceptio vocis OMNES pro quolibet, vt Lucæ 11. v. 42. *decimatis mentham & rutam & omne olus*. Et Matth. 9. v. 35. *Christus sanabat omnem morbum*, pro quolibet. Simile exẽplum habes Col. *1*. v. 28. Hoc sensu Hebr. 2. Christus dicitur pro omnibus mortuus.

VI. Porrò non est dubium quin Apostolus iubeat orari non tantum pro regibus in genere, sed & pro singulis. Nos enim quibus ignota sunt arcana electionis, debemus de singulis bene sperare. Sed qui iubet orari pro Nerone, non idcirco statuit Deum velle seruare Neronem, sed tantum vetat de eo desperari.

VII. Sensus ergo horum verborum, *Deus vult omnes homines seruari* hic est. *Deus quoslibet homines ad salutem inuitat, & nullam conditionem hominum à salute exclu-*

*dit.* Nam si Deus aut absolutè vellet, aut seriò cuperet omnes homines & singulos seruari, non deessent ei media quibus integrà sua iustitia, & illibatà hominis libertate, efficeret quod vult, & compos voti fieret.

VIII. Nihilo plus ad rem facit locus quem afferunt ex 14. cap. ad Rom. v. 15. *Ne esca tua illum perdito pro quo Christus est mortuus.* Ibi enim perdere non est damnare, sed scandalo percellere, & conscientiam alicuius offendere, quo facto, quantum in nobis est, trahatur in ruinam. Nam absolutè quenquam perdere non est in nostra potestate. Sic Apostolo 2. Cor. 10. v. 8. *destruere* idem est quod scandalo offendere, & operibus pietatis incumbentem retardare.

IX. Secundà Petri cap. 2. v. 1. dicitur Christus redemisse Pseudoprophetas qui eum abnegant. Sed ibi non agitur de redemptione à morte æterna, sed de liberatione ab ignorantia, & errore ac tenebris seculi per lucem Euangelij, quod isti pseudoprophetæ falsæ doctrinæ admistione corrumpebant. Nam redemptionem sumere pro quacunque liberatione in scriptura tralatitium est. Vsque adeo vt resurrectio, redemptio corporum appelletur: Rom. 8. 22. Ephes. 4. 30.

X. Eadem epistola cap. 3. v. 9. Petrus dicit *Deum nolle quenquam perire*: nempe quia non est causa perditionis cuiusquam: & quia omnes qui conuertuntur admittit, nec quenquam reiicit. Sed non tenetur omnibus restituere vires culpà hominis amissas, nec omnibus dare fidem, cum homo suapte culpa impotentiam credendi sibi accersiuerit, vt prolixè probauimus cap. 11.

XI. Ezechielis cap. 18. v. 23. Deus hæc dicit. *Non de-*

*lector morte peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Hæc verba nihil aliud dicunt quam Deum nolle mortem peccatoris qui cõuertitur. At si non conuertitur, ne Arminius quidem negabit quin Deus mortem eius velit, vt iudex vult sontis supplicium. Deus non delectatur morte peccatoris qua homo est: sed nemo potest negare quin Deus amet executionem suæ iustitiæ.

XII. Primâ quidem ad Timotheum cap. 4. v. 10. Deus vocatur *σωτὴρ conseruator omnium hominum.* Sed ibi Apostolus loquitur de conseruatione in vita præsenti, & de Dei prouidentia quæ ad omnium hominum conseruationem extenditur. Quam curam Dauid Psal. 36. vsque ad bestias extendit, ibi enim Deus vocatur conseruator hominum & bestiarum. Id indicant verba præcedentia Apostoli, *Speramus in Deo viuo*, loquitur enim de Deo quatenus cuncta à se creata viuificat. Locum similem habes Act. 17. 25.

XIII. Arminius pag. 220. in Perkinsum, adhibet promissionem factam Adamo de semine mulieris, quam ait ad omnes & singulos homines pertinere. Respondeo, hac promissione tantùm promitti Satanam à semine mulieris superatum iri: ad omnes verò & singulos pertinere nullibi dici. Doctrina Euangelij annuntiata Adamo non perinde pertinet ad omnes eius posteros, vt præcepta legis naturalis: quia obsequiũ legis est debitum naturale: at doctrina Euangelij est remedium supernaturale: Inde est quod peccatum Adami in legem Dei omnibus eius posteris imputatur, at fides eius qua credidit Euangelio, eius posteris non imputatur. Nec si Adam respuisset per incredulitatem

promissionem de semine mulieris, idcirco eius posteri à spe salutis excidissent. Quid quod manifestè hæc promissio de semine obtrituro caput serpentis, ad solos credentes restringitur? Solorum enim Dei filiorum calcem Satan pungit, cum cæteros lethali vulnere perimat.

XIV. Excussi sacrà scriptura confugiunt ad rationes. Quemadmodum vtuntur scriptura sine ratione, ita & pugnant rationibus sine scriptura. Intentant quasi telum trabale hunc syllogismum, qui tamen similior est festucæ,

*Quodcunque tenentur omnes credere id verum est.*
*Christum pro se esse mortuum omnes tenentur credere.*
*Ergo id verum est.*

Huius syllogismi minor falsa est, & patitur multas exceptiones. Nam ij quibus Christus non est annnuntiatus, & qui de morte Christi nihil inaudiuerunt, non tenẽtur credere Christum pro se esse mortuum; qui tamen sunt pars orbis longè maxima. Sed neque ij quibus Christus prædicatur tenentur credere absolutè & sine conditione Christum pro ipsis esse mortuum; sed sub hac demum conditione si conuertantur. Nam si in impenitentia perseuerauerint, tenentur credere mortem Christi nihil ad se pertinere.

XV. Arminius p. 77. in Perkinsum, eiusque sectarij hæc inculcant, & ingerunt ad nauseam. *Si Deus noluit per Christi mortem sibi satisfieri pro peccatis aliquorum hominum, iam nullo iure potest fides ab illis postulari, neque Christus iudex eis statui. Nec reprobus potest culpari propter gratiam redemptionis repudiatam, quippe quæ ad eum non per-*

*non pertinebat.* Respondeo hæc omnia niti hac falsa suppositione, fidem ab omnibus exigi: iam enim docuimus non exigi ab eis quibus Christi cognoscendi nulla vnquam facta est copia. Tum eos quibus annuntiatur non teneri absolutè & sine conditione credere se redemptos morte Christi, sed ita demum, si conuertantur. Ii autem quibus Euangelium non est annuntiatum, non damnabuntur ob reiectum Euangelium, sed ob violatam legem: cuius iudicij arbiter Christus datus est à Patre, qui quos per Euangelium non saluat sub lege relinquit. At qui oblatam Euangelio gratiam respuerunt per incredulitatem, merito damnantur ob reiectam gratiam: non quod reiecerint rem ad incredulos & impenitentes pertinentem, sed quod rem ipsis sub conditione credendi oblatam spreta conditione neglexerint. Quam conditionem etsi viribus naturalibus implere non possunt, eam tamen debent, nam impotentiam credendi homo ipse sibi sua culpa accersiuit, cui impotentiæ Deus non tenetur in omnibus mederi. Qua de re prolixè actum est cap. 11. At (inquiũt) non possunt reprobi culpari ob spretã gratiam ad ipsos non pertinentem. Sed errant tota vià. Nam reprobi non possent ob contemptam gratiam accusari, si eam contèmnerent quia sciũt eam ad ipsos non pertinere: Sed ideo eam reiiciunt quia Christum non amant, & ad eius contemptum sua voluntate aguntur. Non idcirco reprobi non credũt quia salus ad eos non pertineat, sed potius ideo salus ad eos non pertinet quia non credunt, & exitium sua sibi incredulitate & impenitentia attraxerunt. Verum quidem est reproba-

tionem esse causam cur Deus huic aut illi nolit dare fidem & pœnitentiam: at non est causa quæ indat & ingeneret homini incredulitatem & impœnitentiam. Quapropter illud Christi Ioh. 10. v. 16. *Non creditis quia non estis de ouibus meis*, sic accipiendum est quasi diceret, *Idcirco* Deus *non dat vobis fidem electis peculiarem quia non estis electi.*

XVI. Greuinchouij obiectio hæc est p. 19. *Si electio prior est impetratione salutis, prius igitur Deus de communicanda quam de impetranda salute decreuit.* Ego vero tãtùm absum ab eo vt putem hoc esse absurdũ, vt planè credam esse necessarium: Semper enim prius cogitatur de fine quam de medijs ad finem. Salus hominum finis est quem sibi Deus proposuit: hunc esse finem inde constat, quia hoc est vltimum executione. Ergo Deus prius cogitauit de danda salute, quàm de impetratione salutis per Christũ, quia hoc medium est per quod ad salutem nos perducit.

XVII. Idem p. 87. sic disputat. *Quibus pretium hoc amplectendum offertur saluandis ipsis idoneum si modo amplecti velint, pro ijs etiam solutum est ex* Deo *proposito. Offertur autem & reprobis hac conditione si velint id amplecti Ergo &c.* Respondeo minorem non esse vniuersaliter veram: non enim hoc pretium offertur omnibus reprobis. Maior vero peccat in regulas præcognitionum, quæ volunt omnis enuntiationis subiectum esse seu *existere.* Exempli gratia hæc enuntiatio, *Quicunque implet legem seruatur*, non est falsa: sed falsitas est in præsuppositione quæ fit ante hanc enuntiationem, qua præsupponitur, *quosdam implere legem.*

Hoc vitio laborat Maior huius Syllogismi: Eius enim subiectum est imaginarium & non existens. Subiectum enim hoc est *si quibus pretium hoc amplectendum offertur si amplecti velint.* Nego tales homines inueniri. Nam nec reprobis offertur hoc pretium si velint amplecti, cum certissimè non velint, & non possint velle, cuius impotentiæ homo ipse causa est: Nec electis hoc pretium offertur si velint, sed Deus illud pretium offerendo efficit vt velint.

XVIII. Cum autem agitur de sufficientia mortis Christi, illi vt eius efficaciam extollant, dicũt non modo pro hominibus, sed & pro Diabolis esse sufficientem. Quod si verum est, oportet Deus recídat & amputet aliquid de pretio mortis filij; & coarctet eius efficaciam. Ego vero etsi scio pretiũ & dignitatẽ mortis Christi nõ pendere ex humana eius natura, sed ex infinita excellẽtia naturæ diuinę, nego tamẽ eius mortem aptam esse redemptioni Diaboloru, quia iustitia Dei exposcit vt homo qui peccauit pœnas luat: & opus fuit vt mediator inter Deum & hominem vtrumq; attingeret communione naturæ. Idcirco ad seruandum hominem, *non assumpsit Angelos sed semen Abrahæ.* Heb. 2. Quod si hominis mors apta est ad satisfaciendum pro peccatis diabolorum, cruciatus Angeli, si Christus assumpsisset Angelicã naturã, fuisset aptus ad satisfaciendum pro peccatis hominum. Denique vbi agitur de aptitudine non disputandum est de sufficiẽtia; Alioqui posset etiam disputari an Christi mors sufficiens sit ad saluandos equos aut scarabeos, eosque donandos immortalitate; quod sanè non caret impietate.

XIX. Hæc ferè sunt argumenta quibus nouatores se tuentur. Nostram vero sententiam suo, id est malo more exagitāt, eam enim immutant antequam impugnent: Hoc pacto non refellunt nostram sententiam, sed sua figmenta. Exempli gratia Christus Ioh. 3. v. 17. sic loquitur. *Non misit Deus Filium suum in mundum vt condemnet mundum, sed vt seruetur mūdus per eum.* Greuinchouius p. 21. fingit nos hunc locum sic interpretari, *Deum mißisse Filium suum in electos*, cum tamen manifestè ibi per mundum terrestris hæc regio & habitatio inter homines intelligatur. Plura eiusmodi nobis affingit, lasciuiens desultoriâ licentia. Vnum hoc exemplum quod addam erit vice multorum. Pag. 76. inducit nos sic loquentes: *Quid cessatis reprobi? nacti* λυτρὸν *tam idoneum, vt si modò mendacio credatis, aut rupem comedatis, mox hinc recta migraturi sitis in regnum cœlorum?* & paulo post, *& vos quoq;* [reprobos] *æternis iam licet supplicijs nullo merito vestro addictos vocatione sua dignatus est ad hoc vt magis excæcati & obstupefacti vobis grauius iudicium accersatis.* En delicias hominis, & Theologicum iecur. Non equidem dubito quin hæc scribenti salirent præcordia præ exultatione, quasi re præclarè gesta. At vir bonus nugatur, & cum sua vmbra confligit. Hæc enim toto cœlo distant à nostrâ sententia. Nam nec iubemus reprobos, hoc est perseuerantes in impenitentia & incredulitate, credere mendacio, aut dum perseuerant in impenitentia, sub obtentu fidei in Christum inani spe sibi blandiri. Neque dicimus eos addictos æternis pœnis nullo suo merito, cum ipsi sibi suis peccatis accersant exitium. Neque

docemus quenquam ad id tantùm à Deo vocari, vt grauius iudicium ſibi accerſat, etſi ſæpe per vocationem homines fiant inexcuſabiles, quia per cognitionem officij creſcit culpa neglecti officij, & grauius eſt non facere quod ſcias, quàm neſcire quid facias. Scopus Dei vocantis, erga reprobos eſt petere ab eis quod debent, erga electos verò dare efficaciam vocationi vt ſeruentur: Erga vtroſq; patefacere quid ſibi acceptum ſit, & quæ obedientia ei ſit grata.

XX. At non inultum feret Greuinchouius, lubet enim hæc ei reponere, & Arminianæ ſcholæ prodigioſam doctrinam quaſi detracto velo exhibere ſpectandam, idq; ſine calumnia. Induens enim Arminiani perſonam poſſum ſic reprobos affari. Eſtote bono „ animo reprobi, nam etſi eſtis reprobi poteſtis tamen „ ſaluari: Verum quidem eſt neminem reprobum ſal- „ uari, ſed tamen nemo eſt illorum qui non poſſit ſalua- „ ri. Nam Chriſtus vobis ſalutem impetrauit, ſed non ap- „ plicationem ſalutis: Vobis impetrauit bona, ſed non „ vobis impetrauit vt ea bona actu vnquam poſſideatis: „ Vobis enim impetrauit reconciliationem, quam eo ip- „ ſo momento quo impetrauit, certo ſciebat vobis non „ profuturam. Vobis impetrauit remiſſionem peccato- „ rum quæ certo ſciebat non eſſe remittenda. Non enim „ applicatur hęc reconciliatio, niſi ſub conditione quam „ ſciebat non implendam eſſe. Vt autem ſciatis quam „ Chriſtus vobis bene cupiat, moneo vos, Chriſtũ inter- „ cedere pro vobis interceſſione generali, at non parti- „ culari, ſine qua nemo ſeruatur. Nam morte Chriſti vo- „ bis impetrata eſt reconciliatio, ſed non communicatio „

Ff iij


„ reconciliationis: nec vobis est impetrata applicatio re-
„ conciliationis impetratæ, sed Deo parta est licentia &
„ facultas vos saluandi. Qua morte Christus factus est
„ redemptor, nullo certo Dei consilio qui nam essent re-
„ dimendi, & factus est caput Ecclesiæ sine certis mem-
„ bris. Deus quidem mittens Filium in mundum motus
„ est aliqua propensione & affectu erga homines, sed si-
„ ne certa voluntate homines saluandi. Decretum enim
„ mittendi Filium' ordine antecedit decretum saluandi.
„ Per quod decretũ omnes homines sunt electi, etiamsi
„ multi ab ęterno sint reprobi. Omnes quidẽ Deus cupie-
„ bat seruare, idq; seriò, sed per vos fine suo frustratus est
„ nec quod cupiebat est assecutus: quod quidem eum
„ dolore affecit maximo. Id quoque scitote, ô reprobi,
„ Christum quidem vobis omnibus impetrauisse salu-
„ tem & acquisiuisse, sed non velle id notum esse nisi
„ paucis quibusdam, cum tamen sine hac cognitione ne-
„ mo possit seruari. Tum etsi vobis impetrauit recon-
„ ciliationem, vobis tamen non impetrauit fidem sine
„ qua tamen non est salus. Quapropter Deus quidem
„ vos vocat ad salutem, sed modo non congruo, quo
„ qui vocantur nunquam sequuntur. Ne tamen ani-
„ mum despondeatis, Deus dat vobis omnibus vires cre-
„ dendi, vt actu credatis si vultis: positum enim est in
„ vestro libero arbitrio vti gratia vel non vti, vt possitis
„ seruari, etiam si certò sitis damnandi. Benignè: immò
vero improbè, & ad Dei hominumq; ludibrium.
Nam quis ad effigiem tam prodigiosæ doctrinæ non
exhorrescat? quis non doleat vicem Ecclesiæ Christia-
næ ad quam deformandam & vertendam in monstrũ

non ſegnia ingenia totum ſuum acumen conuerterũt? Cum ergo Greuinchouius p. 70. tactus erga nos miſericordià, profitetur ſe paratum ſuccurrere noſtrorum infirmitati & ignorantiæ, dubium digniorne ſit riſu an commiſeratione.

---

*Olim diſputatum eſſe, an Chriſtus ſit mortuus pro omnibus, ſed ſenſu longè diuerſo.*

## CAP. XXIX.



VGVSTINO è viuis ſublato, eius ſcripta de prædeſtinatione & gratia, & libero arbitrio variè à varijs accepta ſunt. Hic morbus præcipuè Aquitaniam exercuit. Inter has contentiones emerſit hæreſis prædeſtinatorum, cuius meminit Sigebertus Chronico ad annum 415. Hi docebant, nihil prodeſſe ſtudium bonorum operum homini reprobo; nec viciſſim poſſe obeſſe ſcelera homini electo, quantumcũque libidini, gulæ, rapinæ indulgeat. Hoc errore imbutus fuit Lucidus quidam Presbyter Aquitaniæ ad quem extat Fauſti Rhegienſis Epiſcopi Aquitani Epiſtola, cui ſubſcripta ſunt nomina vndecim Epiſcoporum Concilij Arelatenſis. In hac Epiſtola Anathema dicitur illis qui dicunt Chriſtũ pro omnibus non eſſe mortuum. Tum ijs qui dicunt Deum nolle omnes homines ſeruari. Quod ſanè à Fauſto vere eſſe pronuntiatum, & iuxta Catholicam fidem Synodus Arelatenſis meritò iudi-

cauit. Credidit enim hoc dictum fuisse à Fausto aduersus Pelagium, qui cum negaret peccatum originale, & censeret hominem suo libero arbitrio posse perfectè implere legem, non mirum est si dixit Christum non esse mortuum pro omnibus. Nam cur Christus mortuus esset pro non peccatoribus? aut quid opus medicina vbi non est morbus? aut Euangelio ei qui legem impleuit? Sed Faustus homo vafer & versipellis Synodo Arelatensi imposuit verbis ambiguis & subdolis, quibus texta est hæc Epistola Synodo oblata. Nam mentem suam postea aperuit, libro quem inscripsit *De Gratia qua saluamur*, vbi in Pelagium est pronior. Cuius libri ita meminerũt Gennadius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 85. & Sidonius Apollinaris lib. 9. Ep. 9. vt videantur de eo honorificè sentire. At eodem tempore aduersus hunc librum scripserunt Cęsarius Arelatensis Episcopus, nec non Auitus Viennensis, vt testatur Ado in Chronico. Quibus se adiunxit Fulgentius Ruspensis Episcopus in Africa: ex quibus videre est non tanti esse Fausti authoritatem vt debeat hic esse alicuius ponderis. Neque hãc quæstionem vnquam agitatam eo sensu quo nunc agitatur. Nunquam enim (quod sciam) ante hæc sæcula quæsitum est, an Christus morte sua salutem omnibus & singulis acquisiuerit, aut an sua morte perinde impetrauerit reconciliationem Pharaoni ac Petro.

*An Deus*

*An Deus amet omnes homines æqualiter, & omnium ſalutem ex æquo cupiat.*

CAP. XXXI.

I. QVÆSTIO qua quæritur an Deus ex æquo omnes homines amet, & eorum ſalutem perinde deſideret, eſt corollarium præcedentis quæſtionis & ab ea pendet. Nam ſi morte Chriſti non eſt omnibus impetrata remiſſio peccatorum nec ſalus acquiſita, planum eſt omnes non æqualiter amari à Deo. Quapropter iiſdem locis ſcripturæ nouatores ſe tuentur in vtraque quæſtione: Arnoldi hæc ſunt verba p. 379. *voluntate & affectu generali, Deus ex æquo omnium ſalutem deſiderauit.* Concinit Greuinchouius p. 335. *Voluntas Dei & affectus ſaluandi erga omnes æqualis eſt.* Nempe in ſerie illa quatuor decretorũ qua totam doctrinam de prędeſtinatione comprehendũt, iſtud eſt tertium, Deum decreuiſſe media omnibus hominibus ſufficientia ad fidem & reſipiſcentiam adminiſtrare.

Ego vero arbitror hoc ab eis aſſeri, non quod ita credant & ſeriò ſentiant, ſed vt cætera ſua dogmata tueantur; quæ cadẽte hoc dogmate ſtare non poſſunt. Pugnant enim apertè cum ſcriptura, & cum experientia, immo & ipſi ſecum.

II. Quod prius quam demonſtramus, monendus eſt lector amorem in Deo non eſſe affectum, nec paſſio-

nem, nec animi propensionem, nec cupiditatem, his enim passionibus Deus non tangitur, quippe impassibilis & affectibus non obnoxius: Sed quemamodum tunc Deus dicitur irasci aut odisse, cum vult punire aut perdere, sic amor in Deo est certa voluntas benefaciendi creaturæ. Vnde fit vt is meritò dicatur magis amari à Deo, cui plura & meliora bona largitus est, aut largiri decreuit.

III. Hoc discrimen liquidò conspicitur non modo inter bonos & malos, sed etiam inter ipsos bonos, quorum alteri plus dat lucis, & spiritum suum ampliori & cumulatâ mensura admetitur, alteri vero parcius, & quasi raso modio. Huic dat duo talenta, illi quinque pro suo arbitrio. Non modo dans plura melioribus, sed etiam efficiens meliores dum plura dat.

IV. Hic vero non possum mirari qua fronte Greuinchouius pag. 335. ausus sit dicere, *Deum spe maioris lucri repetendi ab hoc quam ab illo, huic quinq; talenta cõmittere*; quasi spes aut metus aut lucrũ possent cadere in Deum: aut quasi ille qui quinque talentis fœnori collocatis strenuè rem auxit, voluntatem & vires tam feliciter fœnerandi non habuerit à Deo. Ineptè sanè Deus dicitur sperare quod ipse facturus est. Solent quidem homines astuti cur vrgentur, dicere hæc ἀνθρωποπαθῶς dici; sed interea illis ipsis improprijs vocibus abutuntur ad deducenda sua πρίσματα, & sua dogmata astruẽda. In declamando aut orando ad populum hæc ἀκυρολογία fertur, at non in disputando, & cum ponderanda sunt momenta veritatis.

V. Ergo super hac inæqualitate donorum Dei, velim

à ſectarijs doceri, cur Deus plura largitus ſit dona Paulo quam Marco aut Cleopæ, alioqui ſanctis & bonis, An quia Paulus ante conuerſionem erat procliuior ad Chriſti fidem & melius affectus quam iſti? an quia Paulus melius Marco vtebatur gratià communi & generali quæ etiam reprobis contingit? Nugæ; nullus enim tunc erat Paulo capitalior hoſtis nominis Chriſtiani. Quid ergo? nempe ſic Deo viſum fuit qui de ſuo facit quod vult, & qui in diſtribuendis donis Spiritus ſancti nec ſequitur Arithmeticam poportionem, nec Geometricam, quippe qui æqualiter malis dat bona inæqualia, pro ſuo arbitrio, vtpote nulli homini debitor, nec vlli legi obnoxius.

VI. Sed diſcrimen & inæqualitas amoris Dei luculentius apparebit, ſi illi quos Deus verbo ſuo vocat, & quibus dat ſpiritum adoptionis & fidem, & per hæc ſalutem, cum cæteris hominibus comparentur. *Multi* (inquit Chriſtus Matt. 22. v. 4.) *ſunt vocati, pauci electi.* En tria hominum genera, non vocati, vocati ſed non electi, vocati & electi,, quos omnes promiſcuè & æqualiter amari, & Deum eorum ſalutem perinde velle, nec dici nec cogitari poteſt.

VII. Chriſtus Ioh. 6. v. 44. *Nemo* (inquit) *poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me trahat eum*: vbi agi de attractione ad fidem & per fidem ad ſalutem nemo dubitat. Cum ergo ex his verbis conſtet non omnes ſic trahi, certum eſt eos plus amari qui ſic trahuntur. Fides Dei donum eſt, at non omnium eſt fides, & paucis datur; Ergo hi plus amantur. Sic Spiritus adoptionis, prærogatiua eſt filiorum Dei, ergo & hi plus amantur.

VII. Quid quod populos quosdam Deus ex alto visitat, & dignatur verbi sui præconio, cæteris insuper habitis, vt docet Paulus Act. 14. v. 16. dicens *Deum præteritis temporibus siuisse gentes ipsarum vijs incedere?* Nunc etiam quam multæ sunt gentes profundis tenebris immersæ, ad quas ne fama quidem aut nomen Christi peruenit.?
IX. An Corinthii & Philippenses qui aliquot sæculis antecesserunt sæculum Apostolorum tantundem amati sunt à Deo, ac eorum posteri qui Pauli prædicatione ad fidem conuersi sunt? an potest dici Deum illorum æquè ac horum salutem optauisse?
X. Quid Tyrios & Sidonios dicam? quorum si salutem æque Christus optauit ac Iudæorum, mirum cur noluerit Euangelium ipsis innotescere, maximè cum ipse eis perhibeat hoc testimonium, eos proniores esse Capernaïtis ad pœnitentiam?
XI. Actorum 16. v. 6. & 7. Paulum conantem annuntiare Euangelium in Asia & Bythinia Spiritus Dei prohibet, iubetque traijcere in Macedoniam: Profecto apparet Deum non æqualiter voluisse salutem Bythinorum & Macedonum, cum voluerit Euangelium his potius prædicari quam illis: & media ad salutem necessaria his repræsentauerit, illis negauerit. Fateor aliquot post annis Euãgelium in Bythiniam peruenisse, sed inter has moras plurimi in Bythinia vita excesserunt quibus Christi cognoscendi non facta est copia: quorum salutem æquè Deum desiderasse quam Macedonum ad quos Paulum properare iussit, nemo credet nisi qui vltro animum obfirmat ad resistendũ veri-

tati. Non secus ac si dicerem medicum, duorum pari morbo ægrotantium æquè cupere sanationem, quorum vni medicinam parat, alteri non vult parare.

XII. An cum Christus Iohannis 10. v. 16. diceret, se alias habere oues quas nondum collegisset, istas oues nondum coactas, sed suo tempore cogendas nihilo plus amabat alijs hominibus quos non modo non traxit verbo, sed nequidem vocare dignatus est? Sanè si Deus æqualiter vellet salutem omnium & singulorum hominum, æqualiter omnibus suppeditaret media ad salutem. Nec multis populis sublustrem tantum lucem & media largiretur per quæ sola ne ipsi quidem Arminiani ausi sunt hactenus asserere quenquam ad salutem peruenisse.

XIII. Insigne est illud Christi Matthæi 11. v. 25. agentis gratias Patri quod abcondisset doctrinam salutis sapientibus, & reuelasset paruulis. Quid enim? an tantundem amauit eos, quibus doctrinam salutis abscondidit? Arnoldus pa. 413. & 414. verba Christi deprauat; Vult enim Christum agere gratias quod abscondita sapientibus reuelauerit paruulis. At Christus non tantum dicit hæc fuisse abscondita sapientibus, sed disertè dicit Deum hæc eis abscondidisse.

XIV. Vrit sectarios locus Pauli ad Rom. 9. vbi dicitur Deus amasse Iacobum & odisse Esau priusquam quicquam fecissent boni aut mali. Habemus ergo Deum ipsum profitentẽ, se homines naturà æquales, & quorum neuter altero melior, non æqualiter amare: Idq; nõ quia hic boni aliquid fecerit aut facturus sit, sed ex mera sua εὐδοκίᾳ, qua miseretur quorum vult: Nam

etsi huius amoris & odij effectum Malachias dicat esse Iacobi in fratrem imperium; Apostolus tamen conscius mentis Dei, hoc siue exemplum siue typum vult esse electionis secundum propositum, & Dei verba ad salutis negotium extendit. Deniq; in re tam clara superflua est diligentia.

X V. Arminiani aduersus hanc argumentorum grandinem tegunt se sua illa distinctione volũtatis Dei antecedentis & consequentis. Dicunt Deum plus amare hos quam illos voluntate consequente, id est voluntate quæ sit posterior fide & pœnitẽtia hominis. Deum enim plus amare eos quos præuidit credituros, & per liberum arbitrium bene vsuros gratia. At voluntate Dei primaria & antecedente Deum perinde amare omnes homines, & æqualiter desiderare salutem omnium, ideoq; omnibus dare gratiam sufficientem ad fidem, ac proinde & ad salutem. Causam vero cur omnibus non prædicatur Euangelium, dicunt non esse Dei voluntatem, sed vel negligentiam Christianorum, vel indignitatem horum populorum, vel peccata proauorum qui reiecerunt gratiam oblatam.

X V I. Hæc quidem capitalis est oratio; & pugnans ex diametro non solùm cum sacra Scriptura, sed & ipsa secum. Dum enim rationes afferunt cur Deus non offerat omnibus Euangelium, incauti in nostrás partes concedunt; Causas enim afferunt cur Deus non æqualiter omnes amet: At non quærebatur cur Deus hos illis maiori amore prosequeretur: sed an æqualiter omnes amaret. Ergo se ipsi implicant.

Quam autem sit absurda illa distinctio voluntatis

Dei in antecedentem & consequentem, & in Deum contumeliosa, eo sensu quo capitur à sectarijs prolixè docuimus c. 5.

XVII. His adde quod cum doceant Deum sæpe frustrari voluntate sua antecedente, & Dei amorem demum esse immutabilem si nos amat voluntate consequente, id est voluntate quæ sit amore & fide & voluntate nostra posterior, impium est velle vt immutabilitas amoris Dei erga nos sit posterior nostro amore, & pendeat ex nostra voluntate. Non enim amor Dei erga nos potest esse certus si nitatur amore quo eum prius amauimus: vt ergo amor Dei erga nos sit certus & immutabilis oportet amorem nostrum antecedat: vt docet Iohannes 1. Epistola cap. 4. v. 19. *Nos diligimus eum quia ipse prior dilexit nos.*

XVIII. Quod si Deus voluntate consequente hunc plus illo amat quia præuidit hunc crediturum, & bene vsurum gratia: tunc non Deus hominem, sed homo se ipse discernet: contra illud Pauli 1. Cor. 4. 7. *quis te discernit*? Et hic plus amabitur à Deo quàm ille, quia Deum plus amauit.

XIX. Tum concidet illud Apostoli Rom. 9. *Non est volentis neq; currentis sed miserentis Dei*, si voluntas hominis antecedit voluntatem Dei qua nostri certò & immutabiliter miseretur. Docent enim Arminiani voluntati Dei antecedenti resisti posse, consequenti vero resisti non posse. Oportet ergo dicant Apostolum ibi agere de voluntate consequente & de amore quo nos amat voluntate consequente, cum Apostolus ibidem addat, *voluntati eius quis resistit*? Ac profecto viri boni hic tenentur impliciti nodo quo se nun-

quam expedient. Nam si statuunt Apostolum hoc loco agere de voluntate antecedente cui resisti potest, impingunt in illud quod ibidem additur *Voluntati eius quis resistit* ? Si vero volunt eum agere de voluntate consequente quę innitatur voluntati humanæ, & recto vsui gratiæ, sitq; voluntate nostra posterior, refelluntur altero Apostoli dicto, *Non volentis est neque currentis sed miserentis Dei.* Sed Paulus disertè hìc docet per hanc ipsam voluntatem cui resisti non potest excludi voluntatem humanam, præuisionemq; recti vsus gratiæ, vel fidei quam voluntas miserendi consequatur.

XX. Ædant vero Arminiani cur Iacobum Deus amauerit, Esau oderit, priusquam quicquam fecissent boni & mali? Sanè non hic illi est prælatus voluntate consequente, & quæ sit fide vel operibus Iacobi posterior: cum Paulus disertè ab electione secundum propositum remoueat cōsiderationem omnis boni, quod vel fecissent, vel essent facturi; Nam parum appositè loqueretur Apostolus si solam considerationem boni gesti ante natiuitatem excluderet, non vero considerationem boni quod postea Iacob gesturus esset: cum nemo nesciat Iacobum non potuisse quicquam boni agere ante natiuitatem: Immo si potuisset, præuisio tamen boni gerendi post natiuitatem non minus derogaret electioni gratuitæ quam pręuisio boni quod pręcederet natiuitatem. Quod si Deus eligens, boni quod Iacob gesturus esset rationem habuisset, Paulus responsantem aut scrupulosius inquirentem non compescuisset: Cum ratio esset in promptu, hunc illi esse prælatum

prælatum quia Deus huius fidem vel opera prȩuidisset. Denique illud *Non volentis est neque currentis*, omnem conatum hominis à causis electionis & voluntatis Dei per quam hominis immutabiliter miseretur excludit.

XXI. Illa vero exempla & argumenta quæ attulimus ex Scriptura non minus stabiliunt inæqualitatem amoris Dei ex voluntate antecedente quam ex consequente. Enimuero cum Christus dicit Ioh. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater eum traxerit*, loquitur de vocatione quæ fidem antecedit & quæ quibusdam peculiaris est. Idem statuendum est de cæteris exemplis. Quid enim? an Deus Euangelisans Iudæis, non verò Tyrijs, minus amabat Tyrios quam Iudæos voluntate consequente, id est quia videbat Tyrios peiori modo esse affectos, & minus dispositos ad credendum quàm Iudæos? Nequaquam: contra enim Christus testatur Tyrios fuisse proniores Iudæïs ad pœnitentiam.

XXII. An Corinthij vel Romani coæui Apostolorum plus habebant propensionis ad fidem quam eorum maiores centum annis retro? An Deus Corinthios vel Ephesios qui viuebant paulò ante natum Christum nō dignatus est doctrinà salutis, quia eorum proaui eam respuerant? At si hæc fuit causa, cur horum filios ijsdem maioribus ortos illustrauit salutari doctrina? Nempe Deo sic visum est, qui pro sua bonitate plus beneficiorum largitus est eis quos plus amauit, quamuis nihilo melius essent dispositi ad fidem & pœnitentiam.

XXIII. At cur Deus Paulum vocauit tam efficaci

vocatione, in ipsa odij in Ecclesiam ἀκμῇ, eumq; ex lupo fecit ouem, ex oue pastorem? an id factum, quòd Deus in eo aliquam propensionem cerneret ad fidem in Christum? vel quia bene vtebatur gratia vniuersali? Nequaquam: nam tunc temporis tigris instar in ouile Christi grassabatur. Sed nec Deus plus eum amauit voluntate consequente, id est ex præuisione fidei, cum ipsa illa fides Pauli fuerit effectum amoris Dei: nec sit amatus quia futurus esset fidelis, sed vt esset: Teste ipso Paulo 1. Cor. 7. vbi ait *se misericordiam consecutum vt esset fidelis.*

XXIV. Cum autem, vt fit, Deus homini deteriori & peioribus maioribus orto plus impertitur gratiæ & donorum, eumq; efficaciter conuertit, vt vbi abundat peccatum ibi abundet gratia, Rom. 5. 20. velim scire an voluntate antecedente Deus erga deteriorem voluerit esse liberalior, an consequente? Si antecedente, vicimus: Si consequente, dicant Arminiani quæ voluntas hominis deterioris vocationem eius efficacem antecesserit, quæ in altero minus malo non inueniatur? An dicent illum qui peior erat ante conuersionem, fuisse sitientem, paruulum, facientem voluntatem Patris, vt ipsi loquuntur? Oleum ex pumice facilius expriment, quàm in Paulo ante conuersionem, in latrone ante crucifixionem, aut in ijs quibus ex corde lapideo Deus dat cor carneum, ante regenerationem tales dispositiones inueniant.

XXV. His adde quod Scriptura dicit Act. 14. v. 16. *Deum præteritis ætatibus siuisse omnes gentes suis ipsarum vijs incedere.* Hic quæro an Deus tantundem amauerit

has gentes,earumq; salutem perinde optauerit, ac amauit earum posteros, quos postea vocauit vocatione efficaci per Euangelium? Nemo opinor erit oris tam duri vt id asserere audeat. Neque verò negant Arminiani vocationem salutarem per Euangelium maximum esse τεκμήριον amoris Dei erga gentem aliquam. Sed aliorsum flexa disputatione rimantur causas cur Deus hos illis impensius amet: quod sanè id ipsum est quod volumus.

XXVI. Denique si omnibus hominibus Deus æquè vult finem, id est salutem, ergo & eis æquè vult suggerere media ad finem: puta verbum, fidem, Spiritum. At hæc non suggerit omnibus æqualiter. Nec quicquam absurdius fingi potest, quam Deum æqualiter quidem velle omnes homines & singulos credere & saluari, sed quibusdam suggerere media congrua & apta ac certò profutura, alijs vero media non congrua, non apta, & certò non profutura. Quæ tamen est Arminij doctrina.

XXVII. In assignandis vero causis impensioris amoris Dei erga aliquam gẽtem, & minoris erga aliam dici non potest quam frigidè agant: Interdum causantur meliorem horum dispositionem quam illorum. Quod sanè pernegamus. Neque enim Roma aut Corinthus aut Ephesus proniores erant ad pietatem paulo ante illatam Euangelij lucem, quam aliquot sæculis antè. Immo verò tunc libido prodigiosa & luxus ac superbia & rapina in immensum excreuerant, nec habebant quò progrederentur vlterius. Eodemq; tempore multæ erant gentes barbara stoliditate stupentes,

& quæ digniores videbantur commiseratione, si cœlestis vocatio ex humana ratione, non ex arcano Dei consilio gubernaretur? Nimirum ante aduentum Pauli Deus habebat Corinthi populum multum, vt Deus ipse dicit Act. 18. 10. idq; inter fœdissimas vulgaresq; libidines impurissimæ vrbis. In quorum electorum gratiam constituto tempore Deus misit Corinthum tam prestantem Apostolum, claram Euangelij tubam, cuius prædicatione & miraculis vsus est ad eorum conuersionem qui ad suam electionem pertinebant.

XXVIII. Denique cum nemo non per se & sua natura sit indispositus ad conuersionem & fidem, nemo non in peccatis mortuus, nemo non impotens sequi Deum vocantem, ridiculus est qui in negotio regenerationis & resurrectionis spiritualis quærit inter mortuos dispositiones & discrimina propēsionis ad vitam: & qui Deo affingit voluntatem nos saluandi, quę humanum arbitrium consequatur, & ab eo dependeat.

XXIX. Proauorum vero culpam causari, & putare ideo noluisse Deum huic genti Euangelium prædicari quia maiores eius ante annos mille aut bis mille gratiam Dei respuerunt, planè est ἀπροσδιόνυσον. Romani enim & Corinthij tempore Apostoli Pauli, ijsdem erant maioribus orti quibus Romani & Corinthij qui triginta aut quadraginta annis Pauli prædicationem præcesserant. Nec æquum est pronepotes luere peccata auorum. *Filius non geret iniquitatem patris*, Ezechiel. 18. Nec lex visitationem iniquitatis patrum in filios vltra tertiam genenerationem extendit, quan-

quam & ibi loquitur de nepotibus qui insistunt maiorum vestigijs, & paternum scelus imitantur. Accedit quod per bella, per colonias, per exilia, per matrimonia, mira fit generis humani permixtio, & in vna eademq; gente alij alijs orti sunt maioribus quorum fuerunt mores diuersi. Immo verò vnus idemq; homo ortus est maioribus quorum alij gratiam Dei respuerũt alij non respuerunt: Quorum omnium si habenda est ratio: & si Deus vult annuntiari alicui genti Euangelium aut non annuntiari prout se eius maiores gesserint, impossibile erit quin varijs & contrarijs cogitationibus distrahatur, & vinculis ridiculis contrarijsq; consilijs eius sapientia illigetur.

XXX. Perstant tamen nouatores, & quamuis omnibus sæculis, immo & hoc nostro sciant & videant plurimis gentibus Christi nomen ignotum esse: obfirmant tamen animum & pertendunt Deum velle Euangelium omnibus prædicari. Arnoldus p. 97. pernegat posse dici Deum nolle Euangelium omnibus prædicari. Et pag. 397. *Verum quidem est* (*inquit*) *Euangelium non omnibus vbique prædicari, hinc tamen non sequitur Deum nolle omnes homines ad fidem adducere, sed hoc inde est quod propriâ & affectatâ malitiâ ac peruersitate se ista gratia indignos reddant.* Quæ verba mihi videntur implicare contradictionem, nam si cur Euangelium alicui genti non prædicetur causa est eius malitia, & prauitas, planum est Deum nolle isti genti Euangelium prædicari, quippe qui hac pœna vlciscitur eius contumaciam. Putare verò pœnas aliquas infligi nationibus Deo non volente, præcipuè in salutis negotio, pror-

ſus eſt inſimulare Deum crudelis negligentiæ, eiuſq; prouidentiæ velle oculos configere. Tum abundè docuimus omnes homines eſſe indignos, & indigniſſimis quibuſq; & deterrimis gentibus Euangelium eſſe annuntiatum, ſic diſpenſante Deo: Iuxta illud Rom.10.v.20. *Inuentus ſum ab iis qui me non quærebant, conſpicuus ſum factus iis, qui me non interrogabant.*

XXXI. Hinc ergo depulſi, aliud quiddam commenti ſunt quo nihil eſt dilutius. Dicunt dici non poſſe Deum nolle Euangelium omnibus gentibus prædicari: Sed multas gentes deſidere in tenebris quia deſunt qui velint eis prædicare, idq; fieri quia zelus Chriſtianorum deferbuit, & ex ſocordia paſtorum Eccleſiæ, qui nolunt eo proficiſci prædicandi ergo. At ſi omnes Chriſtiani affecti eſſent vt par eſt, & tangerentur zelo domus Dei, nullis populis defuturam prædicationem Euangelii.

Reſpondeo me non eum eſſe qui velim aſſerere Chriſtianos hac in re prorſus vacare culpa: ſed nihilominus hæc ex Dei conſilio & prouidentia adminiſtrari, dubitari non poteſt. Nam ſi Deus Americanis per multa ſæcula in denſâ ignorantiæ nocte demerſis voluiſſet inferre lucem Euangelii, non paſſus fuiſſet eos per tot ſæcula Chriſtiano orbi eſſe ignotos. Quomodo enim poſſent incuſari non prædicati Euangelij Americanis, qui nequidem ſciebant vllos eſſe Americanos, aut illam terræ plagam habitari? Nec credibile eſt, per negligentiam aliquorum Miniſtrorum Deum poſſe fruſtrari intentione & cupiditate aliquam gentem ſaluandi. Nec æquum eſt vt innumerabiles po-

puli in æternum luant pœnas alienæ negligentiæ. Tum ſi Deus voluiſſet annuntiari Euangelium populis qui ſolo & cœlo & lingua à nobis diuiduntur, infudiſſet aliquibus noſtrûm dona linguarum, vt poſſent à barbaris intelligi. At hodie imbuuntur Papiſmo idiomate Hiſpanico, ad quod diſcendum per vim compelluntur: ergo religionem cum lingua inuiti acceperunt, Ita vt Chriſtum cognoſcere genus ſit pœnæ & pars ſeruitutis, quod ſanè à diuina vocatione abhorret. Sed nouatoribus dum in alta pace & otio ſibi & alijs creant negotium facile eſt de his garrire in angulis. Qui ſi ſeriò loquerentur, illico frequentes in Americam aut Floridam nauigarent, aut ſe conferrent ad incolas continentis Auſtralis, vt eos imbuerent fide Chriſti, nec obliti crucis Chriſti & ingeniorũ prurigine correpti, tot turbas dediſſent, nec ſuæ Eccleſiæ viſcera laniaſſent.

XXXII. An vero Apoſtoli prædicauerint omnibus ſolet diſputari. Mihi ſanè non eſt veriſſimile Apoſtolos intimam Africam trans Æquatorem penetrauiſſe, aut perueniſſe in Americã, & ſi quæ eſt alia pars orbis minus nota. Vita Apoſtolorum breuis ad id non ſuffeciſſet, nec patebant adhuc hæc itinera; tum aliqua ſaltem ibi extarent Chriſtianiſmi veſtigia. Falsò Paulus, cuius itinera & curſus pernouimus, dixiſſet ſe plus omnibus Apoſtolis laboraſſe 1. Corinth. 15. 10. ſi cæteri Apoſtoli ad Antipodas, & ad plagam Arcticam & Antarcticam perueniſſent. Omniúmque ſæculorum memoria teſtis eſt plures ſemper fuiſſe Ethinicos Chriſtianis, Eccleſiám-

que Christianam etiam cum esset florentissima vix decimam terræ partem occupauisse. Iussi quidem sunt Apostoli prædicare omni creaturæ, sed hoc mandatum non ad Apostolos solos pertinet, sed & ad eorum successores, qui lampadem Euangelii eis à prædecessoribus traditam per totum orbem aut circuntulerunt aut circunferent. Nempe debet prædicari Euangelium omnibus gentibus, at non simul & eodem tempore, sed successiuè. Non si prædicatoribus Euangelii accommodatur illud Psalmi 19. *In omnem terram exiuit sonus eorum*, idcirco debet id fieri simul & vno momento, potius quàm per partes & successiuè: Deo quasi lustrante & obeunte gentes, donec nulla sit ad quam tandem non peruenerit doctrina salutis: non secus ac Sol die Æquinoctii totum terræ globum non simul sed per partes illustrat, donec conuersionem absoluerit. Tunc enim finis mundi instabit cum Euangelium ad omnes populos peruenerit: teste ipso Christo, Matt. 24. v. 4. *Prædicabitur Euangelium regni in vniuersa terra, vt sit testimonio omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Quæ verba Seruatoris hunc nodum secant: Apparet enim tempore Apostolorum Euangelium non fuisse prædicatum omnibus gentibus, quia tunc temporis finis nondum instabat.

XXXIII. At (inquis) Paulus ad Coloss. 1. vers. 23. dicit *Euangelium prædicatum esse omni creaturæ quæ sub cœlo.* Respondeo Apostolum vsum esse formula loquendi vsitata in Scripturis, quæ per omnes qui sunt sub cœlo, non omnes & singulos absolutè ac sine exceptione, sed valdè multos intelligunt. Sic Actorum 2. vers. 3.

vers. 5. *Erant Ierosolymis commorantes Iudæi ex omni natione quæ sub cælo.* Quid enim ? an etiam ex America, aut Molucis , aut continente Australi, quorum nequidem tunc erant nota nomina ? nedum vt inde Ierosolyma venissent. Sic Ecclesiastes cap. 4. v. 15. *Vidi omnes viuos qui incedunt sub Sole*, cum tamen Solomo exiguam tantùm terræ particulam vidisset. Vide Ezechielis cap. 31. v. 6. & 13. & caput 32. v. 4. & cognosces, vocem OMNES frequenter non ita accipi vt nullus excipiatur, sed pro MVLTIS persæpe vsurpari.

XXXIV. Ne multa ; in hac quæstione an Deus omnium hominum salutem æqualiter cupiat , & an omnes æquali amore prosequatur tanta est veritatis euidentia, vt ipsos Arminianos sui interdum pudeat, & sæpe in nostras partes incauti transeant. Arminius in Perkinsum p. 214. hæc habet. *Si quis peculiaris ope gratiæ gratiam oblatam apprehenderit, inde patere Deum maiore ipsum prosecutum esse amore quam illum cui gratiam tantùm communem fecit, peculiarem vero denegauit.* Arnoldus p. 380. fatetur Arminium agnoscere non offerri omnibus sufficienter media ad fidem. Ergo non perinde omnes amantur. Nec quicquam tam frequẽs est apud Arminianos, quam Deum vocare quosdam modo & tempore congruo , quo modo qui vocantur certissimè & infallibiliter sequuntur vocantem : quosdam vero vocare modo non congruo, quo qui vocantur nunquam parent Deo vocanti : At non dubium est quin magis amentur quibus datur peculiaris gratia quam quibus negatur. Tum ij quibus datur sufficiens gratia ad fidem quam quibus non datur. Tum ij qui

*De vocatione quæ fit prout Deus nouit esse congruum vide Arn. p. 73. & seq. & Armin. in Perk. p. 245.*

vocantur modo quem Deus nouit esse congruum & qui certò sit profiturus, quàm qui modo incongruo & quem Deus certò scit non profuturum. Arminius in Perkinsum pag. 16. hæc habet. *Deus certo decreto statuit illis fidem & pœnitentiam non dare, scilicet adhibendo illis gratiam efficacem qua certo credant & conuertantur.* Et constans est Arminianorum sententia Deum non dare omnibus gratiam efficacem, sine qua tamen nemo credit, nemo seruatur: & gratiam qua Deus dat non modo posse sed & velle conuerti & credere, paucis tantum dari. Horum ergo salutem Deus magis cupit quam aliorum quos hoc beneficio non dignatur.

XXXV. Notabilia præ cæteris verba sunt Greuinchouij pag. 342. *Interdum* (inquit) *maiores peccatores, citius adiuuat sua gratia quàm minores. Quis enim Deo modum præscribet, quominus interdum præter legem à se constitutam, pro liberalitate sua peioribus præstantiora dona largiatur?* Satis opinor luculenta est hæc confessio. Nam si hæc vera sunt, non potest negari quin Deus antecedente voluntate istos deteriores plus amet, si quidem ista voluntate antecedente plura bona eis largitur, & impertit eis gratiam quam alijs minus malis negat. Neque enim potest dici hanc gratiam peioribus dari voluntate quę voluntatem humanam consequatur, cum nulla bona voluntas humana, sed pessima dispositio largitionem gratiæ antecesserit. At fortasse rarò Deus hoc facit, & vt ait Greuinchouius, præter legem præstitutam: Immo vero hoc facit vt plurimùm, & iuxta regulam Euangelio declaratam, *Vbi abundauit peccatum ibi abundare gratiam*, Rom. 5.

Sic enim gloria Dei & virtus clarius eluceſcit, per quam duriſſima quæq; frangit & perrumpit obſtantia: & vbi δοκησισοφία aut perditiſſimi mores videbantur obſiſtere progreſſibus Euangelij, ibi Euangelium plantat & propagat feliciori ſucceſſu & maiori efficacia.

---

## *DE LIBERO ARBITRIO Partium ſententiæ.*

## CAP. XXXII.

I. QVANTOPERE puritas illa & integritas in qua homo primitus fuerat creatus ſit deformata per peccatum, & Dei imagini imago Satanæ ſuperinducta docuimus cap. 7. Manſit tamen voluntati libertas à coactione & à Phyſica neceſſitate: ſi enim voluntas cogi poſſet, non eſſet voluntas ſed noluntas. Aut ſi à principio externo, naturali & immutabili lege neceſſariò ad vnum determinaretur, non eſſet voluntas, ſed vel impulſio violenta, vel propenſio naturalis & ῥοπὴ deſtituta cognitione & iudicio: qualis eſt propenſio grauium ad centrum. Cum enim tria ſint genera libertatis: vnũ à coactione & neceſſitate Phyſicà, alterũ à peccato, tertiũ à miſeria, homo dum eſt in vita preſenti nunquam erit planè liber & immunis à peccato & à miſeria: ſed ad has duas libertates demum perueniet in futura vita. Libertas vero à coactione & à neceſſitate Phyſica eſſentialis eſt voluntati, & inſeparabilis.

II. Huius libertatis ſedes eſt in voluntate: quippe quæ circa actiones volũtarias imperium obtinet. Nam

etſi voluntas in ſingularibus actionibus ſequitur ſuaſionem intellectus, intellectus tamen non iudicat nec deliberat niſi iuſſus à voluntate; ad cuius imperium homo ſe ad deliberationem & ad veri inquiſitionem applicat. Eodem planè modo quo herus cæcus obtemperat in ſingulis ſeruo manuducenti & ſuadenti: qui ſeruus tamen id facit vt hero pareat qui vult ſe duci & moneri.

Cum autem ſcriptura dicat hominem ſeruum eſſe peccati Rom. 6.17. & venditum ſub peccato, Rom. 7. verſ. 14. Et mortuum in peccato Epheſ. 2. v. 1. & 5. & Coloſſ. 2.13. quouſque ſe extendat libertas humanæ voluntatis, tam ſub ſtatu peccati & ante regenerationem, quam ſub ſtatu gratiæ & regenerationis operæpretium eſt cognoſcere.

III. Voluntas eſt appetitus rationalis, qui ſemper ſua natura fertur in bonum, ſeu id verè fuerit bonum ſeu φαινόμενον. Nam vt quis velit malum qua malum & non ſub ratione boni, impoſſibile eſt.

IV. Libertas voluntatis qua poteſt velle aliquid aut non velle, libertas contradictionis vocatur: libertas vero qua aliquid vel eius contrarium perinde poteſt velle, libertas contrarietatis appellatur.

V. Duo autem omnino ſunt quæ poſſumus velle, vel enim volumus finem, vel media ad finem; quorum illud Ariſtoteli Ethicorum 3. cap. 4. βούλησις, hoc προαίρεσις dicitur. Volumus enim abſolutè finem, eligimus media: Quod ſi quis medium aliquod ad finem adipiſcendum abſolutè vult & ſine deliberatione, illud medium vult non ſimpliciter vt medium, ſed vt finem:

& vt illud adipiſcatur alia media eligit. In eligendo autem voluntas ſequitur iudicium intellectus practici: Niſi cum appetitus vehementes & inordinati præpollentes, rationem offuſcant, aut eius iudicio renituntur.

VI. Inuoluntarium dicimus non modo quod coactum eſt & ad quod per vim compellimur, ſed & illud quod fit per ignorantiam. *Ariſt. Ethic. 3. cap. 3. ἀκούσιον δοκεῖ τὸ βίαιον καὶ τὸ δι' ἄγνοιαν.*

VII. Voluntarium differt à ſpontaneo, quod ſpontaneum latius patet voluntario. Omne enim voluntarium eſt ſpontaneum, ſed non viciſſim: Nam etiam pecudes ſponte ſua mouentur, & habent ὁρμὰς & propenſiones ſpontaneas: Ea demum voluntariè fiunt quæ cum cognitione & ratione aliqua: ſiue ratio recta ſit, ſiue habens ſpeciem recti & veri.

VIII. Sed eorum quæ voluntariè fiunt alia alijs ſunt magis voluntaria. Sunt enim quædam quæ quis facit ἄκων ἑκὼν & cunctanter, vt cum æger porrigit brachium amputandum, ne gangræna ſerpat vlterius, aut cum mercator manibus ſuis merces proijcit in mare. Quæ tamen actiones plus habent voluntarij, quippe quæ fiunt ob bonum: Nam minus malum per quod peruenitur ad maius bonum ſpeciem boni induit. *Ariſt. Ethic. 3. cap. 1. τοιοῦτον δέ τι συμβαίνει καὶ περὶ τὰς ἐν τοῖς χειμῶσιν ἐκβολάς. μικταὶ εἰσιν αἱ τοιαῦται πράξεις, ἐοίκασι δὲ μᾶλλον ἑκουσίοις.*

IX. Finem vltimum nempe felicitatem, volumus omnes neceſſario; nec appetitio finis vltimi cadit in deliberationem. Nemo enim a ſe impetrare poteſt vt velit eſſe miſer. Attamen finem iſtum volumus liberè, quia ſine coactione, & cum cognitione ac iudicio: Vnde fit vt hæc appetitio non modo ſit ſpontanea, ſed & voluntaria, ac proinde libera.

X. Porrò actionum humanarum multa ſunt genera. Quædam enim ſunt merè naturales, vt arteriarum ſyſtole & diaſtole, cōcoctio alimēti &c. Quæ quia nō ſunt penes nos, nec humani arbitrij, circa ea nec voluntas occupatur, nec in eas cadit electio aut deliberatio.

XI. Quædam actiones ſunt partim naturales, partim voluntariæ: vt edere, ambulare: quæ cum ſint naturales, reguntur tamen à voluntate. In his actionibus voluntas eſt libera, niſi cum cogit externa vis, aut inuitos vrget ineuitabilis neceſſitas.

XII. Sunt & actiones quædam ciuiles, vt vendere, emere, contrahere, ludere, ædificare, pingere. In his voluntas hominis eſt libera, & ſe horſum vel illorſum liberè inclinat. Nam qui hæc facit ad alterius imperium, vult tamen alteri morem gerere, ac proinde non tantùm alienà, ſed & ſua voluntate impellitur. De hac libertate loquitur Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 37. *Qui ſtat firmus in corde ſuo, nec adigitur neceſſitate, ſed in poteſtate habet propriam voluntatem, & hoc decreuit in corde ſuo vt ſeruet ſuam virginem, bene facit.* Nam hoc loco Apoſtolus id *bene* fieri dicit, non quod ſit congruenter cum lege diuina, ſed quod prudenter, & ad rem ac tempus præſens accommodatè.

XIII. Sed & in actionibus honeſtis honeſtate ciuili, voluntas humana ſuopte mouetur arbitrio, vt cum Ethnicus lapſum erigit; aut erranti cōmonſtrat viam.

XIV. Par libertas in obſeruatione politiæ Eccleſiaſticæ. Et in operibus lege Dei præceptis, quod ad

externum opus attinet. Nam & pessimi quíque defunguntur ritibus sacris, erogant eleemosynas, verbum Dei legunt & audiunt.

XV. Præcipuè verò in malis actionibus homo liber est. Non enim solum ad peccandum spontè fertur, sed & inter duo aut plura mala liberrimè eligit: & quo fert animus se voluntariè applicat. Quocirca cum homo naturaliter malus regatur à sua praua voluntate, & ideo aliquis liber dicatur quia facit quod lubet, apparet hominem ob id ipsum esse seruum peccati, quia subditus est suæ ipsius voluntati, & quia peccat voluntariè & liberè: ac proinde hominem eo ipso seruum esse quia liber est.

XVI. Per hanc seruitutem & prauitatem naturalem qui dicunt hominem irregenitum necessariò peccare, non debent reprehendi; Homo enim irregenitus ineuitabiliter peccat. Sic diaboli peccant necessariò attamen liberè. Peccant enim non coacti, nec determinati ad vnum à causa extrinseca eos impellente. Sed aguntur proprio motu, & insita prauitate, & cum cognitione. Eodem modo quo sancti qui peruenerunt ad gloriam necessariò boni sunt, & immutabiliter, & tamen voluntariè ac liberè. Neque enim credibile est sanctos glorificatione libertatem amisisse. Est quædam necessitas voluntaria. Nec pugnat libertas cum necessitate sed cum coactione & cum seruitute. Quocirca Augustinus Enchiridio cap. 105. & Ciuitatis 22. lib. cap. vltimo docet per necessitatem non peccandi quæ erit in sanctis liberum eorum arbitrium potius auctum & confirmatum quam diminutum iri.

*Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 30. Nec ideo liberum arbitrium non habebunt quia peccata eos delectare non poterunt, &c. Enchiri. cap. 105. Multo liberius erit arbitriũ quod omnino non poterit seruire peccato.*

Quid Deo liberius? idem tamen necessario est bonus, & agit bona. Nam vt ait Thomas Tomo 8. De libero Arbitrio Quæst. 24. Art. 3. *posse eligere malum non est de ratione liberi arbitrij.* Idem sæpe dicit coactionem non vero necessitatem pugnare cum libertate voluntatis, præcipuè vero eodem Tomo Quæst. 10. de processione diuinarum personarum Art. 2.

XVII. Supersunt habitus & actiones, id est virtutes & opera quæ ad salutem conferunt, & quæ propriæ sunt fidelium. Qualia sunt vera Dei cognitio & serius amor, fides & resipiscentia, & actiones sanctæ ab his virtutibus promanantes. Circa hæc voluntas hominis irregeniti & in puris naturalibus constituti non est libera, nullum hic hominis liberum arbitrium, nulla propensio, nulla dispositio. Perdifficile sanè esset in Paulo grassante in Ecclesiam, & in latrone in crucem acto ob latrocinia, quem Christus in ipso mortis agone conuertit, inuenire dispositiones aliquas aut præparationes ad resipiscentiam.

XVIII. Non inficior quin Ethnicorum multa memoriæ sint prodita honestè facta & vtiliter ad societatem ciuilem, ad concordiam, ad patriæ defensionem. Sed cum *sine fide non possimus placere Deo*, Heb. 11. v. 6. & cum ea demum actio grata sit Deo quę fit cum fide, quia *omne quod fit sine fide peccatum est.* Rom. 14. v. 23. & quæ refertur ad Dei gloriam, vt iubet Apostolus 1. Corinth. 10. v. 31. planum est in illis Ethnicorum honestè factis culpam non defuisse: & eiusmodi ciuilibus virtutibus non posse ad salutem perueniri, neque quenquam per hac posse disponi ad fidem aut veram resipiscen-

resispiscentiam. Alia sunt κατορθώματα virtutum ciuilium, alia officia fidei & pietatis Christianæ. Ac meo quidem iudicio, iudex Ethnicus, qui in iure dicundo & herciscundis possessionibus iudicat ex æquo & bono, nihilo iustior est coram Dei tribunali, quàm latrones qui inter se ęqualiter & bonâ fide prædam partiuntur. Quisquis enim fide in Christum caret, filius Dei non est, ac proinde non potest esse hæres iustusq; possessor bonorũ terrenorũ, quantuncumq; virtutibus ciuilibus emineat. Sed lux quædã dubia, & semina æquitatis naturalis relicta sunt homini ad societatẽ ciuilẽ: & vt illi ipsi quibus lux Euangelij affulget, dum indulgẽt vitijs, his exemplis stimulati pudore suffundantur.

XIX. At postquam Deus illustrauit mentem alicuius sua luce, & cor eius tetigit pœnitentià, eique fidem Christi penitus impressit, voluntas hominis incipit vltrò se mouere ac liberè ad sanctas actiones; Ad quas quidem non impellitur necessitate Physica, sed leni ac efficaci siue suasione, siue influxu, sic flectitur, vt volũtas vltrò & liberè Deum vocantem sequatur. Alioqui ne quidem esset bonum opus ad quod quis coactione traheretur, vel naturali necessitate cõpelleretur. Qui bonum inuitus agit improbè agit. Benignè cum eiusmodi homine agitur, si Deus ignoscit eius obedientiæ. Nam quamtumuis Deus oderit malum, non idcirco tamen vult cogere ad bonum: quia bonum opus non est bonum nisi cum est voluntarium.

XX. Veruntamen quantumcunq; homo liberè moueatur ad opera pietatis, solida tamen laus boni operis Deo debetur, qui efficit in *nobis velle & perficere,*

*pro gratuita sua beneuolentia.* Philip. 2. Sic quamuis fœtus in materno vtero ipse se commoueat, & ipse suam natiuitatem adiuuet, id ipsum tamen quod se mouet habet à Deo. Quemadmodum igitur si quis Deo tribuit integram laudem conformationis embryonis, & generationem ac natiuitatem eius soli Deo adscribit, non per id embryonis natiuitatem moratur, aut eius vigorem minuit: ita qui Deo adscribit totam laudem nostrę regenerationis & sanctarum actionum, non per id moratur studium bonorum operum, nec voluntatem humanam eneruat, aut Physicæ necessitatis vinculis constringit.

XXI. Hic ergo adhibenda est distinctio. Nam si agitur de initio conuersionis, & primordijs regenerationis ac fidei, id est de acquisitione seu formatione fidei & resipiscentiæ in animabus nostris, pertendimus nullas hic esse partes liberi arbitrij: & animas nostras inter initia non modo se habere purè passiuè, sed etiam operi Dei, in nobis formantis rudimentũ noui hominis, sũmo plerumque conatu obsistere: ita vt homo hac in parte non sit liber nisi ad resistendum Deo. At post regenerationem inchoatam, & postquam Deus dedit homini cor carneum ex lapideo, tunc homo se mouet liberè ad opera Deo grata. Ac prout sunt tacita, sed tamen certa, incrementa regenerationis, ita hæc libertas sensim accrescit, languescente in dies resistẽtia cupiditatum. Hoc pacto humana volũtas Deo cooperatur, ita tamen vt quicquid boni fit Deo soli debeatur. Non secus ac cum scriba manũ tremulã pueri apprehẽsam ducit, & primulùm format ad pingenda elementa: co-

natur quidem puer formare elementa, & totis viribus contẽdit: recta tamen conformatio characterum non puero sed scribæ debetur. Hoc exemplum idcirco mihi videtur accommodatissimum, quia docet Deum nõ tantum operari cum voluntate nostra, vt volunt Synergistæ Semipelagiani huius seculi, sed etiam docet Deum agere per nostras voluntates, & eas flectere motione efficaci: Cui quomodo & quatenus homo possit postea docebitur. resistere

XXII. Ipsum ergo actum credendi & resipiscendi eatenus dicimus esse hominis, quatenus homo ipse credit & resipiscit, non vero Deus: & quatenus nemo credit & resipiscit nisi volens: Sed dicimus solam Dei gratiam creare in nobis fidem: & id ipsum quod sponte & libere credimus & resipiscimus diuini esse muneris, & à spiritu regenerante. Quæstio enim non est quis credat, homone an Deus: sed quid fidem in homine producat: & an sit penes liberum arbitrium adiutum gratià, credere vel non credere, & gratià vti vel non vti.

XXIII. Ab hac doctrina cuius firmamenta ex sacra scriptura sequenti capite afferentur, immensum quantum distat Arminius eiusque sectarij. Censent enim homini irregenito inesse vires credendi & resipiscendi. Collatores Hagienses Arminiani pag. 272. affirmant conuersionem præcedere fidem; & hominem aliquid ad suam conuersionem conferre antequam fidem habeat. Quin & euoluens scripta sectariorum, inuenio quidẽ eos statuere, per naturæ corruptionem, hominis intellectui esse offusas tenebras, & affectus eius esse deprauatos: at voluntatem eius pronam esse sua natura

ad peccādum & deprauatam, nullibi in eorum ſcriptis inuenio: Sed ei tribuunt τὸ ἀμφιῤῥεπὲς in bonum & in malum: & in vtramque partem æqualem propenſionem. Quapropter in hominis regeneratione volunt intellectum quidem illuminari irreſiſtibiliter (ſic enim loquuntur) & affectus trahi: At voluntati volunt manere ſuam libertatem credendi vel non credendi, reſipiſcendi vel non reſipiſcendi. Viuificationem verò voluntatis in regeneratione noſtra non volunt in eo eſſe ſitam, quod ex naturaliter mala, fiat bona per infuſionem alicuius virtutis, ſed quod per intellectus illuminationem & affectuum emendationem *voluntas potens redditur ad inſitam ſibi facultatem volendi aut nolendi exerendam.* Id docent Arminiani Collationis Hagienſis pag. 251. Quin & ijdem Collatores paulò poſt hæc dicunt. *In ſpirituali morte non ſeparantur propriè dona ſpiritualia ab hominis voluntate, quia illa nunquam ei fuerant inſita.* Nimirum cenſent voluntatem Adami ante lapſum non fuiſſe inſtructam iuſtitia & ſanctitate: Nam has virtutes eſſe dona ſpitiritualia negari non poteſt. Quæ ſanè prodigioſa eſt Theologia.

XXIV. Ijdem affirmant gratiam ſufficientem dari omnibus hominibus, etiam irregenitis & Ethnicis, ad quos Chriſti nomen non peruenit, per quam poſſunt fidem adipiſci, ſi velint. Nec hominem irregenitum planè eſſe mortuum in peccato, ſed ei ineſſe reliquias vitæ ſpiritualis, & vires implendi legem naturæ: Cenſent enim Deum nihil exigere ab homine ad quod præſtandum non det vires ſufficientes; Alioqui (inquiunt) Deus colligeret vbi non ſparſit. Dicunt erg

Arn. p. 403. *Homo corruptus poteſt lumine naturali rectè vti: & habet aliquas reliquias vitæ ſpiritualis.*

Deum TENERI dare omnibus vires implendi quod iubet, & credendi Christo.

XXV. Verba Arminij notabilia sunt pag. 244. in Perkinsum. *An tu* (inquit) *negas liberum arbitrium esse flexile in vtramque partem, addo & sine gratia? flexibile enim est natura sua: & vt malo addictum in statu peccati, ita capax boni: quam capacitatem illi gratia non donat, inest enim illi a natura.* Ergo secum ipse dissidet, cum addit *liberum arbitrum non flecti ad bonum sine Dei gratia*: Nam quomodo sibi hæc constant? liberum arbitriũ flexibile esse ad bonum sine gratia: & tamen non flecti ad bonum sine gratia? Frustra est potentia quę nunquam ad actum reducitur. Nam vnde colligit id posse fieri quod ipse agnoscit nunquam factum esse nec futurum? Huc pertinet illud quod dicit pag. 257. *Posse credere naturæ est, credere gratiæ*: ergo posse credere non est gratiæ. Inest quidẽ homini naturaliter possibilitas habendi seu recipiendi fidẽ: At non ei inest naturâ posse credere. Hæc enim plurimũ distant. Illud denotat susceptibilitatem & possibilitatem recipiendi fidem, hoc vero significat vim actiuã & facultatem credendi: quæ sanè non inest homini à naturâ, sed tãtùm est à gratià.

XXVI. Arnoldus pag. 271. nobis vt maximum errorem exprobat quod statuimus regenitum non posse quicquam [boni] agere nisi à gratia sit motus. Magnum verò crimen, & quod nobis cum Apostolo cõmune est, qui pronuntiat *Nos ne quidem idoneos esse ad aliquid cogitandum velut ex nobis ipsis, sed omnem sufficientiam nostram esse à Deo*, 2. Cor. 3. 5. Idem Arnoldus pag. 447. vsum gratiæ subijcit humanæ voluntati. *Statuitur*

(inquit) *vsum gratiæ voluntati subijci vt homo eadem vti possit vel non vti, pro naturali sua libertate*, & paulo post fatetur, *statui ab Arminio effectum diuinæ misericordiæ in potestate hominis, sed iam corroborati gratia.* Qua gratià tē-set esse penes liberum arbitrium vti vel non vti, credere vel non credere. Denique Arminiani volunt gratiæ efficaciam, id est efficientiam, pendere ex libero arbitrio. Arnoldus contra Bogermannum, p. 263. & 274. *Positis omnibus operationibus gratiæ quibus ad conuersionem in nobis efficiendam Deus vtitur, manet tamen ipsa conuersio ita in nostra potestate libera vt possimus non conuerti, id est nosmet ipsos conuertere vel non cōuertere.* Greuinchouius, p. 198 *Dico effectum gratiæ ordinariâ lege pendere ab actu aliquo liberi arbitrij vt præuia conditione sine qua non.* Idem pag. 203. & 204. *Dicit totius complexi* (*quare hæc gratia in* Paulo *aut* Petro *potius sit efficax quàm in alio*) *causam communem non posse dari aliam, præter libertatem voluntatis.* Perkinsus dixerat, *Sicut nihil boni potest esse aut fieri nisi Deo faciente, ita nihil mali potest caueri nisi Deo impediente.* Hanc sententiam veram & sanctam carpit Arminius & vellicat pag. 113. & pro, *potest caueri*, vult poni *cauetur*, vult enim omnibus hominibus inesse vires faciendi bonum & cauendi malum, at actum ipsum partim esse à gratia partim à libero arbitrio, quod gratiam vel admittit vel respuit ex libito. Audi verba Arnoldi pag. 381. *Vsus ipse bonus liberi arbitrij est à gratia principaliter, ita tamen vt ipse homo arbitrio suo bene vtatur: eidemque gratiâ vel vtendi vel non vtendi libertas relinquatur.* Censent enim sectarij vires credendi dari irresistibiliter omnibus, at actum credendi sic adiuuari à gratiâ vt relinquatur libero arbitrio actu credere vel

non credere, gratiaque vel benè vel malè vti.

XXVII. Fidem vero negant esse à sola gratia, sed partim à gratia partim à libero arbitrio. Greuinchouius pag. 208. & 210. *Liquet liberum arbitrium & gratiam simul esse causas partiales.* Sic debuit loqui homo qui electionem dicit esse ex fide præuisa: perincommodè enim Deus diceretur præuidere quod solus ipse facturus est, hoc enim non est pręuidere, sed decernere. Eodem pertinet decretum conditionale de saluandis hominibus, si credent: sic enim prorsus ponitur esse penes hominem credere: Ineptũ enim esset huiusmodi decretum, *volo hunc seruari si ei dedero fidem.* Arminius in Perkinsum pag. 223. & 224. *Causa* (inquit) *totalis cur ille credat iste non, est voluntas Dei & liberum arbitrium hominis.* Arnoldus pag. 288. dicit *Arminium præcipuas partes in fide efficienda gratiæ tribuere*: nempe quia in fide efficienda vult aliquas esse partes liberi arbitrij: Quas non esse postremas, immo verò maximas ex sensu sectariorum, quantuncunque id præ se non ferant, satis agnoscit Arminius & post eum Arnoldus pag. 125. *Negatur* (inquit) *hoc discrimen gratiæ vocantis non tam in hominis arbitrio quam in Dei voluntate positum esse.* Ac profecto oportet in conuersione hominis præcipuę partes sint liberi arbitrij, si verũ est quod pertendunt Arminiani, gratiæ efficientiam pendere à libero arbitrio, & gratiæ rectum vsum humanæ voluntati subijci. Et quod Arnoldus dicit pag. 444. *Deum ita in homine operari, vt modo ille sibi ipsi non desit, se conuertere posit.* Greuinchouius in Amesium pag. 205. *Gratia non determinat nisi arbitrio cooperante:*

*qua ratione & modo quidni dicamus efficaciam quoque gratiæ quodam modo ab arbitrio pendere quoad euentum?* Si ergo gratiæ efficacia quod ad euẽtum, id est effectũ, pendet à libero arbitrio, oportet in conuersione & regeneratione partes liberi arbitrij sint longè præcipuæ. Idem pag. 214. *Comparando inter se auxilium* Dei *efficax & influxum arbitrij, nulla est inter vtrumque prioritas.* Et cum sit penes liberum arbitrum sic vti gratia vt credat actu, & fidem adipiscatur, per fidem autem simus filij Dei, Gal. 3. 26. apparet (si Arminio fides) filios Dei fieri rem esse liberi arbitrij, & quantuncunque id non possit fieri sine auxilio gratiæ, effectum tamen pendere ab humana voluntate. Vt iam vltro Deus homini debeat: nam quod filios habet id debebit humano arbitrio.

*Arm. p. 234. & 235.*

XXVIII. Hic quidem nigræ est succus lolliginis & pestilentissima doctrina: de qua quid iudicandum sit facilè est cõijcere ex locutionibus quæ passim in sectariorũ scriptis occurrunt. Lydiam sibi ipsi cor aperuisse: cũ tamen teste Luca Actorũ 16. 14. Deus Lydię cor aperuerit. Et hominem se ipsum discernere, quamuis Paulus dicat, *quis te discernit?* 1. Cor. 4. 7. Et hominẽ irregenitũ non esse prorsus in peccatis mortuum: & Deum dare homini vires credendi si velit: cum tamen Deus det ipsum velle & perficere, Philip. 2. v. 13. Et sufficientem gratiam quæ omnibus immo & reprobis datur tollere impotentiam, & libertatem arbitrij constituere, vt docet Arminius in Perkinsum pag. 245. & 246. Audiantur verba fastuosa Greuinchouij pag. 253. *Ego me ipsum discerno: quum enim Deo ac prædeterminationi*

*diuinæ*

*diuinæ resistere possem, non restiti tamen, atque in eo quid ni mihi liceat tanquam de meo gloriari? Quod enim potui Dei miserentis est, quod autem volui cum possem nolle id meæ potestatis.* Periculum est ne hic vermiculus tantopere inflетur vt crepet. Nempe hominis est magnanimi nolle Deo nimium debere, nec eius beneficijs obrui. Non minoris supercilij hæc sunt eiusdem authoris, pag. 279. *Dices in hoc operandi modo Deum etiam quodam modo à voluntate* [hominis] *dependere. Concedo quoad actum determinationis liberæ.* Hoc nimirum vnum deerat ad extremam superbiam vt Deus ab homine pendere diceretur.

XXIX. Occurrunt quidem in nouatorum scriptis loca aliquot quibus dicunt hominem in statu corrupto esse planè mortuum, & à se ipso nihil quod verè bonum sit neque cogitare posse, neque velle, neque facere. Sed hæc dicuntur ad fucum faciendum, & vt lectori incauto palpum obtrudant. Nempe volunt hominem nihil posse boni sine gratia: Sed per hanc gratiam intelligunt gratiam vniuersalem quæ est omnibus hominibus communis, & gratiam sufficientem quæ vel ijs datur quibus Christus nunquam innotuit, & quæ æquè latè patet ac natura. Gratiam quidē dicūt causam esse credendi, sed nunquam addūt SOLAM esse causam.

Collatores Hagienses Arminiani tertio & quarto articulis sic loquuntur quasi qui nobiscum sentiant. Ibi enim profitentur *hominem saluificam fidem non habere à se: & Dei gratiam esse principium progressum & complementum omnis boni, & omnes bonas actiones gratiæ Dei in Christo ascribendas esse*: Sed homines versipelles cum

dicunt hominem non habere fidem à ſe, intelligunt non habere à ſe ſolo: Et cum dicunt omne bonum opus aſcribendum gratiæ, ſedulò cauent ne dicant, SOLI *gratiæ*. Tum in voce gratiæ decipulam tendunt, & ſimiæ Pelagianorum fingunt quandam gratiam omnibus communem quæ æquè latè pateat ac natura. Tum diſtinguunt gratiam ab vſu gratiæ: nam gratiam quidem volunt eſſe à Deo, at vſum eſſe penes liberum arbitrium: Pari aſtu vires credendi dicunt eſſe à gratia. Nam mox quod porrexerunt retrahũt, dũ dicũt ipſum credere eſſe liberi arbitrij: & dari gratiam homini per quam credat ſi velit. Quãdocunque autem ad vniuerſalem illam gratiam volunt ſpecialem quandam gratiam accedere, huius tamen gratiæ vſum à libero arbitrio ſuſpendunt, & ab eo efficientiam gratiæ pendere rotundè & ſine circuitione affirmant.

Quin & videbimus per gratiam illam vniuerſalem & ſufficientem ac omnibus communem, intelligi dona naturalia & notiones naturaliter impreſſas, & naturam veſtiri ſpecioſo nomine gratiæ: quod & faciebat Pelagius. Quod cum faciant ſummo artificio, nunquam tamen eorum ſimulatio ita eſt cauta quin ſubinde Pelagianæ auriculæ promineant: & quantumcunque veritatis ſermonem imitentur, larua tamen incautis frequenter excidit: & eorum vlcera preſſa fœtidum pus illico eiaculantur.

XXX. Hîc tamen Vorſtius à præceptore ſuo diſceſſit: cum enim Arminius ſtatuat neminem actu conuerti & credere per ſolam gratiam vniuerſalem, quæ etiam reprobis communis eſt, ſed inſuper requiri gratiam

aliquam specialem, Vorstius contra Collationis cum Piscatore pag. 57. asserit per gratiam vniuersalem, quā vocat minorem misericordiam, quosdam conuerti, id est sine speciali gratià, quam vocat plus quàm sufficientem gratiam & exuberans auxilium. Ergo, si huic creditur, per solam gratiam quæ Ethnicis omnibus communis, aliqui ad salutem perueniunt.

*Hominem irregenitum planè destitutum esse viribus, & libertate arbitrij in ijs quæ ad fidem & salutem pertinent, probatur ex Sacra Scriptura.*

## CAP. XXXIIII.

I. HIc si statur iudicio sacræ scripturæ, nullus erit dubitandi locus. De homine irregenito, & in puris naturalibus, scriptura sic loquitur, Genes. 6. v. 5. *Omnis cogitatio cordis humani duntaxat mala est, omni tempore.* Idem repetitur cap. 8. v. 21. Concinit Ieremias cap. 17. *Prauum est cor hominis & inscrutabile.* Et Rom. 3. *Non est iustus ne vnus quidem, omnes deflexerunt, & inutiles facti sunt, non est qui faciat quod bonum est, ne vnus quidem.* Et Rom. 7. v. 18. *Scio quod in me, id est in carne mea, non habitat bonum.* Et cap. 8. v. 8. φρόνημα σαρκὸς, id est quicquid sapit & sentit homo carnalis, *inimicitia est aduersus Deum; legi enim Dei non subijcitur: nam ne potest quidem:* Confer hęc cū Doctrina Arminij, censentis hominem

infidelem & irregenitum habere vires sufficientes ad credendum,& ad implendam legem: Apostolus enim censet nostram carnem non modo legi non esse morigeram, sed ne quidem posse. Idem Apostolus 1. Corinth. 2. 14. *Animalis homo non est capax eorum quæ sunt spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere.* Huc pertinet quod Scriptura Ezech. 36. dicit cor hominis esse lapideum, eoque sua naturà ineptum & incapax ad recipiendã impressionem legis diuinę; nisi Deus eam, vt olim, digito suo inscribat isti lapidi. Tum quod Paulus Eph. 2. vers. 1. & 5. non modo Ephesios ante vocationẽ, sed & nos omnes ait fuisse in peccatis mortuos. Idem habet ad Coloss. cap. 2. v. 13. Et quod Christus dicit Ioh. 14. vers. 17. *Spiritus veritatis quem mundus* NON POTEST *recipere, quia eum nec videt nec nouit.* Planè his verbis Christus nullum agnoscit liberum hominis arbitrium, nullas vires ad recipiendum spiritum veritatis: sed naturalem auersionem & impotentiam.

II. Quapropter immutationem hominis per Spiritum regenerationis Scriptura aliquando alteram natiuitatem, Ioh. 3. aliquando creationem noui hominis Ephes. 4. vers. 24. quandoque etiam alteram resurrectionem ex mortuis appellat. Apocal. 20. v. 6. Luc. 15. 32. Ioh. 5. 25. Non quidem quod creatio, & resurrectio sit per omnia similis regenerationi & immutationi animarum: sed in hoc duntaxat de quo hic agitur, videlicet quemadmodum cadauer non potest se ipsum disponere nec præparare ad resurrectionem, nec res nondum creata potest quidquam conferre ad

ſuam ipſius creationem, ita homo in ſtatu peccati & ante regenerationem nihil habet quo ſe ipſe diſponat, aut paret ad regenerationem & innouationem ſpiritualem.

III. Collatores Hagienſes Arminiani pag. 279. rotundè fatentur morte ſpirituali ſeparari ab anima libertatem benè aut malè agendi. Quæro igitur an irregenitus inſtructus gratia illa ſufficiente & vniuerſali, quæ etiam reprobis contingit, habeat liberum arbitrium benè aut malè agēdi in ijs quæ ad ſalutem pertinent? Si non habet, cur contra Arminiani pertendūt? Si habet, planum eſt, ipſis Arminianis fatentibus, eum non eſſe in peccatis mortuum.

Sed præcipua vis in voce naſcendi. Nam ſi in homine irregenito eſſent aliqua ſemina & reliquiæ vitæ ſpiritualis, vt cenſet Arnoldus, non opus eſſet iterum naſci, & nouum hominem formari, ſed orandus eſſet Deus vt ſcintillas illas & reliquias vitæ ſpiritualis ἀναζωπυρεῖν, & quaſi admotis fomitibus accendere & augere dignaretur.

IV. His adde loca quæ docent ſine fide non poſſe placeri Deo Heb. 11. fidemque, non eſſe omnium 2. Theſ. 3. quippe quæ eſt donum Dei. Philip. 1. 19. Epheſ. 2. 8. Cùm ergo quicquid fit ſine fide ſit peccatum. Rom. 14. 23. planum eſt in rebus quæ ad Dei cultum & ſalutem pertinent, nil niſi peccari ab eo qui caret fide, quales ſunt omnes Ethnici & irregeniti. Quo loco ad Romanos, notandum eſt Apoſtolum loqui de vſu ciborum, quibus vult nos veſci cum fide, id eſt cum certa cognitione vſum ciborum à Deo probari, & cum

eius verbo conuenire. Cum ergo etiam in rebus sua natura indifferentibus peccetur, quando eis vtimur sine tali fide, quantò magis sentiendum est Ethnicos peccare in omni actione quæ ad Dei cultum & salutem pertinet, quia planè sunt destituti hac fide?

V. Eodem pertinent loca quæ docent Deum omnis boni operis quod fit à nobis, & omnis virtutis esse authorem. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis ipsis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est* 2. Corinth. 3. v. 5. & Christus Ioh. 15. v. 5. *extra me nihil potestis facere*, & ibidem comparamur palmitibus exectis & igni destinatis, nisi Christo fuerimus insiti, per quem viuimus & fructum ferimus: Apostolus Eph. 2. v. 8. docet salutem & fidem esse non ex nobis sed ex Dei dono. *Seruati estis gratuitò per fidem, idque non ex vobis sed donum Dei est*: Quam procul ab Arminio qui fidei causam totalem vult esse non solam gratiam, sed gratiam & liberum arbitrium. Ac ne quis ex Arminij schola quęrat effugium, & dicat, vires quidem credendi dari omnibus irresistibiliter, actum vero credendi sic adiuuari à gratia vt sit etiam à libero arbitrio, opportunè occurrit Apostolus futili subtilitati, Philip. 1. v. 29. vbi ait, *Datur vobis in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo affligi.* Vides non solum vires credendi nobis dari, sed etiam ipsum actum, id est ipsum credere? Affine est illud Io. 6. *Nemo potest venire ad me nisi pater traxerit eum*: vbi venire est actu credere: non autem vires & facultatem habere credendi, quæ per liberum arbitrium ad actum reducantur. Nec minus disertum est illud Apostoli ad Philip. cap. 2. v. 13. *Deus est qui in vobis operatur*

*efficaciter velle & perficere, pro suo bene placito*: Velle autē est actu velle, non vero vires habere volendi. Ipse Deus Ezechielis, cap. 36. v. 27. *ponam* (inquit) *spiritum meum in vobis, & efficiam vt in præceptis meis ambuletis.* Non ergo tantum dat vires ambulandi in suis præceptis, sed & efficit reapse vt ambulemus, & actum ipsum in nobis operatur.. Quomodo & quo vsque electi possint resistere spiritus efficaciæ, postea videbitur. Satis est ad præsentem quæstionem si obtinemus, Deum non tantum dare vires quibus possimus credere, sed & dare ac perficere in nobis ipsum credere, actumque credendi.

Occurrunt quidem interdum loca quibus Arminiani dicunt non tantum vires credendi sed etiam ipsum credere actumq; credendi à Deo dari. Sed hunc actum volunt à Deo dari quatenus dat menti cognitionem & suscitat affectus languentes qui voluntatem extimulant ad credendum, idque fieri suasione morali, & eo modo quo mouemur ab obiectis. At hoc non est dare fidem actumque credēdi. Enimuero qui suadet & obiecta proponit & appetitum inuitat ad currendū, non dat ipsum currere, actumque currendi. Quocirca Arminiani negant fidem ipsam à Deo infundi aut cordi imprimi, sed voluntatem morali tantùm suasione & blanda illectatione ad credendum inuitari.

Pari fraude, vt aliquid magni Deo tribuere videantur, dicunt Deum dare vires credendi idque irresistibiliter. Sed cum deuentum est ad explicationem modi quo istæ vires suppeditantur, apparet eos negare vires credendi homini dari à Deo. Non aliter enim censent has vires dari quam illustrando intellectum cognitione

didit homini prauitatem: sed nouit qui sint illi quorũ vult misereri: & constat ei ratio suarum actionum, in quas inquirere non modo temerarium esset, sed & periculosum.

VIII. Paulus ad Galat. 3. vers. 26. dicit *nos esse filios Dei per fidem in Christum.* Si ergo est penes liberum arbitrium adiutum gratià credere vel non credere, & vti gratia illa vel non vti, oportet quoque sit penes liberum arbitrium adiutum gratià efficere vt simus filij Dei vel non simus: quod sanè pugnat non modo cum pietate sed & cum sensu communi: nam quis vnquam effecit vt esset filius patris sui? aut quis sibi debet aliqua ex parte suam ipsius generationem?

IX. Idem Apostolus ad Rom. 9. *Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei.* Per volentem & currentem, operantem intelligit, nempe ab electione, aut (vt mauult Arminius) à iustificatione hominis, consideratio operum excluditur, vt hoc beneficium acceptum feratur soli misericordiæ Dei. In hanc regulam peccat Arminius: Nam ex eius doctrina hominis cõuersio per fidem, ac proinde & iustitia & salus, est volentis & currentis & operantis, id est eius qui ope liberi sui arbitrij gratia vniuersali bene vtitur, & qui ideo credit quia ad auxilium gratiæ attulit vires liberi arbitrij per quas fidẽ adeptus est. Nam, vt dixi, causam fidei Arminiani faciunt hæc duo coniuncta, gratiam nempe & liberum arbitrium: quo libero arbitrio vti ad fidem adipiscendam & ad se conuertendum, planè est velle & currere: debuerat ergo Apostolus dicere, *Est volentis & currentis hominis ac miserentis Dei*, vt liberum arbi-

trium cum misericordia Dei coniungeretur. Quod si, vt aptè dicit Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. quia non fit conuersio & salus per solum hominis arbitrium potest dici *non esse volentis neque currentis*, cur non etiam poterit dici non esse miserentis Dei, quia conuersio non fit per solam Dei gratiam, sed quoq; per liberum arbitrium? Nihil refert quod Augustinus vsus est hoc argumento aduersus Pelagium negantem nos à gratia præueniri, habet enim easdem vires aduersus Semipelagianos adiungentes liberum arbitrium gratiæ: cum Paulus non dicat, *non est tantùm volentis*, sed planè voluntatem & liberum arbitrium excludat.

X. Denique hoc Argumentum ita torsit Arnoldum p. 445. vt in nostras partes concedere velit videri, dicit enim, *non esse positum in nostra voluntate vt vocationi obtemperemus, sed hoc ipsum etiam à Dei esse misericordia.* Sed nasutus homo & vafer sibi cauit ne aliquid diceret quo suę causæ officeret. Cum enim dicit non esse positum in nostra voluntate, subintelligit SOLA. Idcirco noluit dicere hoc ipsum totum positum esse in sola Dei misericordia, sed molliter & fluctuante sermone, dicit *positum esse in Dei misericordia.* Tantundem sanè poterat & debebat dicere de libero arbitrio, vt sibi ipse constaret: censet enim nec positum esse in sola Dei gratia, nec in solo libero arbitrio.

XI. Hominem verò non posse conuerti nisi Deus eum cõuertat, & conuersionis nostrę solidam laudem Deo deberi docet Ieremias cap. 31. v. 18. *Conuerte me & conuertar*: Quod & repetitur Threnorum vltimo. Pudet dilutæ interpretationis Collatorum Hagiensium

Arminianorum qui pag. 266 per *conuerti* volunt intelligi *castigari*. Nihil est in sacra scriptura tam clarum & disertum quod non possit inepta & temeraria interpretatione corrumpi. Quis Hebraïcis mediocriter tinctus nescit verbum *Shub* esse *reuerti*, non verò punire? ac proinde in Hiphil esse *efficere vt quis reuertatur*, non verò vt puniatur? Aut quis non videt quam sit ridiculum si homines obtriti ærumnis petant insuper castigari? vt si quis grauiter concisus loris petat sibi insuper colaphum infligi? Sed Ieremias ipse se explicat, & docet quid sit conuerti: addit enim *conuersus agam pœnitentiam, memet agnoscam*: hoc nimirum est conuerti. Cum igitur homines iam conuersi dicant *Conuerte me & conuertar*. Ierem 31. *Trahe me & curram*, Cantic. 1. & conuersionis suæ progressum soli Deo ascribant, quanto magis initium nostræ cõuersionis soli Deo tribuendum est? Nam si iam volentes fatentur se quicquid boni agunt Deo debere, nec nisi per eius gratiam posse pedem vlterius promouere, quanto magis statuendum est nos non posse fieri volentes ex nolentibus & viuos ex mortuis, nisi Deo trahente, & viuificante?

XII. Ad præparationes vero euertendas, per quas sectarij censent hominem irregenitum benè vtentem gratia vniuersali & luce naturali, se disponere & parare ad regenerationem, apprimè facit illud Dei apud Ezechielem cap. 36. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in præcordijs vestris: auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Inseram Spiritum meum in interiora vestra, efficiamq; vt ambuletis in statutis meis.* Cum enim Deo ipso teste, in ijs quæ ad Dei

cultum & ſalutem pertinent homo naturaliter habeat cor lapideum & quod opus ſit tolli, vt aliud à Deo detur in quod Deus imprimat characterem fidei & reſipiſcentiæ: liquidò apparet hominem irregenitum non poſſe ſe parare ad ſuam regenerationem. Quod enim tolli debet & cum alio commutari vt regenerari poſſimus, id ſanè non adiuuat regenerationem, nec nos pręparat ad eam: alioqui ipſis impedimentis adiuuaremur.

XIII. Reſpondet Arnoldus p. 461. hanc phraſim, cordis lapidei & carnei eſſe figuratam, Theologiam ſymbolicam non eſſe argumentatiuam: Reſpondeo figuratas locutiones vim habere propriarum quando ab ipſa ſcriptura exponuntur: & quando euidens eſt in quem finem & quo ſenſu adhibeantur: At eodem loco Ezechielis multæ ſunt voces ſimplices & non figuratæ quæ hanc figuram multa luce perfundunt: Ibidem enim Deus promittit ſe daturum nouum ſpiritum, per quem efficiat vt in vijs Dei incedant.

XIV. Quocirca differentias inter cor & inter lapidem Arnoldus abs re congerit, & ſuperfluà diligentià. Saxum non habere vitam, cor verò habere. Saxum molliri non poſſe ſine ablatione formæ ſubſtantialis, cor poſſe. Saxum non poſſe reſiſtere ſuæ emollitioni, cor poſſe. Omnia præter rem, vna enim in re de qua hic agitur aptiſſima eſt comparatio. Nempe nõ ſecus ac ſaxum non poteſt ſe ipſum mollire, ſed ſola vi externi agentis id fit, ita nec cor irregenitũ poſſe ipſum ſe conuertere, aut diſponere ad regeneratione͂: ſed id fieri ſolà Spiritus Dei efficacia: Extra hoc qui quæret comparationes inueniet infinita diſcrimina, vt lapi-

dem posse scalpi & cædi, ex latomijs erui, ædificio apponi, &c. cor vero non posse.

XV. Vrunt præcipuè Semipelagianos verba Pauli, quibus ait hominem in peccatis esse mortuum: loquitur autem de homine irregenito: cuius teli cuspidem vt frustrentur & declinent, operosè congerunt discrimina inter corpus mortuum, & inter hominem irregenitum: Quæ quidem eò pertinent vt euincant hominem irregenitum non planè esse in peccatis mortuum, & vt ait Arr.oldus, *habere aliquas reliquias vitæ spiritualis*: Quibus reliquijs naturalibus si addatur gratia vniuersalis & sufficiens, quam volunt dari omnibus hominibus etiam irregenitis & reprobis, per quã nemo non potest implere legem & fidem adipisci, inuenietur sanè in homine irregenito plurimùm vitæ spiritualis, & nulla aut perexigua cum mortuo conuenientia aut similitudo. Bene est ergo quod sectarij in id totis viribus incumbunt vt doceant Paulum non satis appositè locutum esse. Discrimina hæc affert Arnoldus p. 466. & 468. In resurrectione animam infundi, in regeneratione tãtum immutari. Ibi nullas præcedere dispositiones & præparationes, at regenerationem fieri post prçuias quasdã dispositiones. Tũ resurectionem fieri in instanti, regenerationem per gradus. Illam necessariò fieri, hanc manente libero arbitrio. In cadauere nullas esse reliquias vitæ, at in homine irregenito esse quasdam reliquias vitæ spiritualis. Deum non alloqui cadauer: at Deum alloqui mortuos in peccatis, eisque verbum suum proponere. Mortuum non posse resistere suæ resurrectioni, irregenitum posse.

Ego vero non inficior hoc simile non quadrare per omnia: Nec dubium est quin Arnoldus multa alia potuerit inuenire discrimina: vt quod resurrectio corporum fiet vltimo demum die, quod ad tubam Angeli, &c. Sed sufficit quod hoc simile apprime quadrat in eo quod caput est rei, & de quo inter nos controuertitur. Nempe in eo quod vt cadauer est inhabile ad motum, nec se ipsum potest disponere nec præparare ad resurrectionem, ita anima hominis irregeniti & in peccatis mortui, caret in spiritualibus & quæ ad salutem pertinent omni sensu & motu: nec se ipsa potest ad regenerationem parare & disponere, donec spiritus regenerationis cordi illapsus cieat nouos motus, & inchoet nouæ vitę primordia. Per sensum in spiritualibus intelligo zelum, per motum bona opera. Et sanè mihi videntur hæc pugnare, mortuum esse in peccatis, vt ait Paulus, & habere reliquias vitæ spiritualis, vt vult Arnoldus: Nam mors in spiritualibus vitam spiritualem planè excludit. Esse quidem aliquas notiones veritatis & scintillas lucis in homine non regenito, & obscura imaginis Dei vestigia, vltro agnosco. Sed hæ reliquiæ non sunt pars vitæ spiritualis & regenerationis: Ipsi Dæmones habent multò plus lucis, qui tamen planè sunt in peccatis mortui.

XVI. *Sed neque discrimina illa quæ afferunt vera sunt omnia.* Principiò, Deum respicere ad dispositiones liberi arbitrij, aut hominem per liberum arbitrium se parare ad regenerationem pernegamus. Deus quidem calamitatibus & liberationibus & exemplis vltionis quam sumit de improbis aliquando viam sibi ad rege-

nerationem alicuius præstruit. Tum potest aliquis seruili trepidatione, & metu pœnæ ante regenerationem vtiliter concuti: sed assero istos motus internos tunc demum incipere esse laudabiles & Deo gratos cum producuntur à Spiritu sancto: Quod cum fit, dico eiusmodi motus iam esse partem regenerationis, & primos σφυγμοὺς noui hominis, & debilia quidem, sed certa nouæ vitæ initia: non verò præparationes liberi arbitrij, quæ antecedant regenerationem, & quibus Deus ad dandam ampliorem gratiam moueatur. Tantùm autem abest vt Deus in inchoanda regeneratione ad præuias dispositiones respiciat, vt contra alienissimi quique à regno cœlorum vocentur, & qui sunt altioribus tenebris demersi. Exemplo sit latro in cruce: Tum Romani, Alexandrini, Antiocheni, Corinthij, Ephesij, quibus populis nulli vnquã fuerunt aut libidinis magis perditæ, aut luxus magis effœminati, aut crassioris ignorãtiæ, & magis prodigiosæ idolatriæ: quos tamẽ tã malè affectos & dispositos Deus vocauit efficaci vocatione, & missis ad eos Apostolis Christo lucratus est, vt vbi magis abundabat peccatũ, magis abundaret & gratia.

XVII. Regeneratioẽ verò non semper fieri per gradus docet exemplũ latronis cõuersi, qui in extrema decursione agonis spiritualis, vno momento immensum spatium emensus est: Vicissim resurrectionem corporis posse fieri per gradus, docet Ezechiel cap. 37.

XVIII. Nihilo verius est quod dicunt, regenerationem fieri manente libero arbitrio. Nam si liberum arbitriũ manet in regeneratione, oportet præcesserit regenerationem: at in spiritualibus & quæ ad salutem

pertinent nullum erat ante regenerationem liberum arbitrium.

XIX. Eiusdem farinæ est, immo longè pessimum quod addunt; in homine irregenito inesse reliquias vitæ spiritualis. Sic enim petunt quod quæritur : & quod falsum esse probauimus.

XX. Immo nec verum est quod aiunt Deum non alloqui cadauera. Christus enim affatus est Lazarum mortuum his verbis, *Lazare prodi.* Ioh. 11. Et Ezechielis 37. v. 4. Deus sic alloquitur ossa pridem arefacta, *Vos ossa sicca audite verbum Domini.* Deus vocat quæ non sunt quasi essent, sed eo ipso quod illa vocat, efficit vt sint: verba Christi in hăc rem diserta sunt Ioh. 5. v. 25. *mortui audient vocem filij Dei & qui audierint viuent.* Nam vt Deus lumine suo sic cæcos illustrat vt simul det eis oculos, sic verbo suo sic affatur mortuos, vt per illud ipsum verbum eos viuificet.

XXI. Mirificum est Collatorum Hagiensium Arminianorum acumen, qui inde probant facultatem aliquam in homine spiritualiter mortuo relictam esse : quia nos ipsi agnoscimus hominem posse resistere gratiæ. Præclarè : Nempe probant hominem in peccatis non esse mortuum, quia potest resistere spiritui Dei, quasi reliquiæ spiritualis vitæ in facultate resistendi Deo positæ essent : cum contra ideo homo sit in peccatis mortuus, quia nil potest nisi resistere. Sic ergo agunt ac si dicerent hominem non esse in peccatis mortuum, quia in peccatis est mortuus.

XXII. Illud verò quod dicunt, mortuum non posse resistere

se resistere suæ resurrectioni, at irregenitum posse resistere suæ viuificationi pro nobis facit, & nouatorum causam prægrauat. Nam inde fit mortem in peccato longè esse deteriorem, & mortuum in peccato longè arctioribus vinculis constringi, siquidem ipse suæ resurrectioni reluctatur, non modo in primordijs regenerationis, sed & in progressu. Immo illa ipsa procliuitas ad resistendum Deo pars est mortis illius & corruptionis naturalis longè præcipua.

XXIII. Interea obseruabit lector quam artificiosa χρύψει vtatur Arnoldus dum dicit mortuum non posse resistere suę resurrectioni, at mortuum in peccato posse resistere suæ viuificationi. Sententia Arminianorum est, hominem irregenitum habere liberum arbitrium, per quod potest gratia sufficiente vti vel non vti, credere vel non credere: debuerat igitur Arnoldus sic instituere suam comparationem, dicēdo, mortuum non posse impedire suam resurrectionem nec adiuuare: at irregenitum posse suam regenerationem vel impedire vel adiuuare. Sed Arnoldus adiumenti illius mentionem hîc non facit, ad declinandam inuidiam & suspicionem Semipelagianismi: quod solent quos suæ sententiæ pudet.

XXIV. Non est silentio prætereundum id quod dicunt Arminiani Hagienses Collationis p. 81. Ibi enim faciunt duo genera irregenitorum: quosdam qui tanquam extra omnem vocationem positi ambulant in vanitate mentis & cogitationum suarum. Hos illi fatentur esse in peccatis mortuos: quosdam verò qui iam sunt vocati & excitati per gratiam Dei, quibus iam

intellectus illuminatus & affectus accensi voluntatem ad veritatis apprehensionem extimulāt. Hos negant in peccatis esse mortuos, quippe quibus intellectus & appetitus viuificati sunt, etsi voluntas nondum pertracta. Multa hîc absurda 1. Primo quod quosdam censent esse irregenitos qui iam viuificati sunt: cum tamen viuificatio & regeneratio idem sint. Nam si cuius mens est viuificata oportet quoq; esse regenitam. 2. Pari errore ibi ponunt viuificationem vbi non est fides: cum teste Apostolo, iustus fide viuat, & impium sit in homine infideli, & irregenito vllam viuificationem agnoscere. 3. Infeliciter verò Philosophantur cum censent intellectu illustrato cognitione veritatis & appetitibus accensis eius amore, possibile esse vt voluntas sit auersa ab hac veritate. Et viuificari hominem mente & affectibus, voluntate manente sine vita. Nam quid voluntatem auerteret quando duo ista eam instigant: cum ab his solis voluntas moueatur? nec vnquam voluntas pendeat dubia, nisi cum hinc quidem instigat ratio, illinc verò retrahit appetitus, & voluntas inter contrarias mentis & appetituum suggestiones vltro citroq; impellitur? 4. Nec verò sibi constant cum dicūt aliquos esse extra omnem vocationem positos, cum magna contentione asserant omnes homines vocari ad salutem, vocatione non modo externâ, sed etiam interna: Et gratiam sufficientem omnibus administrari. 5. Deniq; quæro vnde habeant duo illa genera mortuorum in peccatis. Si ex Scriptura, ædant locum. Si ex sua coniectura, non credimus.

XXV. Arnoldus in Tilenum pag. 134. statuit fieri

posse vt ex duobus æquali auxilio gratiæ donatis hic conuertatur ille non. Sed debebat quoque docere an fieri possit vt ex duobus æqualiter malis, & æquali auxilio gratiæ donatis, id est habentibus pariter sufficientem gratiam & vniuersalem, & pariter vocatis Euangelio, possit fieri vt alter conuertatur alter non. Si potest fieri, quæro, vnde discrimen? an maior gratia huic data? at ipse statuit esse æqualem. An quia alter altero melior? quæstio est de æqualiter malis: tum sic non esset huius conuersio ex sola gratia, sed ex libero arbitrio. Neque diffitetur Arnoldus: Addit enim, *Licet Deus, qui fidem in homine operatur principaliter, fidelem ab infideli discernat, quia tamen fidem & conuersionem in homine non operatur sine voluntate hominis, etiam non discernit hominem sine homine*: & paulò post addit, *hominem se discernere sua voluntate*. Audis Deum causam esse principalem fidei, at non totalem? & hominem sese sua voluntate discernere, cum tamen Apostolus dicat *Quis te discernit*, hanc laudem soli Deo tribuens? Et de duobus æqualiter vocatis, cur hic sequatur alter renuat, causam esse in vno liberum arbitrium, in altero gratiam quidem, sed cuius vsus pendet à libero arbitrio, penes quod sit gratia vti vel non vti? Ita vt ibi quidem liberum arbitrium causa sit totalis incredulitatis, hic verò causa sit partialis fidei & conuersionis? vt iam homo habeat de quo possit gloriari: & ipse se discernat: & salus sit *volentis & currentis hominis, & miserentis Dei.*

XXVI. Ergo stat immotum illud Pauli ad Titum cap. 1. *immundis & infidelibus nihil est mundum, sed pollu-*

*ta est eorum mens & conscientia.* Loquitur autem non tantum de cibis sed & de ciborum vsu, qui purus est pro puritate conscientiæ: nequis putet de puritate ciborum hîc agi, non verò de puritate actionum.

XXVII. Denique omnes Christianæ virtutes, fides, charitas, &c. vel insunt nobis naturà, vel sunt vsu & studio acquisitæ: vel sunt à Deo inditæ & creatæ in cordibus nostris. Esse naturaliter insitas ne Pelagius quidem dicere audeat. Non esse vsu acquisitas & studio, euincit exemplum latronis qui vno momento absque vsu & exercitatione fidem adeptus est. Superest ergo vt à Deo sint inditæ, fidemq; esse ex mero Dei dono & gratia, non vero ex humano arbitrio.

---

*Excutiuntur rationes Arminianorum quibus astruunt liberum arbitrium in homine irregenito circa spiritualia & pertinentia ad salutem.*

CAP. XXXIV.

I. IN doctrinam Orthodoxæ Ecclesiæ, quæ hominem irregenitum omni libero arbitrio in negotio salutis exuit, fultam Dei verbo & sensu ipso ac experientia comprobatam Arminiani magni conatu insurgunt, & libero arbitrio in irregenitis patrocinantur.

II. Obijciunt & nullibi non ingerunt illud Pauli ad Romanos 2.14. *Gentes quæ legem non habent, naturà quæ legis sunt faciunt.* Respondeo lege pręcipi amare Deum ex toto corde & viribus, quod fieri non potest nisi

omnes actiones tuas dirigas ad eius gloriam, & nisi fide sis præditus, quia quod sine fide fit peccatum est: Ad harum regularum amussim quicũque exiget Ethnicorum virtutes, comperiet in honestissimis eorum factis multa desiderari, & plus inesse peccati. Hinc patet, gentes opere quidem externo facere quæ sunt legis: nec verba Pauli vlterius extendi. Forma vero recti operis, quæ posita est in intrinseca conuenientia cordis cum Dei lege, ab infidelibus & Ethnicis semper abfuit. Aliud est facere quæ sunt legis, aliud implere legem: Illud est quod ad materiam operis externam legi obsequi: hoc vero est legi morem gerere eo modo & eo animo, & in eum finem qui verbo Dei iubetur.

III. Spargunt minutula quædam: veluti Esaiæ 55. v. 1. Inuitari a Deo sitientes: id est cupidos reconciliationis cum Deo & salutis. Et Matth. 11. vocari onustos. *Venite ad me qui fatigati estis & onusti*. Per onustos autem pressi conscientia peccatorum, & gementes sub pondere designantur. Ergo, inquiunt, iam erant cupidi salutis, & conscientia peccatorum pressi antequam vocarentur, regeneratio autem est vocatione posterior: Ac proinde in irregenitis potest esse dolor salutaris, & cupiditas remissionis peccatorum. Ego vero pertendo istos sitientes & onustos, non esse irregenitos. Nam illa ipsa cupiditas salutis & gratiæ Dei, & gemitus cõscientiæ anhelantis sub pondere peccatorum, per quem ad Christum confugere compellimur, pars est quędam regenerationis. Et initialis ille timor, (si quidem Deo gratus est) effectus est Spiritus sancti pungentis præcordia. Quid enim obstat quo minus qui

ſitit gratiam Dei iam eam leuiter guſtauerit, & quaſi primoribus labris libauerit? Quid obſtat quo minus qui ad Chriſtũ iubetur venire iam ſe moueat, & quamuis lento paſſu, incipiat tamen progredi? An quotieſcunque Chriſtus iubet in ſe credi ſolos non credentes alloquitur? Immo vero hæc exhortatio ad credendum & ad veniendum ad ſe, ad eos præcipuè pertinet quorum fides naſcens & debilis cum carnis dubitationibus luctatur.

IV. Familiare eſt Arminianis citare verba Chriſti Ioh. 7.17. *Si quis voluerit exequi voluntatem eius qui miſit me, cognoſcet de doctrina, an ego à me ipſe loquar.* Hinc volunt effici aliquem poſſe exequi Dei voluntatem antequam Chriſtum eiuſq; doctrinam cognoſcat. Hoc quidem eſt illudere ſcripturæ & eam torquere ad libitum. Sic enim agunt quaſi Chriſtus dixiſſet, *Qui voluerit exequi Dei mandata, poſtea cognoſcet de doctrina an ſit à Deo,* &c. Tũ per *exequi volũtatem Dei* intelligũt, agnoſcere ſua peccata, Deum timere ſeruili metu, optare ſeriò gratiam Dei & remiſſionem peccatorum: facere quæ ſunt legis &c. Falſa omnia. Nam exequi voluntatem Dei hoc loco nihil eſt aliud quàm Chriſto loquenti credere: hoc enim ipſum eſt quod Chriſtus ſubinde inculcat, hanc eſſe voluntatem Patris vt credamus in Filium: cui loquenti ſi quis credit, eo ipſo cognoſcit eius doctrinam eſſe cœleſtem & diuinam. Quapropter non exiſtimandum eſt prius fieri voluntatem Dei quam eius Filio credatur: Sic etſi verum eſt eum qui mouetur viuere, non tamen inde ſequitur motum eſſe aliquid prius vitâ: ſic ex eo quod Chriſtus dicit.

*quisquis voluerit exequi voluntatem Patris, cognoscet meam doctrinam esse ex Deo*, non sequitur prius fieri voluntatem Patris quam cognoscatur eius doctrinam esse à Deo. Si tamen hic vllus ordo est temporis, oportet prius cognoscatur doctrinam Christi esse à Deo quàm ei credatur, & mos geratur loquenti. Nemo enim credit nisi quod aliquatenus cognouit. Hunc ordinem sequitur Christus Ioh. 17. 8. *Cognouerunt me à te exiuisse, & crediderunt me à te missum esse.* Et cap. 14. v. 17. *dicit Spiritum veritatis non recipi à mundo quia mundus eum non cognoscit.* Prius est ergo cognoscere quam recipere.

V. Nihilo meliora sunt quæ subdit Arnoldus p. 409. *Initium sapientiæ timor Domini.* Prou. 1. Et *Secretum Domini timentibus ipsum reuelat.* Ps. 25. Ego vero pernego timorem Dei de quo hic agittur posse irregenitis & infidelibus conuenire. Solomon dicit timorem Domini esse CAPVT sapientiæ, id est summam, & id in quo præcipue sapientia consistit, hoc enim vox Hebraïca *Reshith* apertè denotat. Timentes vero Deum quibus secretum suum reuelat non sunt irregeniti, sed verè pii quibus largitur in dies incrementa sapientiæ & veræ cognitionis Dei.

VI. In eundem finem Arnoldus pag. 397. affert Psalmi 51. verba, *Sacrificium gratum Deo est contribulatus spiritus*: & Ps. 66. *Deus in contrito spiritu vult habitare*: hæc de homine irregenito, sed qui confitetur peccata, dolet, habet initialem timorem &c. Arnoldus dici existimat: Sed aut fallit aut fallitur. Ibi enim Dauid prolixa confessione sua peccata lamentatus, hac spe se so-

rationem & ea quæ fiunt post regenerationem quod illa sunt imperfecta, hæc perfecta. Nempe hæ sunt duæ illæ species meritorum quibus Pontificiæ Scholæ perstrepunt, merita de congruo, & merita de condigno, sed interpolata & alijs nominibus vestita. Notabit igitur lector Arminianos ponere in homine regenito perfecta opera & perfectum amorem Dei. Sentiunt enim, *regenitos posse per Spiritum Christi ita secundum legem istam vitam suam conformare vt ad eum obedientiæ gradum perueniant quem Deus ab illis requirit.* Hæc sunt Arnoldi verba pag. 492. Et pag. 399. post Arminium, dicit duplicem esse Spiritum : vnum qui regenerationem præparat & ad illam tendit, qui est spiritus seruitutis ad metum , alterum qui regenerat & regenerationem PERFICIT. Arminius Resp. ad 31. Articulum pag. 164. & 165. *Non repugno isti sententiæ Augustini qua statuit hominem sine peccato esse posse in hac vita.* Præfidenter id quidem: Meliores ergo Arminiani Apostolo Iacobo sic loquente cap. 3. *in multis labimur omnes*: quo dicto se quoq; ijs accenset qui in multis labuntur. Meliores Iohanne cuius hæc est confessio Epist. 1. cap. 1. *Si dixerimus nos peccatum non habere nos ipsos fallimus & veritas in nobis non est.* Meliores denique omnibus Apostolis qui quotidie dicebant, *Remitte nobis debita nostra.* Nec sanè mirandum est si Arminiani censent regenitos posse implere legem , cum etiam statuant legem naturæ posse impleri ab Ethnicis & irregenitis: lex autem naturæ est ea cui Adám ante lapsum erat obnoxius : quæ obligatio ad posteros transijt. Hæc lex vetat mentiri : at scriptura quæ non

est mendax dicit omnem hominem esse mẽdacem. Eadem lex iubet Deum amari toto pectore & viribus: quod quonam modo posset præstari ab irregenitis, cum ne à regenitis quidem vnquam præstitum fuerit? Quod viuus nunquam præstitit quomodo præstaretur à mortuo? Deniq; actum est de religione Christiana, & aliud cudendum erit Euangelium, si prodigiosa hæc doctrina admittitur.

IX. Sed vt ad duplicem illum Dei Spiritum veniamus, Arminius & post eum Arnoldus p. 399. duos Spiritus comminiscuntur, aut potius duos actus eiusdem Spiritus: Horum spirituum alterũ volunt esse omnibus hominibus communem, etiam irregenitis, immo & Ethnicis, ad quos Euangelium non peruenit, per quem spiritum Deũ agere in omnibus hominibus, & in nullo otiosum esse existimãt. Hic est ille spiritus quem vocãt spiritum seruitutis de quo Rom. 8. vers. 15. qui opponitur ibidem spiritui adoptionis qui veris fidelibus peculiaris est. Hunc spiritum seruitutis Arminiani volunt in lege esse efficacem, non modo in lege scripta, sed etiam in ea quæ naturaliter cordibus impressa est. Per hunc spiritum censent homines irregenitos metu salutari contremiscere, peccata agnoscere & confiteri, gratiam Dei implorare, obsequio legis naturæ incumbere, has esse præparationes & dispositiones ad regenerationem, si modo liberum arbitrium velit vti grata vniuersali & sufficiente quæ omnibus hominibus communis est. Hæc sunt scita nouæ sectæ, multis ambagibus perplexa, & ad subtilitatis limam tenuata.

X. Ego vero in sacra scriptura inuenio Spiritum

adoptionis, primitias spiritus, spiritum sanctificationis; Spiritum vero Dei affixum legi, omnibus hominibus communem, nusquam inuenio. Nec potest Spiritus Dei agens in cordibus, à cognitione Christi sine summo scelere diuelli. Nec video quomodo in ijs quos Paulus Ephes. 2. dicit mortuos in peccato, remotos à vita Dei, & sine Deo in mundo, possit aut aliqua vita spiritualis, aut Spiritus Dei inhabitans corda & salutariter afficiens agnosci. Nunquam profecto Apostolus legem separatã ab Euangelio vocauisset literam occidentem, nec eã opposuisset Spiritui, si Spiritus Dei semper esset legi adiunctus, aut si Spiritus Dei sine Euangelij notitia in cordibus operaretur, & eos ad conuersionem & fidem disponeret. Nec lex est pædagogus ad Christum, nisi postquam gratia Christi nobis oblata est: tunc enim lex ad gratiam annũtiatam amplectendam terrore minisq; compellit.

*2. Cor. 3. v. 6. Ministri noui testamenti nõ literæ sed spiritus: nam litera occidit, at spiritus viuificat.*

XI. Illud verò longè grauissimum quod premunt Arminiani, nec effari audent, nempe spiritũ Sanctum inesse naturaliter omni homini. Nam si spiritus Dei in lege semper est efficax, lex autem naturaliter omni homini insculpta est, necesse est spiritus Dei naturaliter insit omni homini: Et sic concident, immo erũt ridicula quæcunque habet scriptura de altera natiuiuitate per spiritum, de creatione noui hominis, & de resurrectione spirituali. Nam quid opus est infundere nouum spiritum ad regenerationem, si iam idem spiritus Dei habitabat in cordibus irregenitorum?

XII. Locum vero Pauli Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis rursus ad metum*, perperam & inuito

Apostolo huc trahũt. Paulus enim Spiritum Dei nunquam vocauit Spiritum seruitutis, sic enim fuisset contumeliosus in Spiritum Dei; sed tantùm dicit Spiritum qui ipsis datus est non esse seruilem, & qui trepidatione seruili corda percellat. Nam *Vbi Spiritus Domini ibi libertas* 2. Cor. 3. An si dicerem, nos non accepisse à Deo spiritum mendacij, idcirco dicerem aliquem Dei spiritum ad mendacium impellere? An Spiritus Dei ipse sibi est contrarius? vt alius Dei spiritus, spiritus seruitutis, alius libertatis appelletur? Planus ergo & simplex sensus verborum Apostoli hic est: *Spiritum Dei accepistis, non quidem qui conscientias vestras perterrefaciat timore seruili, qui vos habebat suspensos & anxios antequam Dei gratia & adoptio per Christum vobis reuelata esset &c.*

XIII. Non mediocriter autem allucinantur qui metum & terrorem quem lex destituta Spiritu regenerationis & cognitione Christi cordibus incutit ponunt inter effecta Spiritus Dei. Lex enim ita recepta potest transisper cohibere furentes affectus metu pœnæ, & formare hominem ad externam quãdam obedientiam: at nunquam purgabit internas sordes, aut guttam vllam instillabit veræ pœnitentiæ: quinimo potius irritabit cupiditates ex obsistentia: vt est insitum omni homini niti in vetitum, & vbicunque proposita est spes impunitatis, ruptis repagulis tantò impotentius lasciuire quantò arctiori fræno cohibebatur. Hoc nempe est quod vult Apostolus ad Rom. 7. vers. 5. & 8. *Affectiones peccatorum per legem ipsam vigere in membris nostris, & peccatum occasione*

*ſumpta, per ipſum mandatum gignere cupiditatem.* Idque donec *lex Spiritus vitæ qui eſt in Chriſto Ieſu liberet nos à lege peccati & mortis*; vt dicitur cap. 8. verſ. 2. id eſt donec potens efficacia ſpiritus viuificantis quem habemus à Chriſto nos eximat à ſeruitute illa peccati mortiferi.

XIV. Leuiculum eſt quod obijciunt, corruptionem hominis irregeniti comparari ſomno, & vlceri. Fateor comparari ſomno, ſed lethali, & à quo homo ſeſe nequit expergefacere: vlcus autem & liuor de quo Eſaiæ 53. & 1. Petri cap. 2. non ipſa peccata ſed pœnas ſignificat. Ergo nihil hoc ad reliquias vitæ ſpiritualis in irregenito.

---

*Soluuntur obiectiones quas Arminiani à Pelagianis & Pontificiis mutuantur. An homo irregenitus neceſſario peccet: & an neceſſitas excuſet peccantem. Et an Deus iubeat quæ non poſſunt ab homine præſtari.*

## CAP. XXXV.

I. HIs ſpinis auulſis quæ aditum obſtruebant, veniendum eſt ad declamationes potius quam ad argumẽta quibus cauſam noſtram odioſè prægrauant. Dicunt per noſtram doctrinam hominem irregenitum nihil niſi peccare, & neceſſariò peccare. Non eſſe peccatum quod neceſſariò fit, & vitari non poteſt. Arminius in Perkinſum pag. 106. *Peccandi neceſſitas & immutabilitas excu-*

*ſat à peccato, & a pœna eximit actus illius patrationem.* Et Arnoldus pag. 388. *Neceſſitas excuſat a peccato.* Fruſtra iuberi ſi impoſſibile eſt obſequi. Deus (inquit Arnoldus pag. 443.) *nihil a nobis exigit ad quod vires ſufficientes non det.* Immo; inquit, *ſi Deus peteret ab homine aliquid, nec daret vires ſufficientes ad obſeruãdum, colligeret vbi non ſparſit.* Eadem ingerit Vorſtius pag. 28. collationis cum Piſcatore.

II. Hanc Pelagianam crambem nobis reponunt ſectarij, & millies eadem occinunt, quæ neceſſe eſt accuratè perpendere, quamuis ad pompam magis & ad perturbanda ingenia debilia hæc iactent quàm quòd ita ſentiant.

οὕτω δὲ καὶ τῷ ἀδίκῳ καὶ τῷ ἀκολάστῳ ἐξ ἀρχῆς μὲν ἐξῆν τοιούτοις μὴ γενέσθαι, διὸ ἑκόντες εἰσί, γενομένοις δὲ οὐκέτι ἔξεστι μὴ εἶναι.

III. Principiò ſtatuimus neceſſitatem peccandi non excuſare à peccato, ſi eſt voluntaria: tum ſi eſt peccantis culpa contracta. Sic Ariſtoteles Ethicorum 3. cap. 7. dicit iniuſtis & intemperantibus initiò licuiſſe talibus non eſſe: ſed poſtquam ſua voluntate tales ſunt facti, non poſſe amplius tales non eſſe: nec ideo tamen excuſari. Quin & dicit probroſum eſſe ſi quis ex ebrietate cæcitatem contraxerit. Quod ſi ita eſt in vitijs corporis, in quæ cum quis vitio ſuo incidit cuperet non incidiſſe, & magno pretio id vellet redemptum: quanto magis in vitijs animi, quæ cum ſunt habitu aut generatione contracta, amantur ab eo qui voluntariè malus eſt? In hoc enim poſita eſt maxima pars morbi, quod vitioſus ámat ſua vitia, nec vult emẽdari. Neceſſitas enim quædam eſt voluntaria, ac proinde libera: nec ſatis eſt talem neceſſitatem dicere eſſe ſpontaneam, cum etiam pecudes ductæ inſtinctu ſponte ſua agantur; & ſine

cognitione: at qui necessariò malus est, non modo sponte est malus, sed & volūtariè, quia cum iudicio & cognitione. Sic Deus necessariò bonus est, sed tamen liberè: & Satan necessario malus est, sed liberrima voluntate: Et Sancti in cœlo liberè boni sunt, & tamen necessariò: neque enim credibile est eos glorificatione libertatem amisisse. Neque vero dici potest Sanctos in cœlo ideo non posse peccare quia nulla ibi est peccādi occasio, nulla tentatio: nam neque Angeli ante lapsum plus habuerunt occasionis peccandi. Ex ipsis Dei donis quibus abundè erant instructi ceperunt occasionem sese plus æquo amandi, & per id segniores facti sunt ad contemplationem Dei, hærentes in admiratione sui, vnde superbia, & ex superbia rebellio. Alio fundamento nitatur oportet necessitas perseuerantiæ sanctorum, nempe electione Dei: qui quos prædestinauit ab æterno & dedit Christo, instruit donis & medijs necessarijs ad perseuerandum in eo statu ad quem sunt destinati. Adde quod certa quædam est visio Dei, ad quam cùm creatura admittitur, necessario transformatur in Dei similitudinem: non secus ac cum speculū ad solē inardescit: De qua visione Ioh. 1. Epist cap. 3. *similes ei erimus quia videbimus eum sicuti est.* Et Psalmo 17. vers. 15. Denique si iniustè punitur qui peccat necessariò, quamuis peccet voluntariè, & peccandi necessitatem sua sibi culpa contraxerit, iniustè quoque cumulabitur bonis & gloria qui non potest peccare, & qui necessariò bonus est; quales esse Angelos, & sanctos in cœlis probauimus.

IV. Quocirca Augustinus pusculis in locis non du-

bitauit dicere inesse homini peccandi necessitatem. Sic disputatione 2. contra Fortunat. *Postquam homo libera voluntate peccauit, nos in necessitatem præcipitati sumus qui ab eius stirpe descendimus.* Et libro de perfectione iustitiæ ratioci. 9. *Quia peccauit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas.* Ab eo dissentit Arminius, cuius hæc sunt verba in Perkinsum pag. 106. *impossibile est vt quod quis liberè facit id necessariò faciat.* Immo pag. 144. audet pronuntiare Deum omni sua omni potentia non posse facere vt quod necessario fit liberè fiat. Huic enim homini vt familiare est fingere leges diuinæ iustitiæ, sic & figere limites Dei omnipotentiæ.

Pag. 106. in Perkinsum. Quod si Deus necessariò bonus est, non vero liberè; vt censet Arminius, & longè præstantius est bonum esse liberè quam non liberè, homo proculdubio erit melior Deo, & subscribendum erit Senecæ blasphemiæ, qui Epistola 53. dicit sapientem antecedere ipsum Deum, quia hic sapiens est naturæ beneficio, at ille suo. Quemadmodum igitur Deus liberè bonus est, & tamen non potest esse non bonus, & Satan necessariò malus est, sed liberè & voluntariè, ita & homo in peccatis mortuus necessariò peccat, attamen voluntariè, eòque liberè.

V. Qua in re tanta est vis veritatis vt incautis frequenter excidat, hanc enim necessitatem peccandi Arnoldus insciens ne an de industria, agnoscit pag. 394. vbi dicit post Arminium, *hominem sub statu peccati nihil quod verè bonum sit posse intelligere, velle, facere: & hinc quidem eum necessariò peccare, nisi Deus gratiosè istam* NECESSITATEM.

Idem habet p. 398.

SITATEM *tollat*. Fatetur ergo ab homine peccari necesſariò antequam Deus neceſſitatem iſtam peccandi tollat: & ab homine peccari neceſſariò, & iam cum peccat liberè. Nam ne quidem ( fatente Arminio ) peccatum eſſet niſi liberè peccaretur: At fortaſsè Arminius & Arnoldus cenſent Deum ab omnibus hominibus tollere peccandi neceſſitatem: audiamus ergo quæ Arnoldus ibidem ſubijcit: *Arminius* ( inquit ) *ſtatuit Deum paratum eſſe quod ad ſeſe tollere iſtam peccandi neceſsitatem*: quibus verbis non obſcurè fatetur Deum eam non tollere ab omnibus, ſed paratum eſſe tollere ſi modo velint, ſed ne tollat ab omnibus per nos ſtare, vt ipſe Arnoldus agnoſcit pag. 398. Idem p. 395. dicit poſt Arminium, *Deum paulatim per gratiā Spiritus ſui liberare iſta peccandi neceſsitate*: non ergo ſtatim tollitur, immo manet perpetuò in illis in quibus Spiritus ſancti gratia aut non operatur aut non præualet. Idem p. 406. agnoſcit ineſſe homini impotentiam reſiſtendi peccato: at hæc impotentia quid aliud eſt quam peccandi neceſſitas?

VI. Quid quod Arminiani dicunt Deum quoſdam irreſiſtibiliter obdurare, vtor enim eorum verbis: At nihil eſt euidentius quam neceſſariò peccari ab eo qui irreſiſtibiliter obduratus eſt: habemus ergo ex confeſſione ſectariorum quoſdam qui peccant neceſſariò, & quos peccandi neceſſitas à peccato non excuſat, quia ſua ſibi culpà hanc neceſſitatem contraxerunt.

VII. Mirum eſt igitur quod Arminiani, alioqui ingenioſi, in hanc feſtucam impegerint, & maluerint Pelagio patrocinari, & ab eo arma mutuari, quàm cedere ſcripturæ & veritatis euidentiæ. Eodem enim

modo disputat Cælestius Pelagianus apud Augustinum libro de perfectione iustitiæ Ratioc. 2. *Iterum* (inquit) *quærendum est: peccatum voluntatis an necessitatis est? Si necessitatis, peccatum non est. Si volūtatis est, vitari potest.* Ergo in Arminio habemus rediuiuum Pelagium.

VIII. Statuimus igitur peccandi necessitatem excusare à peccato, si qui peccat hanc peccandi necessitatem suà culpa non contraxerit. Tum si per necessitatem intelligatur coactio, & vis maior agentis extrinseci, aut necessitas Physica ad vnum determinata à Creatore, destituta cognitione, qualis est inclinatio naralis grauium ad centrum. At necessitas non excusat peccatum, si peccans sibi ipse contraxit peccandi necessitatem: & si sciens & prudens peccat, & ista ad peccandum propensione delectatur.

IX. Illud vero quod dicunt sectarij, non esse pœnæ locum si homo caret libertate arbitrij, admitti potest, si per libertatem arbitrij τὸ ἑκούσιον siue spontaneum intelligatur, Quo sensu multi veterum, precipuè vero ante Augustinum, defendunt libertatem arbitrij: quicunq; enim peccat, sponte peccat. At si per libertatem arbitrij intelligatur τὸ ἰσόῤῥοπον, & inclinatio pariter libera vel ad bonum vel ad malum in ijs quæ pertinent ad fidem & salutem, pertendo hominem dignum esse pœna, quantumuis careat hac libertate. Satis est àd pœnam quod non modo spontè peccat, sed etiam voluntariè, & quod sibi ipse necessitatis peccandi causa est; & quod ipse sibi plaudit & placet in hac necessitate voluntaria.

X. Instant tamen sectarij, & asserunt frustra iuberi

si non est penes nos obsequi: inanes esse exhortationes, promissiones, minas, consilia, si nihil horum potest nec percipi ab homine nec præstari: perinde enim esse ac si surdo caneretur fabula: aut si quis iuberet cæcum videre, aut compeditum currere: aut si quis nuda ossa mortuorum sic compellaret, conuertimini, conuertimini & videte. Vetus hæc est obiectio Pelagianorum, vt videre est apud Augustinum lib. de perfectione iustitiæ, rat. 6. & 11. vbi Cœlestius Pelagianus sic disputat. *Iterum quærendum est vtrum præceptum homini sit sine peccato esse. Aut enim non potest & præceptum non est, aut quia præceptum est potest. Nam cur præciperetur quod fieri omnino non posset?* Et Rat. 11. *Tam certè illa omnia quæ prohibita sunt vitari possunt quàm quæ præcepta sunt perfici. Nam frustra aut prohiberetur aut iuberetur quod vel caueri vel impleri non posset.* Hic quidem purus putus est Arminianismus. Hanc obiectionem Cœlestius sumpserat ex Cicerone, teste Augustino lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 9. vbi dicit Ciceronem dum negatione diuinæ præscientiæ vult homines facere liberos, fecisse sacrilegos.

Collat. Hag. p. 288.

XI. Ad hæc respondeo frustra fore præcepta, minas, consilia &c. si homo careret facultate intelligendi & aliquid volendi aut nolendi sponte & cum ratione ac iudicio. At homo irregenitus præditus est intelligentia, & habet voluntatem quæ suopte impulsu & sponte mouetur, & post præuiam cognitionem ac iudicium practicum. Nec semper verum est frustra dari præcepta quæ non possunt impleri. Sic intemperãs qui cõsuetudine callum obduxit, nec potest sibi tempera-

re à libidine aut crapula, cõsuetudine versa in naturam, sobrietatis tamen & temperantiæ legibus constringitur. Nec dubium est quin diabolus necessariò malus, & inhabilis ad obsequendum Deo, teneatur Deo obsequi, alioqui nequidem peccaret dum Deo aduersatur. Sic à debitore qui grandem pecuniam fœnori sumptam aleà decoxit, non frustra nec iniustè exigitur quod debet, nec per debitoris scelus creditor ius suum potest amittere. Cum ergo homo suà sibi culpa contraxerit impotentiam præstandi quod Deus vult, non frustra nec iniustè Deus ab eo postulat obedientiam quam debet. Non enim æquum est vt peccatum hominis ei prosit, & ideo sit exlex quia ipse se suo scelere corrupit, & sibi attraxit impotentiam soluendi Deo debitum naturale. Quod quidem Deus exigit ab homine considerato non vt peccatore, nec etiã vt iusto, sed simpliciter vt debitore, & quatenus est creatura obnoxia & astricta obedientiæ. Eodem planè modo quo creditor reposcens æs creditum, non considerat debitorem qua pauper est, nec qua diues, sed simpliciter qua debitor. Hoc modo Deus legem ferens considerat hominem: & quando adijcit promissiones & minas legi, dicendo *Fac & viues, & elige bonum vt viuas,* &c. *& facite vobis cor nouum, cur enim moreremini, domus Israel*? Ezech. 18. Fallitur sanè, fallitur quisquis putat Dei præcepta esse mensuram nostrarum virium, cum sint regula officij. Non enim in lege discimus quid possimus, sed quid debeamus: nec quid nunc possimus sed quid olim potuerimus, & quanto iustitiæ culmine per lapsum Adami simus deuoluti.

XII. Hanc ad rem Scriptura validissimas probationes suppeditat. Paulus ad Philip. cap. 2. v. 12. iubet nos cum timore & tremore salutem nostram conficere: mox tamen ne inde putetur hoc à nobis posse præstari quia iubetur, subijcit, *Deus est qui efficit in vobis vt velitis & vt perficiatis pro gratuita sua beneuolentia.* Ezechielis 18. vers. 31. *Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* At ne quis putet hoc esse nostri arbitrij, eiusdem Prophetæ cap. 36. Deus sic loquitur, *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor nouum.* Et Ioëlis 11. *Conuertimini ad me ex toto corde.* At fidelis conuersionem esse diuini muneris agnoscit, Ier. 31. vers. 18. *Conuerte me Domine & conuertar,* Et Threnorum vltimo *Conuerte nos Iehoua, & conuertemur.* Sic Deut. 10. v. 16. Deus sic affatur populum, *Circuncidite præputium cordis vestri.* At cap. 30. vers. 6. declaratur quis istud perficiat, *Dominus Deus tuus circuncidet vobis corda vestra.* Christus iubet in se credi Ioh. 14. vers. 1. Idem tamen dicit neminem posse ad se venire nisi Pater traxerit eum: Ioh. 6. 44. per *venire* autem intelligi credere ipse docet vers. 35. *qui venit ad me mon esuriet, & qui* CREDIT *in me nunquam sitiet.* Et Philip. 1. & Ephes. 2. docemur à Deo esse fidem actumq; credendi. Deniq; scriptura vult homines sudore & labore manuum panem lucrari: nihilo secius tamen iubemur panem quotidianum à Deo petere, quia victus corporis donum Dei est, sed quod dat operanti; Dei enim benedictio non superuenit otio nostro sed labori. Ne multa, nonne Deus perfectam obedientiam postulat ab irregenitis, immo & ab Ethnicis quibus Christus nun-

quam innotuit? Quos tamen si quis diceret posse esse perfectè iustos & prorsus sine peccato, tribueret infidelibus quod ne fideli cuiquam vnquam contigit. Nonne Arminius ipse agnoscit quosdam irresistibiliter indurari, à quibus tamen Deus postulat perfectam obedientiam?


XIII. Nec tamen idcirco Deus incassum iubet, aut inania sunt eius præcepta: Nam Deus iubendo, hortando, minando, afficit hominem sensu peccati. Docet quid homo debeat: quid aliquando potuerit, & vnde exciderit. Tum regulam iustitiæ proponit, ne quis peccatis suis obtendat ignorantiam. Denique verbo suo adiungit spiritus efficaciam, eumque quasi præpilat & acutum reddit ac efficax. Non frustra iubetur compeditus curere, si per illud ipsum mandatum compedes eius soluuntur. Non frustra præcipitur cæco vt videat, si illis ipsis verbis quibus hoc iubetur, aperiuntur cæco oculi. Verba enim Dei id efficiunt in nobis quod iubent à nobis effici. Sic imperāt vt simul operentur, quemadmodum in creatione. Deus iubet quod vult, sed & dat quod iubet: & vtile est homini premi intolerabili pondere legis quæ eius vires excedat, vt oblata in Christo remedia cupidius amplectatur. Præclarè Augustinus in hanc rem libro de correptione & gratia, cap. 3. *O homo in præceptione cognosce quid debeas agere: in correptione cognosce tuo te vitio non habere: in oratione cognosce vnde accipias quod vis habere.* Et libro de spiritu & litera, *Deus legis suæ præcepta non humanis viribus metitur, sed vbi iussit quod rectum est, gratis implendi facultatem dat suis electis.*

XIV. Similia verò quibus vtuntur sectarij ad conflandam nobis inuidiam, planè sunt aliena, nec ad rem. Dicunt frustra obiurgari cæcum quod non videat, etiamsi oculos ipse sibi eruerit, & eũ qui manus ipse sibi amputauit frustra vrgeri ad opus. De cæco respondeo, exemplum hoc parum appositè ab eis adferri, nam nemo cæcus, siue sua culpa sit cæcus siue alienà, tenetur ad videndum: at qui factus est improbus sua culpa, & impotens Deo obsequi, tenetur tamen ei obsequi: functiones naturales vbi cessauerint nemo tenetur eas exercere: at obligatio qua creatura suo Creatori astringitur nulla occasione, multo minus scelere hominis potest expungi. Quid quod si cæcus aliquis mallet cæcus esse quam videns, & respueret oblata remedia, merito obiurgaretur? Talis est hominis conditio in statu peccati, nam non solum necessario malus est, sed ne quidem vult esse bonus, & sua prauitate delectatur.

XV. Iisdem vitijs laborat simile eius qui vltro sibi manus amputauit. Quibus hoc addendum est, quod manus possunt amputari; at voluntas quæ hic per manus designatur amputari nõ potest: pessimus enim quisque præditus est voluntate qua semper tenetur Deum colere & amare, quantuncunq; eam corruperit. Deniq; similia rerum naturalium & ciuilium vt plurimum ad moralia & ad religionem perincommodè & absurdè trahuntur. Pari ratione diluitur simile ridiculum hominis alloquentis ossa nuda: Non enim tenentur hæc ossa se mouere: at homo irregenitus tenetur credere & obsequi.

XVI. Arnoldus pag. 136. hæc habet, *Videmus* (in-

quit) *Scripturam ſæpe dicere eum qui credit & conuertitur ſe ipſum à malo ſeparare, purgare, viuificare, ſanctificare, ſaluare, circuncidere, cor nouum ſibi facere, hominem nouum induere*, &c. vnde colligit poſſe etiam dici hominem ſe ipſum diſcernere, vtcunq; Paulus dicat, *Quis te diſcernit*, ſupple, *niſi Deus?* Loca vero quibus hoc probat notata in margine hæc ſunt. Ezech. 18. 31. *Facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum.* Iacob. 1. verſ. 27. *Religio pura eſt ſeruare ſe impollutum ab hoc mundo.* 1. Petri 1. verſ. 22. *iubemur purificare animas noſtras*, & 2. Tim. 2. 21. *Si quis ſe purificat vas erit ſanctificatum ad honorem* Luc 17. 33. *Quicunque perdet animam viuificabit eam.* Deuter. 10. 16. *Circuncidite præputium cordis veſtri.* Quæ loca omnia ſunt extra rem, non enim dicunt id quod Arnoldus eis affingit, nempe hæc à nobis fieri, ſed tantum iubent vt fiant: & miror quomodo homini acris ingenij & acuti tanta ſupinitas obrepſerit. Immo ſi hæc loca dicerēt hominem ſibi ipſi dare cor nouum, ſe ipſum ſanctificare & viuificare ac ſaluare, non inde fieret hæc fieri noſtro libero arbitrio; familiare enim eſt ſcripturæ dicere ea à nobis fieri quæ Deus per nos facit: Sic homo aperit Deo pulſanti Apoc. 2. 20. Sic Apoſtoli ſuſcitabant mortuos: Sic paſtores remittunt peccata Matth. 18. Ioh. 21. Sic ſaluant animas 1. Tim. 4. 16. cum tamen ſine ſcelere non poſſint arrogare ſibi titulum Seruatorum animarum.



*De Vocatione externa & interna, & an vna possit esse sine altera.*

## Cap. XXXVI.

I. Vamvis Dei opera quæ circumquaque oculis nostris obuersantur abundè testentur, & penè inuitis ingerant potentiam Dei infinitam, bonitatem & sapientiam: sublustris tamen est hæc lux & tenebris propior, præ luce verbi Dei, quo Deus non modo nobis fidem facit de sua omnipotentia & maiestāte, ac prouidentia, sed & nobis reuelat suam voluntatem. Enimuero contemplatio creaturarum non tāgit homines sensu peccati, nec indicat homini viam salutis & reconciliationis cum Deo. Quinimo nulla potest esse salutaris contemplatio naturæ, nisi verbo Dei quasi specillis admotis distincta nobis appareant, quæ in dubia luce & exolescentibus characteribus ægre legebantur. Tum demum cœlum vt vestibulum paternæ domus filialibus oculis contemplamur, postquam Deus verbo suo a mentibus nostris caliginem dispulit, & paterni sui amoris certa monstrauit indicia.

II. Porro etsi cognitio creaturarum non sufficit ad salutem, gentes tamen quæ nullo alio quam na-

turæ magisterio instituuntur in eo sunt inexcusabiles, quod non vtuntur his, quantumlibet paruis adminiculis, quo vsq; possunt: & quod naturales σωτηρίας & scincillas honestatis & æquitatis ipsis naturaliter inditas suffocare aut deprauare conantur. Quapropter ij demum sub creaturis magistris ad pietatem proficiunt, & conscientiæ aculeis ad Dei mitum excitantur, quos Deus verbi sui prærogatiua dignatus est.

III. Non tamen ij omnes quorum aures pulsantur verbi præconio perueniunt ad salutem: sed ij demum in quibus prædicatio Euangelij altè sedens & penitus admissa immutauit eorum corda, & mentem cęlesti luce perfudit. Et hi quidem salutares effectus non debentur eloquētiæ humanæ ad persuadēdum cōparatæ, sed occultæ efficaciæ Spiritus sancti, qui verus est doctor animarū, & digitus ille Dei insculpens legem Dei tabulis lapideis cordium. Inde est quod Euāgelium gladius δίστομος & malleus frangens lapidem, & brachium Dei, & potentia Dei ad salutem in Scriptura appellatur. Sine qua Spiritus sancti efficacia, prædicatio est litera mortua, & sonus incassum aures feriens, ad id tantum efficax vt grauior sit auditoris contumacis & rebellis condemnatio.

Hinc oritur duplex vocatio, altera externa, quę fit promulgatione externa Euangelij: alia interna quę fit attractione potenti & immutatione cordis per Spiritum sanctum, per quem verbum fit efficax. Hæc interior immutatio constat duabus partibus, illu-

ſtratione mentis, & immutatione voluntatis: quarum hæc quidem eſt poſterior tempore ſed potior dignitate: vſque adeo vt illuſtratio mentis ſine renouatione cordis cedat in maiorem condemnationem Hæc interior immutatio, in Scripturis, conuerſio, regeneratio, noua natiuitas, creatio, & reſurrectio nuncupatur.

IV. Hic vero nobis res eſt cùm Arminianis, & non mediocris controuerſia. Statuunt enim, verbum quandocunque & apud quoſcumque prædicetur, nunquam deſtitutum eſſe ſua virtute viuifica, nec quenquam extrinſecus vocari quin trahatur intrinſecus: Ideoque diſtinctionem illam vocationis in externam & internam aſpernantur. Verba Arminij in Perkinſum p.57. hęc ſunt. *Verbũ eſt inutile extra Spiritum ſanctum, quare iunctam ſibi ſemper habet Sp. ſancti cooperationem.* Idque dicit, immemor eorũ quę paulo ante dixerat: vbi loquens de verbo & cooperatione Spiritus ſancti dicit, *hæc duo penè ſemper coniungi*: non ergo ſemper. Nec diffitetur Arnoldus Arminium in eo hæſitaſſe. Sic enim loquitur p. 432. *dubitari poteſt an Arminius ſenſerit ſemper & erga omnes auxilium internum ſpiritus iunctum eſſe externo præconio* Sed quod Magiſter timidè & dubitabundus dixit, id ab eius diſcipulis apertè & ſine circuitione affirmatur. Arnoldus enim cap. 4. Arminium vult trahere in hanc ſententiam; *vocationem externam nemini contingere ſine interna* & pag. 433. *Sentẽtia Arminij eſt Spiritus ſancti efficaciam adeſſe omnibus qui primò vocantur.* Arminiani in epiſtola aduerſus Valachrianos pag. 46. in

eo multi sunt vt doceant, *in iis ipsis qui non conuertuntur verbum Spiritu viuifico non esse destitutum* Hanc vim viuificam annexam esse non modo prædicationi Euangelij sed etiam legis docet Arnoldus pag. 464. & hanc mutationem fieri à Spiritu per verbum legis *præparatorie*, per verbũ Euangelij *consummatoriè, idque ita vt homo illum sensum non poßit non recipere, eoque non affici, & ad hanc actionem Spiritus planè paßiuè se habeat* Ex quo sensu vult spiritum elicere assensum, salua tamen libertate voluntatis. Hunc Spiritum sanctum operantem in cordibus per cognitionem legis ponit Arnoldus etiam in infidelibus & non regenitis: qui etsi non sit Spiritus regenerationis, tamen ad regenerationem disponit.

V. Hæc doctrina pugnat non modo cum sacra Scriptura, sed etiam cum experientia & sensu communi. Videmus enim multos verbi auditores, nihilo plus affici prędicatione, quàm si surdis occinirentur documenta; quorum animus aliò peregrinatur, nec vnquem redit: tanto stupore hebetes vt nullum gustum habeant Euangelij nullum sensum nec assensum: quamuis ad cætera non tardi. Quin & plurimi sunt qui vt primùm audiuerunt Euangelium, excipiunt illud sannis & multo risu quasi rem absurdã: vt Athenienses Act. 13. 32. Christus enim prædicatus *scandalum est Iudæis stultitia Græcis*: quia illi offenduntur, hi rident. Vidi qui rogati quid ex prædicatione retulissent, mandassentque memoriæ, seriò respondebant se ne quidem potuisse discernere Gallicène an Latinè concionator esset locutus.

VI. In talibus, immò & in infidelibus sola lege imbutis, Arminiani volunt spiritum Dei operari, & eis necessario & ( vt loquuntur ) irresistibiliter, dare sensum veræ doctrinæ, etsi non dat assensum nisi ope liberi arbitrij. Multò magis igitur in Arminiana plebe nemo erit qui non trahatur Spiritu sancto, & qui non sentiat in se spiritum viuificantem. Hæc μετεωρολογία à fanatico Anabaptistarum enthusiasmo non multum distat, nisi quod Anabaptistæ volunt sensum illum suis esse peculiarem. At Nouatores volunt communem esse fidelibus & infidelibus: denique omnibus quibus annuntiatur Euangelium vel lex sine Enangelio.

VII. Loca Scriptura ad euertendam hanc hæresim cógerere nihil attinet. Huc enim pertinent loca omnia quæ capite 34. attulimus ad probandum hominem irregenitum & infidelem inhabilem esse ad omne opus bonum, & vtile ad salutem, quæ omnia falsa essent si in infidelibus & irregenitis inhabitaret vis viuifica Spiritus sancti, & si omnes homines traherentur intrinsecus, & vocatione interna.

VIII. Huc faciunt loca quæ docent eos demum venire ad Christum quos pater trahit: Ioh. 6. v. 44. At iuxta Arminium omnes trahuntur, & intrinsecus afficiuntur à Spiritu sancto. *Vt ventus spirat quocunque vult ita & spiritus* Ioh. 3. v. 8. non ergo spirat vbique. In turba populi, Lydiæ præ cæteris cor Deus aperit. In consternatione Apostolorum latro credit inter furentis populi clamores & tot impedimenta credendi. Vna Christi vocula Matthæum permouit vt

telonio relicto Christum sequeretur: cum Capernaitæ inter tot miracula & documenta, occalluerint ad Euangelij præconium. Vnde apparet quosdam tractos esse spiritus efficacia, quosdam relictos in prauitate naturali. Vnde hoc discrimē? Si ad dignitatem respicitur, ecquis inter homines irregenitos nō est indignus gratia Dei, cum omnes sint corde lapideo, & in peccatis mortui? Si verò ad præcedentē dispositionem, cur Capernaitæ potius sunt vocati per Euangelium quam Tyrij, cum Christus testetur Capernaitas pius fuisse affectos & minus propensos ad pœnitentiam?

IX. Arnoldus pag. 445. contendit ideo cor Lydiæ apertum fuisse quia bene erat affecta & disposita, & ideo Deum cor eius aperuisse quia ipsa sibi aperuit. Ibidem enim vocari σεβομένην τὸν θεὸν Dei cultui addicam, antequam Paulo credidisset. Possem dicere plurimos Deum colere prauo cultu & illegitimo. Sed pronior sum in hanc sententiam vt credam Lydiam Iudaicam feminam ante prædicationem Pauli præditam fuisse spiritu regenerationis, & veram pietatem imbibisse, & in Messiam promissum credidisse, quamuis Iesum Mariæ filium esse Christum adhuc ignoraret, quia ei nondum annuntiatus fuerat. Talis Eunuchus ille Candaces & Cornelius qui εὐσεβὴς vocatur Act. 10. & cuius orationes ac eleemosynæ pietasque laudantur, antequam de Christo quicquam inaudiuisset: hi erant de illis qui vt ait Lucas cap. 2. v. 25. *expectabant consolationem Israëlis*: quos nefas puto aggregare infidelibus, aut cæteris Iudæis

qui in Christum blasphemabant & loquentem aspernabantur. Cum ergo talis esset Lydia, Deus eius cor aperuit vt attenderet ad verba Pauli, & ab eo disceret, Christum quem expectabat iam aduenisse: & impleta esse quæ de eo à Prophetis sunt prænuntiata.

X. Aduersus hæc Arminiani afferunt argumenta quædam, sed ita leuia vt solo halitu difflentur. Arminius in Perkinsum p. 57. dicit Stephanum Actorum 7. v. 51. exprobrare Iudæis eos semper Spiritui sancto obniti. Hinc vir acutus colligit hos Iudæos rebelles affectos fuisse intrinsecus Spiritu sancto. Sed sequentia verba demonstrant quid sit resistere Spiritui sancto, addit enim Stephanus, *quem Prophetarum non sunt persequuti patres vestri?* Nimirum persequi prophetas loquentes afflatu Spiritus sancti, & Spiritui loquenti per eorum ora obniti, hoc verè erat resistere Spiritui sancto.

XI. Fateor esse quosdam qui contumelia afficiunt spiritum gratiæ, de quibus loquitur Apostolus ad Hebr. cap 10. v. 29. & qui internæ suggestioni Spiritus sancti reluctantur. Sed ibi Apostolus loquitur de paucis quibusdam qui amplexi Euangelium cum gaudio, & accepto aliquo gustu verbi Dei, mox obstinato animo & data opera Deo terga vertunt, & gratiam cum indignatione expuunt, & *vltro peccant post acceptam cognitionem veritatis*, vt dicitur vers. 26. Quos esse eosdem cum iis qui peccant in Spiritum sanctum hinc apparet, quod Apostolus ibidem eorum salutem dicit esse conclamatam, & negat *pro*

*eorum peccatis vllam reliquam eſſe hoſtiam*, aut ſpem reconciliationis vllam ſupereſſe. Sed hoc conuenit pauciſſimis quibuſdam, non verò omnibus quibus vel lex ſola vel Euangelium cum lege innotuit, quos omnes introrſum agi à Spiritu ſancto, & ſenſum veræ doctrinæ eis imprimi docent ſectarij. Neque puto dona Spiritus quæ iſtiuſmodi homines acceperũt, eſſe dona regenerationis, aut ſpiritum adoptionis, aut veram ac germanam fidem ac iuſtificantem, ſed tentamenta quædam Spiritus pulſantis præcordia: ad cuius ſuggeſtionem voluntas leui quodam æſtu calefacta magis quàm accenſa tantiſper adhæſit Euangelio, donec torpentes appetitus ſentientes ſibi bellum indici, maiori ſe conatu erexerunt, & pietatem ἐπιπολάζουσαν, corde excuſſam verterunt in odium: & per ipſa pietatis incitamenta occultum virus vehementius erupit.

XII. Arminius ibidem nutantem cauſam loco Eſaiæ quaſi tibicine ſuffulcit, Eſaias cap. 55. v. 11. hæc habet. *Sic erit verbum meum quod egredietur ex ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quod volo & proſperabitur in his ad quæ miſi ipſum.* Hoc nimirum eſt acu rem tangere. Mens Eſaiæ plana eſt: dicit enim promiſſiones & minas verbo Dei propoſitas executioni mandatas iri, neque quicquam incaſſum eſſe dictum quod non impleatur. De efficacia viuifica Spiritus afficiante corda nulla hic fit mentio: neque ſi fieret hinc poſſet probari Spiritum Dei in omnibus operari, ſed in iis demum quos ſeruare decreuit.

XIII. Arnoldus pag. 443. locorum Scripturæ

nimbum

nimbum effundit quibus ſanè nō probatur id quod intendit. Non Matthæi 23. verſ. 37. *quoties volui congregare liberos tuos*, &c. Nam hos liberos fuiſſe congregatos docuimus cap. 5. Tum ſi non fuiſſent congregati, non ſequeretur tamen eos aliter vocatos quam vocatione externa.

XIV. Non Eſaiæ 65. v. 2. *Expandi manus tota die ad populum deſertorem.* Nec Prou. 1. v. 24. *Vocaui & renuiſtis.* Ibi enim agitur de vocatione externa, non verò de Spiritus efficacia agente in cordibus.

XV. Non Pſalmo 81. v. 14. *O ſi populus meus audiuiſſet, ſi Iſraël in viis meis ambulaſſet quam breui eius inimicos deieciſſem.* Hæc enim verba nihil aliud dicūt quam quod apertè ſonant, nempe Deum proſtraturum fuiſſe hoſtes Iſraëlis, ſi Iſraël Deo morem geſſiſſet. De interna efficacia ſpiritus οὐδὲ γρῦ.

XVI. Non Ezechielis 18. 31. *facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum.* Hoc enim loco non efficitur, hominem ſibi ipſi facere cor nouum. Cum Deus dicat eiuſdem prophetæ cap. 36. *Dabo vobis cor nouum & ſpiritum nouum.* Multò minus hinc efficitur Spiritum ſanctum in omnibus hominibus operari.

XVII. Non Iohan. 5. 34. *Non quæro teſtimonium hominum, ſed hæc dico vt ſeruemini*, & verſu 40. *Non vultis venire ad me vt vitam habeatis.* Quibus verbis quomodo conficiatur Spiritus ſancti vim viuificam operari in cordibus omnium hominum fateor, qui meus eſt ſtupor, me non poſſe capere.

XVIII. Non illis Pauli verbis 1. Tim. 2. verſ. 4. *Deus vult omnes homines ſeruari*: quorum verborum

hunc esse sensum, Deus quoslibet & cuiusque conditionis homines inuitat ad salutem, prolixè probauimus cap. 29.

XIX. Non loco Petri, Ep. 2. cap. 3. v. 9. *Deus non vult vllos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.* Ex hoc enim loco non potest elici Spiritum sanctum intrinsecus operari in omnibus hominibus, etiam in iis quibus Euangelium non est annuntiatum. Sed tantúm, Deum non esse causam perditionis cuiusquam, neque gaudere hominis exitio, qua homo est: Alioqui enim qua idem homo est peccator, Deus amat exequutionem suæ iustitiæ.

XX. Non loco Ezechielis cap. 12. v. 2. *Fili hominis in medio domus rebellis habitas, qui oculos habent ad videndum & non vident, aures habent ad audiendum sed non audiunt*: ibi enim per oculos & aures non est intelligenda gratia sufficiens ad salutem vel mediatè vel immediatè, nec operatio Spiritus sancti agens in reprobis, sed notitia in corde qua agnoscebant vel inuiti, recta esse quæ à prophetis docebantur: quippe tam claris documentis commonefacti, tam seueris minis stimulati, vt non possent ignorationem prætendere. Hanc notitiam illis dabat non gratia supernaturalis intrinsecus agens, non gratia sufficiens omnibus hominibus cõmunis per quam potuerint credere & conuerti si voluissent: sed documẽta Prophetarum & Dei lex cognita & mente percepta, aduersus quam vltro animum obfirmabant.

XXI. Scripturæ ita deprauatæ nihilo meliores rationes adiungit. *Illuderet* (inquit) *Deus hominibus si*

*iis salutem offerret, eorumque salutem se desiderare diceret, quos tamen hoc fine non vocat vt seruentur.* Respondeo, finem Deo propositum in vocandis per legem vel per Euangelium iis quos scit non sequuturos, non esse vt ij quos vocat non seruentur: sed finem Dei esse petere ab homine quod debet, nempe obsequi Deo iubẽti sibi morẽ geri & sibi credi promittenti. Nec dubiũ est quin seriò vocet homines: nam vocãs homines, seriò declarat quid sibi gratum sit, & quid homo debeat, & quid daturus sit credentibus & obsequentibus. At non dicimus cùm Arnoldo Deum teneri restituere homini vires amissas, & mederi impotentiæ hominis quã homo ipse sibi accersiuit. Cęterùm improbæ est audaciæ velle præscribere Deo media quæ nisi sequatur non habiturus sit quo iniustitiæ crimen effugiat: quasi coram humano tribunali causam dicere cogeretur.

XXII. Pergit Arnoldus. *Idem* (inquit) *docet Deus cum expressè ostendit se hac iniqua suspicione nolle grauari quod aliquid à nobis exigat ad quod præstandum vires sufficientes dare non velit.* Mitto inconditum loquendi genus & Deo parum conueniens: cum dicit *Deum iniqua suspicione nolle grauari*, quasi Deus iniquas suspiciones hominũ pertimesceret. Ad rem igitur dico, nefariam esse hanc doctrinam & qua vix vlla deterior: Nam cum Deus etiam ab irregenitis & infidelibus exigat debitum naturale, id est perfectam impletionem legis, ex hac Arnoldi oratione sequitur, ipsis irregenitis & infidelibus non deesse vires per quas sine Christi cognitione & sine fide legem per-

fectè impleant, & sint sine peccato. Ipsi Arminiani dicunt Deum quosdam obdurare irresistibiliter: qui cùm non possint non peccare, ab iis tamen obduratis Deus non minus postulat perfectam obedientiam, quam ante obdurationem: Nulla enim ratione, immo ne pœnis quidem æternis, creatura à subiectione creatoris eximitur. Nec dubium est quin ipsi diaboli in æternis cruciatibus Deum amare teneantur. Nam ob id ipsum puniuntur quia eum non amant. Tum si quis punitur ob præteritam inobedientiam, non idcirco eximitur ab obedientia in futurum debita.

Sed peruersa hæc doctrina quæ ex Dei mandatis colligit quæ sint hominis vires: & censet nihil à Deo iuberi ad quod implendum vires homini non suppetant prolixè confutata est cap. 35.

---

## *DE DISTINCTIONE GRATIAE in sufficientem & efficacem.*

### Cap. XXXVII.

I. TRITA est in scholis distinctio gratiæ in sufficientem & in efficacem. Sed efficax gratia potest bifariam accipi. Vel enim significat gratiam quę apta est ad efficiẽdum: vt cum medicinam efficacem dicimus, & remedium efficax, quod etsi non sumatur ab ægro, aptum est tamen

ad ſanandum. Vel efficax dicimus quod actu efficit: quo ſenſu efficax pro efficiente, & efficacia pro effectu vel pro efficientia vſurpatur. Philoſophi dicunt cauſam efficienté aliam eſſe potentiâ, vt Architectus, & medicus: aliam actu vt ædificans & ſanans. Hinc fluxit gemina illa acceptio efficaciæ.

II. Pontificij ſentiunt omnibus hominibus dari auxilium ſufficiens ad conuerſionem: cui auxilio poſſunt ope liberi ſui arbitrij ſic cooperari vt conuertantur: licet aliud auxilium efficax nullum accedat. Per gratiam autem efficacem intelligunt efficientem & quæ ſuum effectum producit.

III. Arminiani qui in quæſtione gratiæ & liberi arbitrij ſic Papiſmum interpolant, vt Papiſtæ Pelagianiſmum, eandem diſtinctionem gratiæ ſufficientis & efficacis frequenter adhibent. Sed ita fluctuante ſermone, & affectata ambiguitate vt quid ipſis ſit gratia efficax difficile ſit cognoſcere. Arminius in Perkinſum pag. 245. dicit efficacem gratiam eſſe quę efficit re ipſa effectum, & affert hæc exempla. Deum ſufficere multis mundis creandis ſed non id efficaciter facere. Chriſtum ſufficere ad omnes homines ſaluandos non tamen id facere efficaciter. Quæ oratio ſane eſt ἀπαρεγοδιόνυσος & digna riſu. Sic enim loquitur quaſi Deus aliquid faceret non efficaciter: aut quaſi creauiſſet multos mundos inefficaciter. Nempe pro *efficaciter facere* debuerat ſimpliciter dicere, FACERE aut *efficere.*

IV. At Arnoldus vt Tydides melior patre ab Arminio deſciuit. Is enim p. 397. hæc habet. *Efficax eſſe*

*aliquid dicitur non quod aliquid efficit, sed quod admodum ad aliquid faciendum validum est, vti efficax remedium, efficaces rationes.* Sic nempe patroni erroris sunt inter se commissi. Sed mihi hic fas sit Arminio patrocinari aduersus discipulum. Nam accipiendo gratiam efficacem pro ea quæ actu efficit, distinctio gratiæ in sufficientem & efficacem admitti potest, quia multa sunt sufficientis virtutis ad agendum quæ tamen actu nõ efficiũt, vt medicus absens, aut Philosophus dormiens. At dici non potest gratiam aliam esse sufficientem ad efficiendum, aliam aptam ad efficiendum: hæc enim coincidunt: nec quicquam potest dici absurdius quam aliquam gratiam esse sufficientem quæ non sit ad agendum idonea. Non potest esse causa sufficiens quæ non est sufficientis virtutis.

V. Ergo secundùm Arminium media ad fidem & salutem sunt sufficienter omnibus administrata sed non efficaciter seu efficienter. At iuxta Arnoldum media hæc Deus administrat omnibus sufficienter & efficaciter. Maluit enim efficaciam sumere pro aptitudine ad efficiendum, quàm pro efficientia: vt posset dicere efficaciam gratiæ non pendere à libero arbitrio. Nam si efficaciam accepisset pro efficientia, tunc dicendum ei fuisset gratiæ efficaciam pendere à libero arbitrio. Schola enim Arminij hoc mordicus tenet & vno ore clamat effectum seu efficientiam gratiæ pendere ex libero arbitrio. Deum quidem dare gratiam viresque sufficientes ad conuersionem, sed vt homo conuertatur actu vel non conuertatur esse penes liberum arbitrium. Hoc pro-

lixè docet Arnoldus pag. 447. *Statuitur* (inquit) *vsum gratiæ voluntati subijci, vt homo eadem vti poßit vel non vti pro naturali sua libertate.* Et paulo post agens de homine instructo viribus gratiæ, dicit *effectum diuinæ misericordiæ esse in potestate hominis.* Et p. 448. docet si efficacia sumatur pro efficientia, hominem reddere gratiam inefficacem: puduit enim Arnoldum addere alterum membrum, & dicere hominem reddere gratiam efficacem vel inefficacem: quibus tamen verbis æquipollent alia loca à nobis prolata: nec non quod dicit pag. 449. *Homo si ipse sibi non desit se conuertere potest.* Notabit ergo lector quam sit pestilens hæc doctrina, quam Arminiani vix vnquã sine ambagibus pronuntiant quasi pudore cohibiti, *quod gratia Dei sit efficax* (id est efficiens) *id deberi libero arbitrio, & efficientiam gratiæ Dei subijci humanæ voluntati:* Qua oratione hoc volunt, Deum seruare hominem si homo velit, hoc enim pendere ex humana voluntate.

VI. Ab hac doctrina, Ecclesiæ orthodoxæ absunt longissimè. Nam quomodo conuerteremur per gratiam Dei si volumus, cum hoc ipsum quod volumus, sit gratia ipsa Dei, immo ipsa conuersio? Nam quicunque seriò vult conuerti ad Deum, iam aliqua ex parte conuersus est. Sed de his iam multa diximus, capitibus de libero arbitrio, & plura dicentur cum agetur de modo quo gratia Dei in nobis conuersionem certò efficit: quem modum Arminiani odiosa & absona voce irresistibilitatem indigetant.

VII. In voce verò sufficientis gratiæ, non modo inter se dissident, sed etiam vnusquisque secum. Volunt enim omnibus & singulis dari gratiam sufficientem ad credendū, viresque credendi.* Iidem tamen dicunt neminem actu credere & bene vti hac gratia vniuersali, sine gratia speciali. Vestram fidem, an potest gratia sufficiens vocari quę nunquam producit effectum ob quem data est, nisi accedat altera gratia specialis? An causa sufficiens est quæ sola nunquam efficit? Aut quid minus consentaneum rationi quam cum Arminio facere gratiam vnam sufficientem per quam peccator conuerti possit sed non conuertatur, alteram efficacem per quam conuertatur? nonne eiusdem est virtutis & facultatis posse agere & agere? posse videre & videre? Profectò hos homines vertigo corripuit, dum student subtilitati.

*Arn. p. 405. Licet sit generalis gratiæ quod homines donis istis possint rectè vti: tamē quod actu rectè iis vtātur à speciali gratia est. Potentia enim in actū non perducitur nisi per auxilium alterius gratię subsequentis quę specialis est quia non omnibus cōtingit.

VIII. Hoc, ni fallor, Vorstius vidit: ideoque Sectione 20. & 21. Collationis cum Piscatore duo facit genera gratiæ, vnam sufficientem ac planè necessariam quam Deus vocatis omnibus largitur, alteram verò extraordinariam & affluentem ac singularem per quam homines re ipsa conuertuntur: & reiicit eos qui dicunt per priorem illam gratiam nullos omnino conuerti. Neque enim Deum promisisse se omnes quotquot conuertuntur plus quam sufficiente auxilio & exuberante gratiæ efficacitate conuertere velle.

IX. Nos verò vocem gratiæ efficacis accipientes pro apta ad efficiendum id ad quod data & instituta

est,

eſt, nullam gratiam ſufficientem agnoſcimus quæ non ſit efficax, id eſt apta ad efficiendum id ad quod data & inſtituta eſt, ſiue ſola efficiat, ſiue cum aliis. Quod ἐξεπίτηδες adiicio, quia ſæpe ad vnũ ἀποτέλεσμα multę cauſæ concurrunt: vt ad eruditionem, natura, ars & exercitatio: ad fertilitatem agri, tractabilitas ſoli, Sol, pluuia, & cultura conueniens.

X. Cum autem in concurſu cauſarum ad vnum effectum producẽdum ſint quædam cauſæ quę non tantùm agunt cum aliis, ſed quæ inſuper agunt per alias, & cauſis adiunctis dant efficaciam: in conuerſione hominis Spiritus ſanctus & prædicatio verbi concurrunt: ſed Spiritus dat efficaciam verbo. Fruſtra enim pulſantur aures niſi Deus aperiat corda, & verbo occultam vim inſpiret.

XI. Gratiam autem abſolutè ſufficientem vel ad conuerſionem & ad fidem, vel ad ſalutem, ſine Spiritu regenerationis, & cognitione Chriſti nullam agnoſcimus. Arminij ſcholam damnamus docentem omnes homines, immo & Ethnicos ad quos Chriſti nomen non peruenit, gratiâ ſufficiente & ſalutari præditos eſſe ad perueniendum ad fidem, & per hanc ad ſalutem.

XII. Media tamen externa ad ſalutem largiter adminiſtrata, ſine efficacia interna Spiritus ſancti, poſſunt aliquatenus vocari gratia ſufficiens, non modo quia ſufficiũt ad ἀναπολογησίαν, ſed etiam quia hæc media deberent ſufficere ad perueniendum ad ſalutem, ſi homo talis eſſet qualem eſſe oportuit. Nam ſi quid deeſt iſti gratiæ, defectus naſcitur ex

parte eius qui vocatur, non vero ex parte vocantis, qui ex regula iustitiæ non tenetur suppeditare dispositiones internas, quippe quas homo tenetur de suo dare, & ex se afferre: nec Deus eas tenetur homini restituere postquā homo eas culpâ suâ amisit. Meritò ergo Deus Esaiæ 5. *Quid est quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Nam humanitùs loquendo Deus dicitur debere facere quod postulat iustitia, & quod si non faceret videretur causa esse expostulandi. Deum verò ibi agere tantum de externis mediis hinc apparet, quod beneficia in Israëlem collata comparat plantationi in loco vberi, repastinationi, circumpositioni sepis, exossationi, ædificationi torcularis: at de vegetatione arcana, de cœli clementia, de tempestiua pluuia, quę sunt virtutis magis arcanę nulla mentio. Adde quod ad quæstionem qua quæritur an Deus det singulis gratiam sufficientem, parum appositè affertur locus hic ex quinto Esayæ, vbi non agitur de gratia sufficiente quam Deus offert vel dat singulis, sed quam toti genti. Donum enim spiritus viresque credendi quas Arminius vult singulis administrari, donum est quod singulis datur seorsim, non verò toti genti simul sumptæ. Sed de sufficiente ista gratiâ, instituenda est peculiaris tractatio.

### *De vniuersali gratia, quæ & sufficiens, Arminianorum sententia.*

### CAP. XXXVIII.

I. IN serie illa quatuor decretorum quibus Arminiani totam doctrinam de prædestinatione comprehendunt tertium decretum hoc fuit, quo dicunt, Deum decreuisse media ad fidem & resipiscentiam necessaria sufficienter omnibus & singulis administrare. Arnoldus vult hæc media efficaciter omnibus administrari, quia per efficaciam, aptitudinem ad efficiendum intelligit.

II. Non quidem quod sectarij velint media ad fidem & salutem omnibus ex æquo administrari. Volunt enim suppeditari aliis parcius, aliis liberalius: omnibus tamen ea mensura quę sufficiat ad credendum si velint, & per quam omnes ad viuificationem disponuntur, ita vt per Deum non stet quin omnes homines habeant fidem, & credendo seruentur.

III. Censent autem Deum dare irresistibiliter omnibus hominibus * vires credendi: at non ipsum actum credendi: ad quem etsi Deus dat omnibus gratiam sufficientem, volunt tamen esse penes liberum arbitrium vti hac gratia vel non vti, credere vel non credere. Deum enim non suppeditare * hæc

*Arn. p. 407.*

** Arn. p. 356. Dicat Arminius gratiam qua facultas credendi datur quam suis rimis, dicat omnibus communem esse, an proinde negat gratiam esse? Arm. in Perk. 256. & 257.*

*Quanti refutatio tua? quid enim si quis dicat omnes in vniuersum homines habere potentiam credendi & salutem consequendi si velint? & hanc ipsam potentiam esse NATVRAE hominum diminutae*

media sufficientia ex præcisa intentione seruandi aliquas singulares personas. Sed hæc media omnibus & singulis administrare quæ sufficiant ad ostendendum, Deum omnium salutem serio & ex animo desiderare: & per eum non stare quin omnes seruentur.

IV. Addunt, esse quosdam quibus gratia hæc sufficiens parcius administretur, quibus tamen Deus paratus est dare plura media, dummodo his quæ habent bene vtantur: iuxta illud, *Habenti dabitur.* Verba Arminij in Perkinsum hæc sunt pag. 259. & 260. *Gentes dum cognitione Dei destituuntur, non tamen sine testimonio Deus eas reliquit, sed & illo tempore aliquam veritatem de potentia & bonitate sua illis patefecit, legem quoque mentibus insculptam conseruauit, quibus bonis si rectè vsi fuissent, saltem ex conscientia maiorem ipsis gratiam concessurus fuisset, secundum illud, habenti dabitur.* Nec dubitant dicere Gentes cognitione Euangelij destitutas, tam posse peruenire ad bona quæ Euangelio offeruntur, quam ij quibus Euangelium prædicatur. Audiantur verba Arnoldi pag. 105. & 106. quæ legens sanè cohorrui. *Licet* (*inquit*) *multæ nationes ordinario Euangelij præconio destituantur, tales tamen à gratia ipsa Euangelij non esse præcisè exclusas, sed semper bona quæ Euangelio offeruntur, illis ÆQVE manere exposita, atque cæteris qui prædicationis priuilegio fruuntur, modo scilicet conditiones fœderis præstent.* * Proh Dei atque hominum fidem: tantumne licuisse Satanæ, vt in hac luce Euangelij suscitaret homines qui palam docerent & scriberent, idque sub pietatis obtentu, Ethnicis &

*collatam: quo tuo argumēto confutabis illam?*
** Arn. p. 372.*
*Arnol. p. 360. Deus indiscriminatim statuit media ad fidem administrare & p. 372. Etiā Ethnicis ante aduētum Christi media ad fidem in Christum sufficienter & efficaciter administrata & pag. 443. Deus nihil à nobis exigit ad quod vires sufficientes non det.*
*Ibid. Si peteres ab homine aliquid nec dares*

infidelibus quibus Christus ne de nomine quidem notus est, cœli aditum tam patere, & salutem tam esse expositam quam quibus Christus prædicatur? Sed de his postea. Obiter tamẽ obseruandũ est quomodo hic homo posita à se conuellat, & adiectione clausulæ absurdæ & impossibilis destruat quę astruxerat. Dicit enim Ethnicis *non minus esse expositam salutem quam Christianis dummodò impleant conditiones fœderis*: hæ conditiones sunt fides & resipiscentia: At quomodo crederet in Christũ qui Christũ ignorat? quomodo resipisceret cui Deus non dedit spiritum regenerationis? Nempe sic lectori apertè illuditur.

*vires ad obsequendum, colligeret vbi nõ sparsit.*

** His affinia habet Vorstius Collationis cũ Piscatore, Sect. 19 Vvelseri verba hæc sunt libro de Officio hominis Christianis. F. 3.*

V. Quid quod non modò affirmant Deum dare omnibus hominibus gratiam sufficientem viresque credendi, sed etiam pertendunt Deum teneri & astringi ad hanc gratiam dandam, Deoque ipsi leges figunt? vt iam periculum sit ne Deo iniustitiæ dica scribatur, aut ne ei suæ iustitiæ ratio non constet, nisi ex Arminij ludo aliquis eum salutari consilio iuuet. Arnoldus pag. 262. hæc habet. *Deus cum nouum fœdus gratiæ proponit & culpæ admissæ remissionem promittit sub nouæ obedientiæ conditione,* TENETVR MAXIME *vires dare quibus homo conditionem istam possit implere: alias enim non posset iudicari gratiam istam seriò offerre.* Audacter sane, & satis pro imperio. Causam huius assertionis reddit pag. 443. *Deus* (inquit) *ostendit se nolle hac iniqua suspicione grauari quod aliquid à nobis exigat ad quod præstandum vires sufficientes dare nolit.* Hoc verò dicit à Deo ostendi cum docet se non colligere vbi non sparsit.

*Causa huius erroris est quod creditum fuit, nullã salutarẽ & iustificantẽ fidem vnquã fuisse nisi fidem in Christũ. Vide Bertium Discept. Epist. p. 73. & 76.*

VI. Nec minor Vorstij audacia, Collationis cum Piscatore Sect. 8. *Deus* (inquit) *per legem suæ naturæ, hoc est naturalis iustitiæ, bonitatis & prouidentiæ suæ, ea saltem bona hominibus velle semper tenetur, sine quibus isti aut homines esse, aut finem à Deo sibi propositum assequi simpliciter non possunt.* En homines paratos ferre sententiam in Deum ipsum, si quid gesserit præter æquum, aut contra regulam iustitię ab eis positam. Dici non potest quantum hęc absint à Christiana modestia. Profecto, etiam si vera essent quæcunque affirmant, erat tamen piorum atque prudentium hæc premere, ne vel aliquid Deo præscribere in salutis nostræ negotio, vel Deum officij submonere velle videantur.
VII. Duobus falsis principiis nititur hæc doctrina. I. Deum nihil exigere ab homine quod non possit ab homine præstari. II. Conditionem noui fœderis id est fidem, non præcipi lege, nec esse de debito naturali, nec vires credendi amissas esse lapsu Adami. Quorum principiorum prius quidem haustum est ex Pelagiana fæce, & à nobis refutatum est capitibus 34. & 35. Posterius verò euertimus toto capite 11. Lex est debitum naturale hominis. Hæc lex iubens Deum amari & coli, iubet quoque ei loquenti & promittenti credi. Cum ergo peccato Adami homo amiserit vires obsequendi Deo & eum amandi, amisit quoque vires credendi eius promissionibus. Hanc fidem cum Deus exigit ab homine, nihil exigit nisi quod homo debet: viresque credendi amissas non tenetur ei restituere. Nec si nō restituat, potest iniustitiæ accusari: nec hac in re Arminiano-

rum legibus est obnoxius, aut aduersa eorum iudicia pertimescit.

VIII. At cum deuentum est ad explicandam naturam huius gratiæ sufficientis, mirè se produnt, & inueniuntur perexiguo discrimine à Pelagianis distare. Pelagius enim ne videretur aduersus esse gratiæ, quicquid boni operis fit ab homine adscribebat gratiæ: sed per gratiam intelligebat ipsam naturam, quippe quæ à Deo esset condita. At Arminio aliud quidem est natura, aliud gratia sufficiens: Veruntamen gratiam sufficientem vult omnibus & singulis contingere, nullique inesse naturam, quin ei dederit Deus gratiam sufficientem ad fidem adipiscendam, & per fidé, salutem. Vnde fit, vt iuxta Arminium, gratia sufficiens ęque latè pateat ac natura. Pelagius naturam confundit cum gratia, sed Arminius naturam & gratiam sociat, vt nulli insit natura cui non contigerit gratia. Quæ gratia quam paruo discrimine distet à natura hinc apparet, quod Arminiani huius gratiæ rectum vsum, nihil aliud esse volunt quam rectũ vsum lucis naturalis, & cognitionis quæ per creaturarum cótemplationem & per legem naturæ omni homini insitam habetur: vt planè idem sit vsus idemque officium naturæ & gratiæ. Cum potius scriptura doceat verum vsum gratię positum esse in immutatione naturæ. Hæc si vera sunt, planè concidunt omnia veterum & nostrorum argumenta quibus per scripturam & per experientiam probant gratiam Dei esse aliquid diuersum à natura, idque quia natura datur omnibus, gratia verò Dei

eſt priuilegium quorundam. Arminius enim gratiam ſufficientem ad fidem & per id ad ſalutem vult omnibus eſſe communem.

IX. Arnoldus pag. 418. gratiam illam ſufficientem quæ omnibus datur vocat gratiam ſupernaturalem, ne videatur eam confundere cum natura, mox tamen addit, *quæritur an non omnibus præſto ſit illa gratia qua lumine illo [naturæ] nondum integritati reſtituto ſeu reliquiis illius luminis rectè vti, hoc eſt pro menſura earundem Deum colere poſſint.* Audis omnibus pręſto eſſe gratiam qua poſſint rectè vti natura & Deum colere? & præſto eſſe omnibus ac proinde & infidelibus & irregenitis & Chriſtum non cognoſcentibus? vimque iſtius gratiæ quæ omnibus eſt communis poſitam eſſe in recto vſu naturæ? Idem pag. 405. *Generalis eſt gratiæ quod homines donis iſtis poſſint rectè vti.* Loquitur autem de donis naturæ.

X. Idem pag. 112. loquens de gratia vniuerſali, dicit quandam vocationem eſſe communem, communiaque naturæ documenta quibus Deus omnes omnino homines ad ſui notitiam aliquantulam vocat, & pro menſura vocationis dona relinquit.

XI. Ex hac tamen gratia communi & quæ omnibus datur, per quam omnes poſſunt rectè vti donis naturæ negat pag. 405. ſequi, gratiam & naturam æquè latè extendi: *nam* (inquit) *licet ſit generalis gratiæ quod homines donis iſtis poſſint rectè vti, tamen quod actu rectè iis vtantur à ſpeciali gratia eſt. Potentia enim in actum non perducitur niſi per auxilium alterius gratiæ ſubſequentis quæ ſpecialis eſt, quia non omnibus contingit.*

Ineptam

Ineptam ſanè vir doctus cauſam aſſignauit cur gratia hæc communis & ſufficiens non æquè latè extendatur ac natura, nempe quia hæc gratia communis opus habet auxilio gratiæ ſpecialis. Perinde ac ſi dicerem facultatem viſiuam in homine, non æquè latè patere ac naturam humanam, quia opus habet luce ſolari vt actu videat. Quaſi verò id quod ope alicuius rei indiget non poſſit æque laté patere ac natura: Vix vlla facultas naturalis poteſt agere ſine ope alicuius alterius facultatis, aut auxilij externi vel interni: & ſic nihil plané erit naturale in homine. Mitto quod Arnoldus ſeſe ſuis aculeis compungit. Dum enim dicit gratiam ſufficientem non agere ſine ope alterius gratiæ ſpecialis, plane negat eſſe ſufficientem.

---

*Conuellitur locis Scripturæ gratia ſufficiens vniuerſalis.*

## Cap. XXXIX.

I. HÆc doctrinā quę ponit in homine irregenito & infideli gratiam quæ vel mediatè vel immediatè ſufficiat ad fidem vel ſalutem adipiſcendam ſine vlla cognitione Euangelij & fide in Chriſtum, Chriſtianam fidem à ſtirpe conuellit, & ſcripturæ ac experientiæ aduerſatur.

II. Principiò, neceſſe eſt concidat omnis doctrina in ſalutis negotio, quæ non nititur Scripturæ te-

ſtimonio: At nullibi ſcriptura dicit Deum teneri dare incrementa gratiæ illis qui luce naturali rectè vſi fuerint. Nullibi dicit aliquem ſine fide poſſe Deum rectè colere. Nullibi dicit Deum teneri omnibus dare mediatè vel immediatè vires ad credendum, & ad ea implenda quæ iubentur Euangelio. Nullibi dicit gratiam ſupernaturalem omnibus dari per quam poſſint rectè vti luce naturali. Nullibi dicit gentes quæ Chriſtum ignorant agi à Spiritu ſancto. Hæc ſunt figmenta hominum otioſorum, quos improba ingenij prurigo, & diſputandi cacoëthes inuaſit.

III. Hæc doctrina refellitur omnibus ſcripturæ locis quibus probauimus hominem irregenitum carere libero arbitrio in iis quæ pertinent ad ſalutem. Hinc enim conficitur hominem irregenitum non habere vires credendi, nec poſſe Deum colere cultu qui Deo placeat, nec ſe diſponere ad regenerationem.

IV. His adde teſtimonium Apoſtoli ad Epheſ. cap. 2. v. 12. vbi loquens de Gentibus antequam verbum Dei eis innotuiſſet dicit *eos fuiſſe abſque Chriſto, ſpem non habentes & Dei expertes in mundo.* Vides eos qui ſunt abſque Chriſto, ne quidem habere Deum? quomodo autem poſſent dici eſſe ſine Deo quos ſectarij dicunt habere gratiam ſufficientem cuius ope poſſunt credere, & Deum colere, & rectè vti luce naturæ? Hæc ſane ſimul ſtare non poſſunt.

V. Idem Apoſtolus ad Romanos 10. verſ. 14. *Quomodo ei credent de quo non audiuerunt?* His verbis ſatis

apertè docet Gentes quibus Christus non innotuit non posse credere. At Arminius vult omni homini dari mediatè vel immediatè vires credendi.

VI. Pergit Apostolus. *Quomodo credent ei de quo non audierint? quomodo ergo audient absque prædicante? Quomodo autem prædicabunt nisi missi fuerint?* Ponderentur hæc verba: Paulus censet non posse credi in Christum nisi Euangelium audiatur: non posse autem audiri Euangelium nisi prædicatores mittátur. Hoc posito dico, Deum nihil facere frustra: frustra autem daret omnibus vires credendi Euangelio, nisi mitteret qui prædicarent Euangelium. At ad maximam partem hominum non mittit prædicatores Euangelij. Ergo non dat eis omnibus vires credendi, nec gratiam sufficientem ad credendum.

VII. Idem Apostolus 2. ad Timoth. cap. 1. dicit *Deum nos vocauisse vocatione sancta: non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia.* Falsò ergo Arminiani censent Deum dare lucem supernaturalem & cognitionem Euangelij iis qui per liberum arbitrium rectè vsi sunt gratia sufficiente & lumine naturali. Hoc enim si verum esset planè vocatio esset ex operibus, & secundum opera. Nam bonus vsus gratiæ sufficientis & lucis naturaliter homini insitæ est bonum opus, cuius intuitu Arminiani volunt Deum vocare hominem per Euangelium, & pleniori luce illustrare. Collatores Hagienses Arminiani p. 86. dicunt *Deum mittere verbum suum quò ipsi visum fuerit, non secundùm aliquod decretum, sed propter alias causas in homine latentes.* Hi homines volunt causam cur ad hos

potius quam ad illos Deus mittat verbum esse in ipso homine, non verò in Dei beneplacito. Quę oratio plane facit hominē vocari ex operibus, & prout homo affectus est & aptus ad obsequendum vocanti. Cùm tamen experimento constet indignissimos quosq; & pessimè affectos sæpe vocatos esse verbo Euāgelij, vt Romanos, Corinthios, &c. *& vbi abundauit peccatum ibi abundasse gratiam*, Rom. 5. *Vt non esset volentis nec currentis sed miserentis Dei*. Rom. 9.

VIII. Christus Ioh. 15. v. 5. *absque me nihil potestis facere*. Quod Apostolis dicitur, omnibus dicitur: nam quotquot sumus, sine Christo nihil possumus. In hoc dictum Christi impingunt sectarij, cum docent eos qui Christum non norunt, & qui carent fide, posse credere & Deum colere cultu qui Deo placeat, & facere voluntatem patris.

IX. Quem Deus odit ab vtero, ei non dat gratiam sufficientem & salutarem. Hoc enim esset amare. At Deus Esau odit ab vtero: Rom. 9. v. 13. Ergo ei nō dedit gratiā sufficientem & salutarem: Nam etsi Malachias hæc dicit de reiectione temporali, sufficit tamen ad rem præsentem quod hæc reiectio, fatente Arminio, ponitur à Paulo vt typus reiectionis spiritualis. Ergo sunt quos Deus reiecit reiectione spirituali priusquam quicquam fecerint boni vel mali. Non igitur eis dat media sufficientia ad fidem vel ad salutem. Hoc enim cum odio non posset conciliari.

X. An Israëlitæ erant instructi à Deo sufficiente gratia, quibus Deus ipse Deuter. 29. v. 2. dicit se inter tot miracula non dedisse cor ad intelligendum nec

oculos ad videndum? *Iehoua nondedit vobis cor ad intelligendum, nec oculos ad videndum, nec aures ad audiendum, in hunc vſque diem.* Arnoldum hic locus redegit ad incitas. Igitur præſidium petit ab audacia. Nam illa verba *Non dedi vobis cor ad intelligẽdum*, nihil aliud vult ſonare, quam *cor non habuiſtis*: hæc verò verba, *Non dedi vobis*, penitus expungit. Mox tamen per infirmitatem frontis hac ſolutione abſiſtens, addit, *Licet Deus tales oculos & aures non dederit, non ſequitur hæc eum illis dare noluiſſe: ſed Deum voluiſſe illis dare, eos autem ſibi defuiſſe per ſuperbiam, ignorantiam, & torporem.* Sed neque ſic ſe expedit, immo magis ſe implicat. Quæro enim an antequam ſe refractarios præbuiſſent, habuerint cor ad intelligendum & aures ad audiendum? Si nunquam habuerunt, vicimus: habemus enim luculentum exemplum hominum quibus nũquam datum cor nec oculi, ergo nec gratia ſufficiens. Si verò Arnoldus vult eos habuiſſe inter initia ſed poſtea amiſiſſe, tunc ſanè arguet Deum ipſum mendacij, qui diſertè pronuntiat ſe nunquam eis dediſſe cor nec oculos *ad hunc vſque diem.*

XI. An Tyriis & Sidoniis data eſt gratia ſufficiens: quibus Chriſtus noluit prædicari Euangelium, quãuis eſſent minus alieni à pœnitentia Capernaitis, quibus Chriſtus ipſe prædicabat Euangelium?

XII. Interea obſeruabit lector ridiculum acumen hominis φυγομαχοῦντος. Dicit Deum voluiſſe dare Iſraëlitis cor ad intelligendum, & oculos ad videndum, & paratum fuiſſe ad dandum, ſed per Iſraëlitas ſtetiſſe ne Deus eis daret: Ergo (ſi huic credi-

tur) poterant obsequi Deo antequam Deus eis dedisset cor: at illud ipsum obsequi est cor habere: ergo poterát cor habere antequã cor haberent: quę sunt ἀσύςατα. Perinde ergo agit ac si diceret, Deum non dedisse eis cor quia erant sine corde: veluti si medicus nollet sanare cæcum, quia noluit medicum venientem aspicere.

XIII. Quod si, vt censent Arminiani, Deus nihil iubet ad quod implendum non det gratiam sufficientem, velim mihi dicant an Deus iubens Pharaonem dimittere populum, ei dederit gratiam sufficientem qua posset mandato Dei obsequi: cum contra Scriptura testetur Deum obfirmasse cor eius ne dimitteret populum.

XIV. Et cum sint quidam quos Deus obdurat, idque (vt volunt Arminiani) irresistibiliter, an istis ita obduratis dat gratiam sufficientem implendi legem ad quam implendam omnis homo tenetur? An dat omni homini gratiam sufficiétem ad perfectam impletionem legis? Minimè id quidem. Cur enim Christus fecit se obnoxium legi, nisi vt impleret pro nobis quod à nobis impleri non poterat? Rom. 8. 3.

XV. Christus Matth. 11. sic affatur discipulos, *vobis datum est nosse arcana regni cælorum, illis autem non est datum*: Nonne dicit gratiam cognoscendi arcana regni cœlorũ quibusdam prorsus nõ dari? Sine qua tamen gratia omnis alia gratia est inutilis ad saluté. Hic ergo quæro an quibus non datum est nosse hæc arcana poterant illa cognoscere? Non potuisse patet ex verbis Christi: Iidem tamen iubebantur hæc ar-

cana discere & cognoscere, & eis credere. Hic enim sermo est de iis quibus Euangelium annuntiabatur. Quod si non poterant ea cognoscere quia ipsis datum non erat, apparet gratiam sufficientem ad hæc cognoscenda & discenda non fuisse eis concessam.

XV. Apostolus Act.14. dicit *Deum præteritis ætatibus siuisse gentes suis ipsarum viis incedere*, Et Psal.147. *declarauit statuta sua Israëli: Non idem fecit omnibus gentibus: Ideoque non norunt eius statuta.* Et Matthæus cap. 4. dicit gentes quibus Euangelium nondum illuxerat, *iacuisse in tenebris, & in vmbra mortis.* His quis ausit dicere gratiam sufficientem esse datam ad fidem adipiscendam? Exempli gratia an Maccabæorum tempore Deus dabat gratiam sufficientem Mauris & Americanis ad credendum in Messiam, & ad salutem adipiscendam? Quo teste tandem aut qua ratione probabitur has gentes sufficiente gratia instructas, & salutari vocatione vocatas fuisse? Obseruabatur eorum oculis liber naturæ, habebant impressas cordi notiones aliquas æqui & boni, sed offuscatas multa caligine: nec per hæc, nec per gratiam illam sufficientem fide destitutam quisquam vnquam ad fidem peruenit, aut ad salutem: Nec potuerunt hactenus Arminiani afferre exemplum cuiusquam qui his adiumentis ad fidem peruenerit. Vorstius tamen frontem perfricat, Sectione enim 26. Collationis cum Piscatore, dicit hos populos non destitutos fuisse auxilio simpliciter necessario, & Deum eis micas quasdam panis cœlestis, mediatè sufficiẽtes indulsisse. Huius minutiloquij micas

vir præposteri acuminis nobis inspergit, & nouam doctrinam inusitatis locutionibus vestit: quam quia sic profert vt sine probatione velit sibi credi, eadem facilitate qua ab eo asseritur à nobis reiicitur.

XVII. Non leue est nec perfũctoriè legendũ illud Christi Ioh. 6. 44. *Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me traxerit eum.* Cui affine est illud vers. 65. *Nemo potest venire ad me nisi datum ei fuerit à patre.* Quibus ex locis sic argumentamur. Quicunq; sic non trahitur vt veniat non est instructus sufficiẽte gratia ad veniendum. At multi sic non trahuntur. Ergo multi non sunt instructi sufficiente gratia ad veniendum. Maior probatur Christi verbis: *nemo potest venire ad me nisi pater traxerit eum.* Si enim oportet trahi vt venias, planum est iis qui non trahũtur deesse gratiam & vires quibus veniant: ac proinde eos non esse instructos gratia sufficiente. Multos verò non trahi iisdem Christi verbis euincitur. Causam enim assignat cur Capernaitæ non venirent nec crederent, nempe quia non trahebantur. Perperam ergo Arminius in Perkinsum p. 219. quærit quasi dubitabundus, *Quid si omnes trahantur?* Comminisci verò plura genera tractionis nihil hîc attinet. Sufficit enim ad quæstionem præsentem, hoc loco agi de tali tractione sine qua nemo venit ad Christum. Fingant sectarij quascunque volent tractiones, dum constet per eas neminem vnquam venisse ad Christum, & eum qui nõ trahitur tractione de qua Christus hîc loquitur, non esse instructum sufficiẽte gratiâ. Quod ipsi Arminiani agnoscunt dum fatentur

gratiã

gratiâ illâ sufficiente & salutari neminem conuerti, nisi alia gratia specialis accesserit. Vnde fit gratiam illam generalem non esse sufficientem.

---

*Eadem Gratia sufficiens, & vniuersalis rationibus impugnatur.*

## Cap. XL.

I. PRincipio hoc dogma de gratia sufficiente manifestè Deo illudit, dum fingit Deum seriò & ex animo velle seruare omnes homines, & in eum finem dare omnibus gratiam sufficientem qua possint conuerti & credere: sed istam gratiam maximæ parti generis humani tam parcè administrare, vt nemo possit dari toto orbe qui per gratiam illam sufficientem seruatus sit: cum nemo destitutus fide & cognitione redemptoris vnquam rectè vsus sit naturalibus donis: aut Deum coluerit cultu qui Deo placeat. Nec Arminiani vllum adhuc exemplum potuerũt afferre: nec si possent vnum aut alterum exemplum proferre, per id maculam quam Deo inurunt abstergerent: De Deo enim malè sentit quicunque docet Deum velle seriò omnes homines seruari, & in eum finem dare omnibus gratiam sufficiẽtem qua possint conuerti & credere: sed hanc gratiam maximæ parti hominum tam parce administrare, vt de millies mil-

le myriadibus vix vnus aut alter per hanc gratiam sufficientem se conuerterit & ad fidem peruenerit.

II. Quid quod hæc doctrina temerario ausu Deo ipsi leges figit, eique præscribit modum & mensuram qua debet erogare sua dona, & gratiæ incrementa largiri? si quis enim ope gratiæ sufficientis donis naruralibus rectè vsus sit, statuunt Arminiani Deum teneri dare isti homini ampliorem gratiam, & quia bene vsus est naturali luce, ei dare lucem supernaturalem & cognitionem Euangelij. Ego verò puto creatorem erga creaturam nulla obligatione astringi. Immò si astringeretur, nostrum tamen non esset ei in os ingerere quid debeat, nec eum commonefacere officij, quasi periculum esset ne fidem suam non liberet, aut peccet in leges quibus astringitur. Tum hoc pacto Dei beneficia minuuntur, & fiunt perexigua. Nam, si creditur sectariis, Deus dans alicui vires credendi nihil facit nisi quod debet, nihílque dat nisi quod dare tenetur.

III. Hæc eadem doctrina statuens gratiam sufficientem esse datam Gentibus quæ Christum non norunt, vt pro mensura eius Deum colant, apertè dicit cultum aliquem sine Christo & sine fide posse esse Deo gratum. Et gratiam aliquam esse salutarem sine fide in authorem salutis. Neque id obscurè fert Arnoldus, sed pagina 409. loquens de Ethnicis qui asperum vitæ genus consectantur, vt Deo seruiant, *vnde probaueris* (inquit) *tales aut perire aut manere expertes Christi?* Hic homo dum vult bene sperari de salute Ethnicorum qui asperum vitæ ge-

nus consectantur vt Deo seruiant, quamuis Christum prorsus ignorent, fidē Christanam ἐκφωλίζει vt non necessariam, & aliquem posse per Christum seruari sine cognitione Christi occultè instillat. Nam etsi iniuriam sibi fieri sectarij occlament, quotiescunque ex eorum vlceribus pus exprimitur, quo tamen hęc verba pertineant, facile perspiciet qui totam illam dissertationem Arnoldi aliquot paginis contentam accuratè perleget.

IV. Pari errore censent Arminiani vires credendi & fidem adipiscendi dari homini sine spiritu regenerationis & adoptionis. Cum autem per fidem simus filij Dei, si sine spiritu regenerationis homo habet vires credendi, sine eodem spiritu habet vires efficiendi vt sit filius Dei.

V. Tum illud ἄτοπον & risu dignum, velle vt vires credendi in Christum dentur homini sine spiritu regenerationis: at ipsum credere non detur sine spiritu regenerationis: quasi ab alia causa essent vires credendi, ab alia verò vsus & executio virium: & quasi non esset eiusdem facultatis posse agere, & agere: possę currere, & currere. Nam ad credendum actu aliam gratiam specialem dicunt requiri: ac proinde gratiam illam sufficientem, non esse sufficientem ad credendum actu. Hęc quidem mihi videntur similia ægrorum somniis.

VI. At quam absurdum, & Dei sapientiæ aduersum, dicere Deum paratum esse dare maiorem gratiam lucemque Euangelij iis qui bene vsi fuerint lumine naturali. Sic enim Deus dicitur paratus esse

facere id quod scit se non facturum, & paratus esse cumulare hominem noua & maiore gratia sub conditione quam nemo vnquam impleuit nec implebit: nemo enim destitutus fide, & cognitione redemptoris, & spiritu regenerationis vnquam rectè vsus est lumine naturali, nec Deum coluit cultu qui Deo placuerit: quia quicquid fit sine fide peccatum est, & quicunque Filium non habet etiam Patrem non habet, immo est sine Deo in mundo vt docet scriptura.

VII. Immò verò quisquis omnium historiarum memoriam replicauerit, comperiet sapientissimos quosque inter Ethnicos quibus vita temperantior, & appetitus sedatiores, & qui iustitiam coluerunt, & de Deo multa præclara dixerunt aut scripserunt lógissimè abfuisse à regno cœlorum. Id experientia comprobauit: quando enim cœpit Euangelium promulgari per gentes: non alios acriores hostes religio Christiana pertulit quam philosophos: hi ad infamandam crucem Christi ingenij sui solertiam conuerterunt, & ad crudelitatem & persecutionem facem acerrimam prætulerunt. Nam vt quisque virtutis ciuilis laudem affectat, & ingenium habet multa eruditione subactum, ita ei maximè sordet simplicitas Euangelij, & crucis Christi scandalo magis offenditur.

VIII. Mirum verò quo pacto documentis naturalibus & luce naturæ quisquam possit præparari ad fidem & regenerationem, cum ipso naturæ corruptę instinctu homo ad idololatriam instigetur. Insitum

enim eſt homini velle habere obiectum aliquod præſens & viſibile in quod intendat oculos dum preces fundit, & prudentia humana ſæpe religionem peſſundedit.

IX. Porrò cum, fatente Arnoldo, primus effectus gratiæ ſit noſſe ſe in peccatis eſſe mortuum & naturaliter maledictioni æternæ obnoxium: nec quiſquam poſſit hoc cognoſcere niſi inſtructus verbo Dei, euaneſcit quicquid Arminiani ῥεμβολογοῦσι de vniuerſali gratia & ſufficiente: cum per eam nequidem poſſit id acquiri quod eſt principium & primum elementum conuerſionis, & à quo gratia neceſſariò incipit. Profectò qui euoluerit ſcripta Ethnicorum, nihil de morte in peccatis, nihil de viuificatione & regeneratione, nihil de neceſſitate ſupernaturalis gratiæ inueniet. Optimi quique Ethnicorum hanc Cynoſuram poſuerunt ad quam virtutis ſuæ curſum dirigerent, *Naturam ſequi*: cum contra gratiæ Dei hoc munus ſit, naturam reſtituere & immutare.

*Arn. pag. 404. Deus primo hoc agit, vt homo intelligat ſe in peccatis mortuũ.*

X. In deſignando verò tempore quo hæc gratia ſufficiens primulum à Deo datur omni homini, Arminiani parum ſe explicant. Nam ſi omnes homines habent hanc gratiam ab vtero, perperam à natura diſtinguitur: cum id naturale ſit quod omnibus hominibus inſitum eſt ab ortu & à natiuitate. Si verò hæc gratia datur tantum adultis, quo demum anno datur? an omnibus certa quadam & pari ætate? an aliis citius aliis ſerius? Quod ſi datur decimo aut duodecimo anno vitæ, quid fiet illis qui moriuntur,

anno ſeptimo aut nono? quid illis quos mors intercepit vno aut altero die ante hác gratiam collatam? Tum ſi quis moritur ſtatim poſt ſufficientem illam gratiam datam, antequam ei detur otium bene vtẽdi hac gratia, quid fiet hoc homine? an excluſus temporis anguſtiis à recto vſu gratiæ, excludetur ideo à regno cœlorum? Profectò dum Deum legibus aſtringunt, ipſi ſe inextricabilibus vinculis implicant.

XI. Cùm autem Arminiani gratiam ſufficientem quæ omnibus irregenitis & infidelibus communis eſt dicant eſſe ſupernaturalem, difficile eſt vt qui primulùm motu hoc ſupernaturali & ſalutari tangitur, id non ſentiat: Aut ſi eius initia ſunt dubia & incerta, ſaltem neceſſe eſt temporis progreſſu ſentiatur. At nemo vnquam Ethnicorum vnquam ſe hanc gratiam ſenſiſſe profeſſus eſt, nec eius vlla in eorum ſcriptis mentio.

XII. Sed & operæpretium eſſet cognoſcere quibus gradibus homo Ethnicus ſub Auſtrali plaga aut in intima Tartaria bene vtens documentis naturalibus, tandem ad fidem in Chriſtum poſſit peruenire. Hîc enim neceſſe eſt ſectarij multa fingant; & audacibus coniecturis & deſultoria temeritate laſciuiant. Oportet enim fingant eiuſmodi homini vel fundi oracula cælitus: vel ad eum allegari Angelos: vel Prophetam aliquem crinibus elatum eò aliunde transferri, qui hunc hominem fide Chriſtiana imbuat. Nam vbi deeſt ſcriptura, oportet ſcripturæ locum ſuppleat audacia.

XIII. Denique quid de hac gratia sufficiente sentiendum sit hinc potest iudicari quod ipsi Arminiani parum sibi constant, & sic eam astruunt vt destruant: Nam qui dicunt & magna vi asserunt Deum dare omnibus gratiam sufficientem, ijdem subinde dicunt Deum paratum esse eam dare omnibus, quasi vellet quidem dare omnibus, sed staret per hominem ne id fiat. Tum ijdem docent neminem conuerti sine gratia speciali: quo dicto fatentur gratiam generalem non esse sufficientem. Denique cùm gratiam illam diuidunt in sufficientem mediatè & sufficientem immediatè, fatentur aliquam gratiam esse sufficientem mediatè, quæ sit insufficiens immediatè: pluresque faciunt gradus gratiæ sufficientis, qui quot & quales sint nemo eorum explicauit.

---

*Refelluntur argumenta quibus Arminiani gratiam vniuersalem sufficientem tuentur.*

## CAP. XLI.



ARminianorum pro gratia sufficiente vniuersali & salutari argumenta eadem fere sunt cum iis quæ pro libertate arbitrij in homine irregenito solent afferre: quæ cùm abundè sint refutata cap. 34. in excutiendis paucis quæ pro gratia sufficiente omnibus communi frequentius vsurpant haud magnus erit labor.

I. Pugnant loco Apostoli ad Romanos capite. 1.

verſ. 19. vbi. Paulus de Gentibus ſic loquitur. *Quod de Deo cognoſci poteſt manifeſtum eſt in ipſis, Deus enim eis manifeſtum fecit.* Hic ſanè nulla mentio gratiæ ſufficientis, quam Arminiani cenſent eſſe ſupernaturalem: hic enim Apoſtolus loquitur de lûce naturali, & de qualicunque cognitione Dei ex creaturis, quæ poteſt haberi ſine ſupernaturali gratiâ: per quā Apoſtolus non dicit hominem habere vires credendi in Chriſtum, vel poſſe ſe diſponere aut præparare ad regenerationem: ſed tantùm dicit potentiam & diuinitatem Dei ex creatione ab eis perſpici, vt ſint inexcuſabiles. Sunt autem inexcuſabiles non quod gratia ad ſalutem mediatè vel immediatè ſufficiente abuſi ſunt, ſed quòd luce naturali non ſunt vſi quo vſque potuerunt, & inſitam lucem præfocare conati ſunt.

II. Obtendunt eiuſdem Apoſtoli verba cap. 2. v. 14. *Gentes quæ legem non habent, naturâ quæ legis ſunt faciunt.* Sed neque hic locus poteſt trahi ad ſtabiliendam gratiam ſufficientem, quam ſectarij volunt eſſe ſupernaturalem. Agit enim tantùm de impreſſionibus naturalibus æqui & boni & de actionibus externis ciuiliter honeſtis, quæ fiunt duce natura. Gratiæ enim mentionem nullam Paulus hic facit. Porrò poſſunt fieri quæ ſunt legis etiam ab eo qui legem violat. Opere enim externo poteſt facere res lege præceptas, nec tamen eas facere eo modo & in eum finem quem lex poſtulat: id eſt cum fide & ad Dei gloriam.

III. Non eſt ad rem, illud quod obiiciunt ex cap.

14. Actorum v.17. vbi Paulus de populis Ethnicis sic loquitur. *Quanquam Deus non passus est se esse expertem testimonij.* Hoc testimonium perperam censent esse gratiam aliquam sufficiẽtem, salutarem & supernaturalem, & legem cordibus naturaliter insculptam, quæ esset pędagogus ad Christũ. Nam quale sit hoc testimonium Apostolus sequẽtibus verbis explicat, dicens Deum Dare cœlitus pluuias ac tempora fructifera, & implere corda cibo & gaudio. De gratiâ supernaturali nulla mẽtio. Legem verò seu scriptam seu cordi impressam nego posse esse pædagogum ad Christum iis qui Christum prorsus ignorant. Lex enim non ducit nos ad rem ignotam. Sed postquam Christi gratia oblata est per Euãgelium, ad eam amplectendam lex minis & terrore compellit: vt quod per legẽ non possumus assequi, inueniamus in Christo. Idcirco lex moralis poterat Israëlitis esse pædagogus ad Christum, quia lege ceremoniali Christus eis adumbrabatur, & prophetiis præmonstrabatur.

IV. Illud verò Esaiæ 5.4. *Quid amplius faciendũ fuit meæ vineæ quod non fecerim*, quo sensu debeat accipi docuimus cap.37. Nihil sanè hinc potest exculpi pro gratia sufficiente quæ etiam communis sit iis quibus verbum Dei nunquam prædicatum est: Cum per hanc vineam intelligantur Iudæi quibus verbum Dei prædicabatur, & media ad salutem abundè suppeditabantur. Nec Esayas agit de gratia quæ datur singulis sed quæ toti genti simul sumptæ. Media verò quæ Esaias enumerat esse externa non verò interna ex eodem loco apparet, vbi Deus comparatur.

vinitori qui plãtat vineam in solo vberi, fossam circumducit, sepem prætendit, prælum & turrim struit: at vegetationem & vitalem succum non infundit, nec solem aut tempestiuam pluuiam immittit. Deus ergo dicit se suppeditauisse quæcunque extrinsecus possunt administrari ad conuersionem: Nam dispositiones internas homo debet afferre de suo: Nec Deus tenetur has dispositiones culpà hominis amissas ei restituere. Ibidem quidem Deus dicit, *expectaui vuas ecce autem labruscas.* Sed expectatio humano more Deo tribuitur: expectare aliquid Deus dicitur ab homine cum ab eo aliquid exposcit: & cum differt pœnam si quando fructus debiti non proferuntur, nec statim adhibita securi infelicẽ ficum stirpitus excindit, vt Christus docet Luc. c. 13. v. 7. 8. & 9.

V. Frequenter ingerunt rancidum illud & vsu detritum, *habenti dabitur,* Matth. 25. 29. Quibus verbis volunt Christum innuere, Deum cumulaturũ maiori gratia eum qui luce naturali bene vsus fuerit. Nempe sic imponunt scripturam equuleo vt ab inuita quidlibet extorqueant. Christus ibi affert parabolam talentorum, & dicit talentum quod seruus nequam defoderat ei ablatum esse, & datum seruo qui quinque talentis geminatis heri rem auxerat. *Nam* (inquit) *habenti dabitur & augebitur: ei autem qui non habet, etiam quod habet adimetur.* Per talenta intelliguntur Dei dona, præcipuè verò Dei cognitio per Euangelium: quam cognitionem dicitur defodere, qui detinet veritatem in iniustitia, & premit veritatem cognitam. Hoc ergo talentum non potest esse

gratia ſufficiens quæ infidelibus & irregenitis contingat: ſed gratia quam Deus ſeruis ſuis domeſticis impertitur. Nec per *habentem* intelligitur homo in puris naturalibus, aut Ethnicus aliquis inſtructus gratia ſufficiente, ſed homo inſtructus cognitione Euangelij, quæ in eum finem alicui datur, vt ædificādo proximum eam latè ſpargat: & vt inſtar fœnebris pecuniæ quotidianis incrementis augeatur.

VI. Arnoldus pag. 368. hæc habet. *Eſt conueniens diuinæ iuſtitiæ & bonitati, vt omnibus pro quibus Chriſtum in mortem dedit & à quibus fidem exigit, det vel paratus ſit dare media ad fidem neceſſaria: ita ſcilicet vt ex parte illius nihil obſtet, quo minus omnes ad fidem perueniant.* Iam reſpondimus Deum non exigere fidem in Chriſtum ab omnibus, ſed ab ijs demum quibus Euangelium annuntiatur. Ijs verò omnibus quibus Euangelium annuntiatur, non tenetur dare media ad fidem neceſſaria, quia homo illa media ſuà culpa amiſit. Deus enim exigens ab homine quod debet non tenetur reſtituere homini vires implendi quod iubet, quandoquidem homo has vires ſuà culpa amiſit.

Ira quidem Dei manet ſuper incredulis, vt ſubijcit Arnoldus, at nemo non futurus eſt incredulus, niſi Deus eius cor ſpiritu regenerationis immutet. Nouum ſane cudit Euangelium Arnoldus dum putat quenquam ſine ſpiritu regenerationis poſſe credere Euangelio.

*Arminianorum cum Sempelagianis consensus demonstratur.*

## CAP. XLII.

SCripsit Augustinus, aduersus Pelagium, Celestium & Iulianum libros quibus asseruit sanam fidem super peccato originis, prædestinatione, gratia & libero arbitrio, & electione secundum propositum. Eius argumentis ex sacra scriptura depromptis quasi validissimis arietibus Pelagianismus concussus & tandem euersus nunquam postea caput erexit. Debemus ergo, post Deum, viri tanti ingenio & industriæ quod exitialis hæc pestis ab Ecclesiæ visceribus depulsa est.

At Satan suo conatu excussus alias technas commentus est, per quas sic propugnat gratiam vt occultè impugnet: Non defuerunt enim varijs in locis, præcipuè verò in Aquitania & in tractu Massiliensi homines qui cum se à Pelagio alienos esse profiterentur, Augustini tamen scripta carperent, & eius doctrinam de electione absoluta insectarentur. Sic sopiri conscientias vt vitijs indormiant, sic laxari habenas sceleribus, sic homines agi præcipites in desperationem. Præcepta, exhortationes, minas esse superuacaneas si electorum numerus Dei consilio est definitus: aut si Dei decreto immutabili

hi ad fidem & salutem, illi ad damnationem sunt destinati: Denique liberum arbitrium constringi vinculis necessitatis, quandoquidem sic electi non possunt non perseuerare. Censebant igitur mediam viam insistendam inter Pelagium & Augustinum. Docebant enim peccatum Adami fluxisse in posteros. Et humanam naturam esse corruptam viribusque naturæ ad salutem non posse perueniri. Sed gratiam quæ medeatur naturæ omnibus presto esse: & omnes, siue per legem naturalem, siue per scriptam, siue per Euangelium sic vocari, vt cuilibet liberum sit gratiam oblatam amplecti vel respuere, credere vel non credere. Christum enim omnibus hominibus impetrauisse reconciliationem. Deum vero ab æterno eos elegisse quos præsciuit credituros in Christum & in fide perseueraturos. Itaque numerum electorum non esse Dei decreto definitum. Sed emenso demum vitæ cursu certam esse electionem.

Hi sunt qui vulgò Semipelagiani appellantur. Differentes à Pelagio quod naturam peccato originali esse deprauatam agnoscunt: & quod naturam discernunt à gratia. At ijdem occulto Syncretismo fauent Pelagio: quippe qui naturam volunt sic esse rem diuersam à gratia, vt tamen gratiam velint æquè latè patere ac natura. Tum gratiam talem statuunt cuius vsus à libero arbitrio dependeat.

Horum mentem qui pernosse voluerit, legat Epistolam Prosperi ad Augustinum, insertam septimo tomo operum Augustini, dignissimam sanè quæ legatur cum cura. Cum enim esset summus admira-

tor Augustini, & ab his Semipelagianis hoc nomine incesseretur, poscit opem Augustini, & argumentis quibus se aduersus eos se tueatur cupit instrui. Ibi sane planè agnosces Arminianam venam, & Arminianismum graphicè depictum. Quod nisi titulus Epistolæ & ipsa Epistola authorem & sæculum testaretur, iurares esse Epistolam alicuius qui Arminianorum aculeis compunctus & malè acceptus, opem doctioris imploret. Vt iam non possit esse dubium ex quibus lacunis sua hauserint, & quos veterum hæreticorum sibi imitandos proposuerint. Non multum morabor lectorem festinantem, si ipsorum Semipelagianorum verba protulerim, vt ab ipso Prospero recitantur.

*Hæc est* (inquit Prosper) *ipsorum definitio ac professio, omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem per opera sua sed per Dei gratiam regeneratione saluari: vniuersis tamen hominibus propitiationem quæ est in Sacramento sanguinis Christi sine exceptione esse propositam: vt quicunque ad fidem & ad Baptismum accedere voluerint, salui esse possint. Qui autem credituri sunt quiue ea fide quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda mansuri sunt Deum præscisse ante mundi constitutionem: & eos prædestinasse in regnum suum quos gratis vocatos dignos futuros electione & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit. Ideoque omnem hominem ad credendum & operandum diuinis institutionibus admoneri, vt de apprehendenda vita æterna nemo desperet: cum voluntariæ deuotioni remuneratio parata sit. Hoc autem propositum vocationis Dei quo vel ante mundi initium, vel in ipsa * conditione generis humani*

* *Id est creatione*

*eligendorum & reijciendorum dicitur facta discretio, vt secundum quod placuit creatori alij vasa honoris alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & factis occasionem torporis afferre, eo quod in vtramque partem superfluus labor sit, si neque reiectus vllà industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint non posse aliud erga eos quàm Deus definiuit accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat prædestinantis electio cassa sit annitentis intentio. Remoueri itaque omnem industriam tollique virtutes si Dei constitutio humanas præueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Hæc Semipelagiani, plane Arminianismo ἐμφερῆ & eiusdem notæ.


Ponderentur quoque sequentia: *Definiunt ad hoc salutis donum omnes homines vniuersaliter siue per naturalem, siue per scriptam legem, siue per Euangelicam prædicationem vocari: vt & qui voluerint fiant filij Dei, & inexcusabiles sint qui fideles esse noluerint: quia iustitia Dei in eo sit vt qui non crediderint pereant: bonitas in eo appareat si neminem repellat à vita, sed indifferenter vniuersos velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Pro vniuerso autem humano genere mortuum esse Dominum nostrum Iesum Christum: & neminem prorsus à redemptione sanguinis eius exceptum, etiam si omnem hanc vitam alienissima ab eo mente pertranseat.* Et paulo post. *Non acquiescunt prædestinatum electorũ numerum nec augeri posse nec minui: ne locũ apud infideles ac Prædestinationis negligentes exhortantium incitamenta non habeant,* &c. *electionẽ Dei secundum præscientiam receperunt, vt ob hoc Deus alios vasa honoris alios*

*contumeliæ fecerit, quia fidem vniusquisque præuiderit.* Hic quidem merus est Arminianismus, nisi quod Arminiani sua speciosius vestiunt & conquisitis coloribus fucant, & parcius vtũtur voce meriti, quam nó modo Semipelagiani sed etiã Orthodoxi (verùm alio sensu quam hodie Pontificij) frequenter vsurpabant. Denique sic agunt vt qui pridianas & iam reiectas dapes nouo condimento asperso conuiuis reponunt.

Huic Epistolæ subiecta est altera Hilarij Arelatensis Episcopi ad Augustinum, eiusdem argumenti, vbi Semipelagianis hęc tribuit. *Deus fidem eligit in prę-scientia vt quem crediturum esse præsciuit ipsum elegerit cui spiritum sanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam consequerentur. Illam præscientiam sic accipiunt vt propter fidem futuram dicendi sint præsciti: nec cuiquam talem dari perseuerantiam à qua non permittitur præuaricari, sed à qua possit sua voluntate deficere & infirmari. Quicquid libet donatum sit prædestinatis id posse & amittere & retinere propria voluntate contendunt. Quod tunc falsum esset si verum putarent eam quosdam perseuerantiam percepisse vt nisi perseuerantes esse non possint. Inde est quod & illud pariter non accipiunt, vt eligendorum reijciendorumque esse definitum numerum velint.* Nempe hi sunt quorum authoritas plus fuit Arminio quam Augustini, immo quam Pauli. Sua enim omnia à Semipelagianis liberaliter & manifeste mutuantur.

*Sententiæ*

*Sententia Arminianorum de modo operationis gratiæ, & de vi quæ irresistibilis ab eis dicitur. Et de suasione morali. Nec non de viribus & actu credendi.*



## CAP. XLIII.

QVI sint arcani motus Spiritus sancti, quæ efficacia, quibus gradibus regenerationem promoueat: quæ impedimenta ab homine obiiciantur: quis sit conflictus carnis cum spiritu, & lucta noui hominis cum veteri, qui vt alter Esau iugum subinde excutit, & opus Dei quantùm potest moratur, non puto posse à quoquam penitus cognosci, nec id ipsum perexiguum quod experimento cognoscimus idoneis verbis explicari. Meritò sanè Christus Ioh. 3. spiritum authorem regenerationis comparat vẽto, qui *quò vult spirat, & cuius sonus auditur, sed nescitur vnde veniat, nec quò vadat.* Itaque res est cuius experimentum magis est optandum, quàm explicanda efficacia. Multi sunt qui dum rimantur naturam operationis Spiritus sancti, ipsi aguntur spiritu reprobo. Et dum philosophantur super efficacia spiritus pacis, ipsi proni ad discordiam & inflati superbia satis produnt se agi illo spiritu qui efficaciter agit in filiis rebellionis Ephes. 2.

Hæc quanquam ita sint. Et tutius sit Deum vocantem sequi quàm inquirere qua vi nos vocet & trahat, peruicax tamen temeritas hominum quibuscum nobis

res eſt, nos cogit ad iſta deſcendere. Nouatores enim ex Ieſuitarum Hiſpanorum lacunis hauſerunt neſcio quas voces reſiſtibilitatis & irreſiſtibilitatis, quibus ingenia implicant: Quorum quidem ſcopus eſt inſtruere voluntatem humanam viribus quibus reſiſtere poſſit Spiritui ſancto, quantùuis efficacia in cordibus operetur: vt hoc pacto homo debeat ſuis viribus ſuam conuerſionem, & ſalutis noſtræ fiducia nixa ficulneo adminiculo nutet, & in deſperationem prolabatur.

*Collatio Hag. pa. 304. negat propoſitum Deo decretũque eſſe, abſolute hunc aut illum cõuertere.*

Diſerta ſunt Arnoldi verba in Tilenum pag. 125. *Negatur diſcrimen gratiæ vocantis non tam in hominum arbitrio quàm in Dei voluntate poſitum eſſe.* Et vno ore omnes aſſerunt Deum nõ velle abſolutè vt hic aut ille credat, ſed dare quidem gratiam ſufficientem vireſque credẽdi, quibus homo pro ſuo arbitrio poſſit vti vel non vti: Et gratiam, vimque Spiritus ſancti agentis in cordibus, etiam in ſanctiſſimis quibuſque & in electis, eſſe reſiſtibilem, eiuſque finalem effectum poſſe ab homine impediri: vnde colligunt electos poſſe reprobari. Vires quidem credendi dari irreſiſtibiliter. Et intellectum ſic cognitione imbui & affectus excitari, vt reſiſti non poſſit, at actum ipſum credendi dari reſiſtibiliter contendunt, & eſſe penes liberum arbitrium vti gratia vel non vti; credere, vel non credere. Non enim putant libertatem arbitrij poſſe conſiſtere, niſi poſſit electus finaliter reſiſtere gratiæ & ſic reprobari. Arnoldus contra Bogermannum pag. 263. & 274. *Poſitis omnibus operationibus gratiæ quibus ad conuerſionem in nobis efficiendam Deus vtitur, manet tamen ipſa conuerſio ita in noſtra poteſtate libera, vt poßimus non conuerti, id eſt noſmetipſos vel conuertere*

*Armin. in Perk. pag. 199.* Falſum eſt Deũ ſimpliciter & abſolute velle vt alij credant & perſeuerẽt, &c.

*Quartus Articulus Remonſtr. in Collat. Hagiẽſi:* modus operationis gratiæ non eſt irreſiſtibilis.

*vel non conuertere* Effectum enim gratię docent pendere ab hominis arbitrio: & liberũ arbitrium esse partialem causam conuersionis: vsque adeo vt Greuinchouius in Amesiũ p. 279. ausus sit hæc scribere *Dices in hoc operandi modo Deum quodammodo à voluntate hominis dependere: Concedo, quoad actum determinationis liberæ.* Hoc quidem est Deum conspuere, & eum subijcere humano arbitrio. Nec dubitant dicere Deum seriò cupientem vt hic aut ille saluetur, voto suo & desiderio frustrari, ideoque dolere & grauiter ferre, & id ipsum quod iurauerat se facturum non perficere: vt supra à nobis probatum est. His nempe tibicinibus viri boni Christianam fidem nutantem suffulciunt.

*Greuinc. p. 198. a. 204. & 208. & 279.*

Modum verò quo gratia Dei eiusque spiritus in nobis operatur, hunc esse definiunt. Dicunt intellectum hominis illustrari irresistibiliter, & eius affectus irresistibiliter excitari & sensu gratiæ affici: sed assensum voluntatis manere liberum. Iidem censent Deum dare irresistibiliter homini vires credendi & se conuertẽdi, at actum ipsum credendi & se conuertendi posse fieri vel impediri ab humana voluntate: & sensum irresistibiliter dari, sed non assensum: volunt enim inesse voluntati essentialem indifferentiam & indeterminationem ad gratiam recipiendam aut respuendam, quasi posita in æquilibrio neutram in partem vergeret: quippe quæ lapsu Adami nulla spiritualia dona amiserit, quia neque ante lapsum hæc dona habuit. Collatores Hagienses pag. 307. *Etsi statuendum sit infusionem virium fieri per vim irresistibilem, vt ne res eat in infinitum: tamen fieri non potest vt actus ipse, hoc est ipsum τὸ credere & conuerti irresistibiliter efficiantur.*

*Coll. itaq. p 272. illuminationẽ intellectus fieri per vim irresistibilem in cõfesso, est.*

*In VValachr. pag. 66.*

Fidem verò actualem, actumque credendi planè negant esse donum Dei. Nam etsi id aliquando præ se ferunt, & plenis buccis intonant fidem esse à Deo; toto tamẽ disputationis filo apertè produnt se alienissimos esse ab hac sententia. Negant enim fidem infundi à Deo cordibus hominum, sed Deum dare vires facultatemque credendi. Nec Deum aliter actum credendi dare, quàm quia mẽs imbuitur cognitione, & affectus excitati voluntatem extimulant, quod quidem non est dare fidem sed ad fidem instigare: Immò ex eorum sententia certum est Deum non dare vires credendi in Christum, sed tantum illustrare mentem vt cognoscat Christum, & appetitus illicere blanda suasione. Nam qui tantùm lucem præfert & viatorem hortatur ad incedendum, non dat ei vires incedendi. Collatorum Hagiensium Arminianorum verba hæc sunt pag. 275. *Negamus fidem appellari donum Dei respectu actualis infusionis in corda nostra, sed ita appellatur respectu potestatis perueniendi ad ipsam.* Hoc quidem est circuitione non vti & satis apertè proloqui.

Iidem p.306. profitentur se credere actũ ipsum credendi esse à Deo, mox tamen quod concesserant retrahunt: loca enim scripturæ omnia quibus conamur probare fidẽ actumque credẽdi esse à Deo, euertũt: Nostri id probauerãt verbis Christi Ioh. 6. v. 65. *Nemo potest venire ad me nisi ei donetur à Patre*, Respondẽt Arminiani, locum Iohãnis nó agere nisi de facultate ea qua quis potest credere. Quocirca ad rem nó facere, quãdoquidem probandum est ipsum illum actũ credendi esse donum Dei. An vellent id à nobis probari, & argumẽtis euinci,

ſi id crederent & ſerio profiterentur? nempe ſimulata erat iſta confeſſio, ideoque eam paulo poſt reſcindunt & reuocant. Ibidem locum illum eximium Apoſtoli Epheſ.2. *Gratia ſeruati eſtis per fidem, idque non ex vobis. donum Dei eſt*, quo & ſalus & fides donum Dei appellantur, peruersè corrumpũt. Negant enim fidem ibi vocari donũ Dei, ſed ſalutem. Veſtram fidem, ſectarij? quid veſtra hoc intereſt, aut cur tantopere metuitis ne fides ab Apoſtolo donum Dei appelletur? Hoc quidem eſt ſummum cacoethes, aut aperta confeſſio qua produnt ſe ſentire fidem non eſſe donum Dei. Pari licentia ibidem ludunt in deprauandis verbis Apoſtoli ad Timotheum Epiſt.2.cap.2.v.25. *ecquando det eis Deus vt reſipiſcentes agnoſcant veritatem.* Noſtri attulerant hunc locum vt probarent conuerſionẽ actumqne reſipiſcendi eſſe à Deo: at ſectarij quaſi per ludibriũ reijciunt hunc locum, vt qui de reſipiſcentia loquatur vt de re incerta, & quæ poteſt contingere: Nimirum non placet Arminianis actum conuerſionis eſſe donum Dei. Et quamuis verbis ambiguis & fallacibus dicant eam à Deo dari, cenſent tamen nullo ſcripturæ loco id poſſe probari: Cùm tamen ſcriptura dicat, *Deum operari in nobis efficaciter velle & perficere.* Phil. 2. *& datum nobis eſſe in Chriſtum credere.* Philip. 1. Sane hac verba velle, perficere, credere, deſignant actum ipſum volendi & credendi, non verò vires quibus poſſimus velle, aut non velle, credere aut non credere.

Sed nulla alia in re plus aperiunt mentẽ ſuam quàm dum negant fidem cordibus infundi à Deo, ſed tantùm homines ad fidem inſtigari & allici blanda ſuaſione &

inuitatione,quam vocant moralem,& resistibilem,eodem modo quo puer trahitur oblato pomo,aut porcus proposito furfure.Hoc si verum est, & si efficacia Spiritus sancti non aliter fidem imprimit quàm suadendo, planum est fidem non esse donum Dei. Neque enim qui suadet credere dat fidem, si tantum suadet. Arminius in Perkinsum pag.57.hæc habet,*fidem & pœnitentiam nisi dante Deo haberi non posse,planissimum est in scripturis. At eadem scriptura, immo & natura vtriusque doni clarissimè docet dationem illam fieri per modum suasionis* Hæc quidem sunt ἀσύστατα: nam per modum suasionis nihil datur: qui me ad currendum instigat, hoc ipso nec dat ipsum currere, nec vires currendi. Idem pag. 211. *Deus statuit saluare credentes per gratiam, id est lenem & suauem liberoque ipsorum arbitrio conuenientem seu congruam suasionem: non per omnipotentem actionem seu motionem cui resistere nec velint.nec possint,nec velle possint,* Vorstius Parasc. ad Piscatorem pag.4. *Quæ Deus libere prorsus & contingenter à nobis fieri vult, ea potentius aut efficacius quàm per modum voti & desiderij velle non potest.* .Collatores quidem Hagienses Arminiani, in vindicatione sui quarti articuli, profitentur nolle se definire quomodo Deus in nobis agat,nec in hæc arcana,velle irrumpere: Iidē tamē loca omnia scripturæ quæ dicunt nos trahi à Deo,& Deum efficaciter & potenter in nobis agere, restringunt ad meram suasionem & illectionem per modum obiecti. Et Greuinchouius pag. 232. & 233. nullam aliam quam moralem motionem agnoscit.

Collat. Hag. p. 283. Hoc etiam est inter scita Arminianorum, hominem viuificari primò ministerio Legis,postea verò ministe-

ſterio Euãgelij: cenſent enim aliquam viuificationem eſſe ſine fide Chriſti. Hanc etiam laciniam aſſuunt, neminem vocari extrinſecus, qui non vocetur intrinſecus, & liberum eſſe homini aperire Deo pulſanti vel non aperire.

Etſi autem gratiam Dei nullam eſſe cenſent cui non poſſit reſiſti ab homine, fatentur tamen Deum aliquos ita certo vocare vt infallibiliter ſequantur: nempe eos quos modo & tempore congruo ſic vocat & tali efficacia & lucis menſura vt certiſſimè cõuertantur. Arminius p.57. in Perkinſum, internã Spiritus ſancti ſuaſionem ait eſſe in omnibus quibus verbum prædicatur: Hanc ſuaſionem eſſe duplicem, vnam ſufficiẽtem, alteram efficacem. Quaſi ſuaſio poſſit eſſe ſufficiens quę non eſt ſufficientis efficaciæ. Pergit, *Illam qua poteſt velle & credere & conuerti cùm adhibetur: Illam qua vult, credit, & conuertitur cui accommodatur*: Cenſet enim eum in quo Spiritus Dei non agit efficaciter, poſſe tamen credere & ſe conuertere, etiam ſi nunquam conuertatur. Addit; *Illa adhibetur decreto prouidentiæ, cum certa præſcientia fore vt reijciatur à libero arbitrio hominis: iſta ex decreto prædeſtinationis adminiſtratur cum certa præſcientia fore vt re ipſa velit, credat, & conuertatur ille cui accommodatur & adhibetur; propterea quod ita accommodatur prout Deus nouit congruum eſſe perſuadendo & conuertendo illi cui adhibetur.* Eadem habet pag.245. & Arnoldus in Tilenum pag. 79. Denique familiare eſt Arminianis docere, quoſdam vocari à Deo modo incongruo, quo qui vocãtur nunquam ſequuntur, etſi poſſunt ſequi: quoſdam modo & tempore congruo, quo qui vocantur certiſſimè ſequuntur, idque ex

decreto prędestinationis quę falli non poteſt. Quo dogmate orſa à ſe detexunt, & irreſiſtibilitatem quam totis viribus impugnant, apertè ſtabiliunt.

Hæc eſt illa ingeniorum vſtrina & laniena atque tormentum quo homines infeliciter acuti & ſe & alios ſic cruciant, vt iam vocibus irreſiſtibilitatis, & Phyſicæ neceſſitatis, & ſuaſionis moralis non modo ſcholæ Belgij perſtrepãt, ſed & plateæ, tonſtrinæ, & popinæ. Minori labore Augiæ ſtabulum purgaueris, quàm hanc errorum Lernam: quorum tamen bonam partem ſuperioribus capitibus excuſſimus: Quod ſupereſt deinceps, cum bono Deo, excutietur.

---

*Sententia Eccleſiæ Orthodoxæ ſuper conuerſione hominis & conuerſionis modo ac certitudine.*

## Cap. XLIV.

SEntentia noſtra non eſt ea quam nobi affingunt ſectarij, quos malè habet quo non loquimur abſurda & impia, vt in no inuehendi campus latior eis aperiatur. Arminiani Hagienſes in defenſione ſu quarti articuli nobis hæc affigunt, *Deum velle quoſdam ſeruare, ſiue aſſentiatur ipſorum liberum arbitrium ſiue non aſſentiatur.* Hæc fœda eſt calumnia. Quemcunque enim Deus ſeruat, eius voluntatem flectit vt ſponte agat, & Deo obſequatur. Ibidem pag. 268. ſic nobiſcum agun quaſi doceremus fidem à Deo in nobis ſine nobis effic

& qua

& quasi doceremus voluntates nostras cogi, & nos trahi vt truncos in conuersione. Hæc illi suo more nobis tribuunt, satis quidem liberaliter: Immutant genuinum schema quæstionis, gnari nostram sententiam non posse euerti nisi priùs immutetur.

Sic ergo statuimus: Electionem Dei esse immutabilem, & scriptos in libro vitæ non posse induci, nec Dei decreta conuelli. Quapropter quoscunque Deus elegit ad salutem, necessariò elegit ad fidem & resipiscẽtiam, quandoquidem sine his non est salus. Vnde fit vt impossibile sit quin electi fidem adipiscantur & conuertantur. Quod cum fiat in aliis citius, in aliis tardius, & diuersis horis diei ad vineam Domini vocentur operarij, certum est tamen eum non fuisse electum qui saltem in morte non credidit Christo. Hoc nobis est firmamentum veritatis quod nulla arte subrui, nulla vi labefactari potest. Quicumque vocantur ex proposito certissimè sequuntur, ne Deus proposito suo excidat. *Et quoscunque Deus prædestinauit eos vocauit, quoscunque vocauit iustificauit, quoscunque iustificauit glorificauit* Rom. 8.

Si ergo necesse est vt omnes electi ad fidem Christi perueniant, huius certitudinis firmamentũ non est humanum arbitrium sed Dei voluntas. Fluxo enim & instabili fundamento res immutabilis & æterna non potest inniti.

Non tamen dicimus hominem trahi à Deo vi irresistibili. Est enim vis irresistibilis cui cùm velis resistere, non possis. Quomodo enim traheremur gratia Dei irresistibili, cùm id ipsum quod nolumus Deo resistere, eique sponte morem gerimus, sit ipsa Dei gratia? Sic cùm cu-

piamus omnes liberè & tamen necessariò esse felices, nemo tamen nisi impos mentis dixerit nos ad id vi irresistibili compelli. Non dicimus electos quantumcunsiue velint resistere Deo vocanti, tamen non posse: Sed dicimus electos certò & infallibiliter & sponte secuturos tandem Deum vocantem, vt electio Dei impleatur. Nempe hic status est quæstionis: *An poßit fieri vt electus nunquam conuertatur & Deo vocanti ad finem vsque resistat: aut gratiæ Dei sic resistat vt ea finaliter excidat.*

Neque verò hic opus est anxiè disputare an etiam cum electus nó resistit gratiæ, possit ei resistere, & nolle quod vult. Nobis nó vacat esse tam acutis. Sufficit enim ad defensionem certitudinis electionis, statuere impossibile esse vt electus nunquam conuertatur, & finaliter resistat: & necesse esse vt electus tandē aliquando Deo vocanti sponte obsequatur. Hoc si obtinemus facilè patimur Arminianos vmbratili velitatione in otio confligere, & disputare an possit fieri quod nunquam factum est nec fiet: & an tortores potuerint frangere crura seruatoris, quæ impossibile erat frangi, quia De decretum obstabat. Hæ enim sunt vitilitigationes ho minum otiosorum, qui ipsi sibi facessunt negotium v aliis creent molestiam. Miro & arcano modo volunta tes humanæ sic flectuntur à Deo, vt ea ad quæ agend vires naturales suppetunt impossibile sit vt homo veli agere: & cum naturaliter possit homo resistere, impos sibile tamen sit vt velit finaliter resistere: Et ea cert & ineuitabiliter accidant quæ fiunt ab hominibus vo lentibus & prudentibus, & habētibus naturaliter vire resistendi. Non ergo disputamus de viribus resisten

gratiæ, quam sanè inesse piis & fidelibus nostro damno sæpe experimur: sed de impossibilitate euentus: & pertendimus fieri non posse vt electus finaliter resistat, & per incredulitatem ad finem vsque vitæ Deo obnitatur.

Ea verò accidere necessariò & sic decernente Dei prouidentia, quæ fiunt ab hominibus volentibus & sine coactione, & sine physica necessitate, & impulsu causæ externæ vim faciẽtis humano arbitrio, scriptura clamat & experiẽtia testatur. Nam Christi mortẽ à Deo fuisse decretam, & nõ potuisse fieri quin decretum Dei impleretur ipsi Arminiani agnoscunt, cum tamẽ mors illa contigerit scelere Iudæorum qui ad hoc facinus sponte sua agebantur. Prouerb. 21. Deus flectit corda regum & quo vult ducit non secus ac aquilex riuulum παρεγχητεύει, Sine coactione Deus subito immutauit animum Esau, Genes. 33. Et Saulis, Samuel. 19. com. 23. Et Ægyptiorum Psal. 105. v. 25. Quæ cum ineuitabiliter acciderent, sponte tamen fiebant & non per vim irresistibilem, & illibata humani arbitrij libertate. Quod si hoc verum est in improbis, quantò magis in probis & fidelibus? An trahuntur inuiti quibus Deus dat cor carneum ex lapideo? An ij quibus Deus promittit se effecturum vt ambulent in viis Domini? Ezech. 36. v. 37.

Resistibilitatis vero & irresistibilitatis voces, quantumcumque inficetas & absonas facile admitteremus nisi alio detorquerẽtur quam ad id quod sonant. Nam resistibile id vocant quod potest impediri & auerti & superari: cum tamen aliud sit resistere, aliud superare. Vis irresistibilis est inoppugnabilis, non vero insupera-

bilis: resistentia denotat pugnam non victoriam. Nam resisti ab homine efficaciæ spiritus, nemo hactenus quod sciam, negauit. Nec quisquam est cuius in animo pietas tam altè sedeat, qui non sentiat intrinsecam luctam, & contrariis sæpe cupiditatibus distrahatur. At vt electus ita resistat gratiæ vt eam aut nunquam admittat, aut semel admissam, penitus ac finaliter excutiat, nihilo plus fieri potest quã Dei decreta possunt rescindi. Neque enim fidei vim insuperabilem quam Deus dat suis electis ponimus in gradu fidei, & in perfectione ipsius virtutis ac robore: sed in certo Deo auxilio quod suis electis ex proposito suppeditat. Nulla enim fides est tam prouecta aut roborata quæ non labascat si Deus auxilium suum tantisper subduxerit. Non secus ac cum bimulus puer primulùm ponens vestigia, patris manu sustentatur: is quidem etsi tremulus, certò tamen non cadet, quia pater firmiter apprehensum sustinet. Quod si Deus interdum patitur electos titubare & labi, eosdem mox erigit: vnde fit vt cautiores fiant, & Dei curam magis agnoscant, & ex ipso casu vires colligant. non secus ac cum ossis fracti partes sic coalescunt denuo, & callus obducitur, vt ea parte qua fractum fuit firmius fiat quàm antè fuerat. Tum si fides sit debilis, sed tamen seria & luctans cum dubitationibus, subleuat pater benignus infirmitates nostras, neque arundinem quassatam cõterit. Nam quemadmodum lippi & lusci intuentes serpentem æneum, non minus sanabantur quam qui erant oculis integris & perspicacibus: quia non sanabantur vi facultatis suæ visiuæ, nec per oculorum suorum perspicaciam, sed per vim diuinam quam

Deus per hoc ſerpentis inſtar exerebat: ſic non ſaluamur merito perfectionis noſtræ fidei, ſed Dei beneficio in Chriſto redemptore.

Quæ verò & quanta ſit vis illa flexanima ſpiritus ſancti agentis in cordibus electorum, & quibus momentis & gradibus opus ſuum promoueat, nequidem explicare poſſunt ij ipſi qui eam ſentiunt: Non ſecus ac mulier grauida ignorat quibus modis fœtus vitalis conformetur, & creſcat. Eſſe tamen eius maximam vim Scriptura teſtatur, vt deinceps probabitur.

Quantacumque autem ſit hæc efficacia, non tamen Deus nos trahit vt ſtipites ſed vt homines. Trahit nolentes vt velimus: proſequitur volentes ne fruſtra velimus. Et dum volentes facit de nolentibus, libertatem voluntatis non modo non tollit, ſed & reſtituit: quia vltro & cum gaudio ſeruire Deo libertas eſt. Incrementa autem fidei & regenerationis ſic promouet, vt plerunq; non ſentiamus nos creſcere, ſed poſt aliquod temporis ſpatium agnoſcamus nos creuiſſe: non ſecus ac plantas non videmus creſcere ſed creuiſſe. Verbum Euãgelij aure acceptum & corde conceptum modus eſt ordinarius quo Deus afficit corda, & regenerationem inchoat, & promouet, ei vires occultas inſpirans erga eos quos ſeruare decreuit: Quocirca à Petro ſemen incorruptibile appellatur, 1. Petr. 1. A Paulo potentia Dei ad ſalutem: Rom. 1. Ab Apoſtolo ad Hebræos, cap. 4. & initio Apocalyp. gladius anceps & peracutus. A Ieremia cap. 23. v. 29. ignis & malleus conterens petram, quia duritiem cordium frangit & cogitationes captiuas ducit ad obedientiam Chriſti 2. Cor. 10. 5. Cuius

nouæ vitæ ſcintillas cælitus cordibus illapſas flabello Spiritus Deus ſuſcitat, & gemitus ἀλαλήτους elicit, occultis aculeis lancinans præcordia, mentem illuſtrans, appetitus regens, voluntatem flectens, quam etiam, velit nolit Arminius, neceſſe eſt refingi, & veluti lignum curuum in contrariam partem intorqueri: quia non eſt (vt volunt ſectarij) ad bonum & malum ἀμφιρρεπὴς & pariter procliuis, ſed tota in malum propendet in hominibus irregenitis.

Hæc mutatio cum non poſſit fieri niſi per contrarios habitus, neceſſe eſt vitiis naturaliter inſitis ſuccedant contrarij habitus fidei, ſpei, charitatis, humilitatis, patientiæ, &c. qui habitus non acquiruntur vſu & actionibus vt cenſent Arminiani in Vvalachrianos pag. 65. ſed à Spiritu Dei imprimuntur & infunduntur, qui actiones ciet & motus ſanctos, qui fidem & charitatem roborant & augent exercitatione: Neque enim homo adiutus Spiritu ſancto ſibi dat fidem aut charitatem, aut exercitatione & induſtria eas acquirit: ſed à Deo dantur, & actionibus voluntariis & ſpontaneis à Deo inſpiratis aluntur & augentur.

*Per Sp. ſancti operationem vires homini dãtur ad eliciendos actus cõuerſionis: concomitãte porro ſpiritu credit & bene agit homo: crebris fidei ſibi, charitatis patientiæ actibus habitum fidei, ſpei &c. ſibi cõparat.*

Voluntatem verò eſſe ſedem virtutum, potius quam appetitus ſenſitiuos ipſa ratio clamat: Appetitum enim rationalem, & qui homini peculiaris eſt, ornatum eſſe virtutibus magis eſt conſentaneum, quàm appetitum qui nobis cum belluis communis eſt. Qui ſi eſſet ſedes virtutum, iuſtitiæ, ſanctitatis, charitatis, ceſſante poſt mortem facultate ſenſitiua ceſſaret quoque virtus: & voluntas animæ ſeparatæ planè eſſet expers iuſtitiæ, & ſãctitatis. Quodſi quis arbitratur appetitus dici iuſtos

ſubiectiuè, eoſque eſſe ſubiectum iuſtitiæ & ſanctitatis, quia obſequuntur menti à Deo illuſtratæ, nulla eſt cauſa cur voluntas eidem ſuaſioni ſe vltro ſubiiciens iuſta quoque & ſancta & iuſtitiæ ac ſanctitatis ſubiectum eodem modo non debeat appellari. Et cum viri cordati & pij recta voluntas ſoleat affectibus imperare, eoſque in legis diuinæ gyrum compellere, quis non videt ei potius ineſſe virtutem quæ recta imperat affectibus, quam affectibus qui ſancto huic imperio ſegniter plerunque obtemperant? Fateor quidem virtutes Chriſtianas ad appetitus ſenſitiuos aliquatenus pertinere. Sed eodem modo quo ars equeſtris quæ reſidet propriè in equite, aliquatenus pertinet ad equum, quẽ equiſonis induſtria fregit in gyros, docuitque ſe mouere motu compoſito. Nullane poterat inueniri commodior ratio aſſerendi libertatem humanæ voluntatis, quam exuendo eam omni virtute? Strenuos ſanè patronos libertatis arbitrij Arminiani ſe præſtant, ſi voluntatem ſpoliant virtutibus vt ſit libera; & vincula ſanctorum habituum à voluntate excutiunt ne nimium conſtringatur. Quemadmodum enim docent voluntatem ante lapſum non fuiſſe præditam donis ſpiritualibus, ne putetur per lapſum inquinata vitiis; & in locum donorum ſpiritualium amiſſorum putentur contraria vitia & naturalis prauitas ſucceſſiſſe: ſic quoque negant habitus fidei, charitatis, &c. à Deo infundi voluntati, ne infuſione illa voluntas immutata, vim amittat reſiſtendi finaliter Spiritui ſancto. Putant enim iniuriam fieri voluntati ſi ei adimatur libertas ſe præcipitandi in Tartara: quæ ſane infelix eſt libertas & in cuius defenſio-

nem sectarij non debuerant totis viribus incumbere. Quasi nostra magnoperè intersit sic esse liberos vt possimus Deo ad finem vsque obniti & ipsi nos perdere. Nec erat hæc causa idonea faciendi voluntatem μονογραμμον, neque vitiis neque virtutibus naturaliter imbutam, sed rem trusatilem & pendulam, & instar primæ materiæ cuiusuis impressionis capacem: cum contra voluntas hominis naturaliter mala sit, & vitiis incocta: vt abundè probauimus cap.33. & per voluntatem homines præcipuè sint vel boni vel mali.

Statuimus ergo virtutes Christianas non acquiri vsu & industria, sed à Deo infundi menti & voluntati. Qui quidem non solum dat vires credendi, sed & ipsum credere: & actualem fidem in nobis efficit. Vtpote qui certo & absoluto consilio decreuit his quos seruare decreuit dare fidem qua saluentur. Cuius gratiæ effectum statuimus non pendere à libero arbitrio; nec esse penes nos conuerti & credere si velimus: cum contra Deus det electis vt velint conuerti & credere, dans eis velle & perficere pro suo beneplacito.

---

*Ventilatur quæstio de suasione morali, & an omni suasioni poßit resisti.*

## Cap. XLV.


Efficaciam Spiritus Dei agentem in cordibus Arminiani definiunt suasione morali. Nam habitus ipsos fidei, charitatis, & spei, negant

à Deo

à Deo cordibus infundi, ne violetur libertas arbitrii, & ne conuersio fiat vi irresistibili & ineluctabili necessitate, sed potius blanda inuitatione cui homo possit vel reniti vel obsequi.

Hoc eorum dogma nititur falso hoc principio: nullam esse suasionem cui non possit sic resisti, vt eius effectus tandem impediatur. Hoc principium falsum esse contendimus. Est enim quædam suasio tam efficax vt hominem necessario trahat in assensum: cui cum possis resistere si velis, non potes tamen velle. Si quis in ardente siti porrigit sitienti potum suauem & salubrem, eumque ad bibendum inuitet amica suasione: & ex aduerso nihil dissuadeat nec impediat, dico fieri nó posse quin sitiens ille potum oblatum sumat. Inciderit aliquis in manus hostium, qui eum catenis onerent, in carcerem compingant, eum ad supplicium propediem producturi: ingrediatur autem aliquis eundem carcerem, qui soluat catenas, ianuam aperiat, viam certam effugij commonstret, eum hortetur vt fugam capessat & se præsenti periculo eripiat, non puto talem hominem posse à se impetrare vt tali suasioni non obsequatur. Quod si in rebus humanis multæ sunt eiusmodi suasiones, quibus non possis velle resistere: quanto minus resistetur suasioni, quando ad euidentiam & certitudinem suasionis, & ad præstantiam bonorum cœlestium quæ Euangelium nobis offert, & ad periculi instantis cognitionem, potẽtia insuper diuina accesserit, & vis illa vorticordia Spiritus sancti, cuius efficacia est inexplicabilis. Est sanè quædam πιθανάγκη, & suasio potentior imperio, quæ sic flectit volentes, vt malint quid-

libet pati quam nolle quod volunt.

His fidem astruit ipsa ratio, & natura humanæ voluntatis, cui insitum est se mouere ad præscriptum & suasionem mētis, nisi cum affectus indociles repugnāt rationi. At quotiescunque ratio cum affectibus conspirat, impossibile est quin voluntas eo se moueat, quo mens suadet, & appetitus instigant. Nam quid eam auocaret, cum nullo alio possit moueri impulsu?

Nec dubium est quin Deus qui animas nostras pernouit, & cōmodissimas λαβὰς quibus anima apprehēsa non resistat vocāti, & sciat qua parte sit flexibilior, non possit tali luce mentem perfundere, phantasiæ (cuius in appetitus naturale est imperium) tam lucidam imaginem imprimere: propositis pœnis ita conscientiam perterrefacere, obiectis præmiis æternis ita excitare, ita blandè inuitare, ita apposite suadere, vt illico omnis pugna cesset, & obsistentia concidat.

Quapropter Arnoldus in Tilenum pag. 251. parum considerate locutus est, cum dixit in eo positam esse libertatem voluntatis vt positis & præsentibus omnibus quæ ad actionem requirūtur voluntas possit actionem suspendere. Debuerat dicere positam esse in eo libertatem voluntatis vt ad ea quæ intellectus & appetitus suadent sese spontaneo & libero motu applicet, aut si appetitus cum ratione discordat & diuersa obiecta proponātur, quamcunque volet in partem se moueat, libera electione. Exemplo sint animæ quæ in cœlis fruuntur Dei aspectu, quibus vtique omnia suppetunt quę ad incitandam voluntatem ad amandum Deum requiruntur, quarum tamen voluntas non potest actionem

iſtam ſuſpendere, nec actum amoris quo Deum amant inhibere aut auertere. Nec verò dici poteſt (quanquam id ad rem præſentem parum refert) eas nõ poſſe Deum odiſſe, quia deſunt occaſiones odij, & incitamenta peccandi: Nam nec Angelis ante lapſum maior fuit occaſio: Eædem occaſiones peccandi quæ Angelos peſſundederunt nunquam deerunt. Admiratio ſui ipſorum nimia, & amor impenſior: & per id remiſſior contemplatio Dei, & amor ſegnior, præſtantiſſimas creaturas præcipites egerunt & ad rebellionem impulerunt.

Eſt quidem voluntas affecta ad duo aut plura, & inter duo obiecta propoſita liberè eligit, niſi cum vltimus finis expetitur. Sed ipſa ſe ſæpe ad vnum aliquid tam firmiter quãdoque applicat vt ipſa ſibi non poſſit reſiſtere. Quod ſi Spiritus ſancti efficacia στρεψικάρδιος agens in electis inſuper acceſſerit, & quæ habenas affectuum ſic tractet & moderetur vt voluntatem ſponte ſequentem flectat, quid mirum ſi talis inſeſſor non poſſit finaliter excuti, etiamſi cupiditates tantiſper obnitantur, & ægrè cedant imperio quod præter ius & fas inuaſerant?

Hæc omnia eo pertinent vt doceamus non inde fieri incertum euentum conuerſionis, aut (vt loquuntur nouatores) reſiſtibilem, etiamſi Deus ſola ſuaſione morali moueret corda, & congrua inuitatione voluntatem alliceret.

Veruntamẽ quiſquis Scripturam audiet, aut deſcendet ad exempla & ad experimẽta, comperiet efficaciam Spiritus ſancti agentis in cordibus non debere reſtringi ad ſuaſionem moralem. Difficile enim eſt concipere

animo, qua suasione Deus vsus sit in conuersione Pauli, qui quasi fulmine deiectus est, & cuius recalcitrantis aduersus stimulos fracta est contumacia.

Idem ~~dici~~ potest dici de latrone, cui inter cruciatus & in ipso mortis agone Deus inexplicabili modo fidem infudit. Quid enim? an putant sectarij, eum adeptum esse fidem vsu & frequentibus actionibus pietatis? Id sane dici non potest: cum vno momento à summa incredulitate & perditissimis moribus ad firmissimam fidem peruenerit. An inuitatus est blãda suasione? ei ne id quidẽ. Nam quæcunq[redacted] obuersabantur erant totidẽ dissuasiones: eæque vsque adeo potentes vt ipsorũ Apostolorum fides tunc labasceret. Illi ipsi cruciatus quos misellus homo tunc patiebatur, facile potuerunt istius illectationis & suasionis sensum adimere, nisi vis arcana Spiritus Christi omnia obstantia perrupisset.

An Polus Apaustolus Ephes. 1. vers. 19. & 20. & ad Coloss. 2. vers. 12. potentiam illam Dei qua efficaciter operatur in cordibus credentium diceret eandem esse cum illa qua Christum excitauit à mortuis, si sola suasione morali, & blanda inuitatione corda conuerteret?

Saul certus Dauidem tollere de medio, venit Najoth quo se Dauid fuga subduxerat. 1. Sam. 19. Sed simul ac eo venit, Dauidis immemor, prophetico afflatu corripitur. Vbi hic suasio moralis aut inuitatio? Si ergo sine suasione morali Deus immutat animos improborum, cur eandem virtutem erga electos suos non exeret?

Quomodo verò locutiones creandi nouum cor, & suscitandi hominem ex mortuis, & dandi nouam vitam, quibus Scriptura nostram cõuersionem exprimit

ſint accommodatæ ad denotandam ſuaſionem moralem, non equidem video. Non creatur nouus homo ſuaſione, ſed infuſione nouæ vitæ. Ac planè neceſſe eſt accedat aliquid ſupernaturale, nec homini explicabile.

Quod ſi mera ſuaſione & inuitatione Deus hominem alliceret ad credendum, Deus non eſſet cauſa efficiens fidei. Qui enim tantum hortatur & ſuadet vt credamus, non dat ipſum credere: immo nec ſuggerit vires credendi, vt ante diximus. Sed mouet metaphoricè & intētionaliter, quemadmodum mouemur ab obiectis, & à fine cognito.

Hic verò eſſe aliquid præter ſuaſionē hinc colligere eſt, quod videas quoſdam parua ſuaſione vehementer accendi, quoſdam viciſſim veritatis gnaros inter euidentiſſimas & certiſſimas ſuaſiones frigere tamen & ne mimimum quidem affici. Multos martyres illiteratos & doctrina Euangelij leuiter imbutos priſca ætas tulit & noſtra: At Origenes ille χαλκέντερος, qui ſcripturam ad vnguem callebat, maluit thus adolere diabolo, impar martyrio. Multi inter miracula & in media Euangelij luce ſunt increduli, vt Capernaitæ: aut ſunt ventri dediti & gulæ, vt fidem faciunt quotidiana experimenta. Neque verò hoc ideo fit quod irregenitorum ſit alius alio ſuaſionis moralis capacior, cū omnes ſint planè auerſi à Deo & in peccatis mortui. Et cum videas peſſimos quoſque & peſſimè affectos conuerti ad fidē Chriſti, vt Romanos Corinthios, &c. & Deū ſtulta mundi elegiſſe & vbi abundauit peccatū ibi abundaſſe gratiam: Viciſſim verò alios minus malè diſpoſitos, vt Tyrios & Sydonios nequidem vocari prædicatione





Euangelij, qua nulla alia salubrior suasio. Quædam fluunt sæcula quibus ianua Ecclesiæ latè patet, estque ad eam magnus populorum concursus: vt docet Apostolus 1. Cor. 16. 9. *Ostium mihi magnum apertum est & efficax.* & 2. epistola cap. 2. *Quum venissem Troadem ad prædicandum Euangelium ostium mihi apertum est per Dominum.* Ex aduerso sunt quędam tempora quibus aditus ad Ecclesiam quasi obstructus est, & imminuta videtur efficacia Euangelij: Tunc pastores Ecclesiæ experiuntur maximam contumaciam in populo, & callum obductum consciẽtiis, ad cuius duritiem mucro prædicationis retunditur. Id quidem non accidit quia certis quibusdam sæculis homines nascantur meliores: aut quòd Deus aliis rationibus & documentis vtatur ad hos erudiendos, quàm ad illos: sed quia Deo visum est horum mollire corda, eisque reuelare brachium suum, & potentiam suam ad salutem: & verbi Dei gladium maiori vi in animos eorum infigere: idque pro suo beneplacito & electione gratuita: per quam credunt quotquot sunt ordinati ad vitam æternam. Act. 13. Hoc aculeo Deus ipse Pauli agentis Corinthi animum stimulabat & ad ἐλευθεροστομίαν hortabatur: *Ne time* (inquit) *sed loquere & ne tacueris. Nam ego sum tecum, & nemo te inuadet vt tibi noceat, quia populus est mihi multus in hac vrbe.*

*Es. 53. Rom. 1.*

*Probatur certitudo conuersionis electorum & finalis insuperabilitas gratiæ.*

## Cap. XLVI.

I. PRæcipuum ſententiæ noſtræ de certitudine conuerſionis electorum, & de gratia Dei inſuperabili firmamentum ponimus in certitudine immutabili electionis Dei. Cùm enim Deus certo & definito decreto certos quoſdam homines deſtinauerit ad ſalutem, vt prolixè probauimus, neceſſe eſt eos quos deſtinauit ad finem deſtinauerit ad media ſine quibus nemo ſeruatur, nempe ad fidem & reſipiſcentiam. Hoc decretum cum non poſſit impediri, certum eſt fidem electorum non poſſe ſic impediri vt finaliter excidant. Cuius doctrinæ veritatem dum impugnant sectarij, ſe præcipitant in dogmata abſurda & enormia, qualia hæc ſunt. *Electionem non eſſe irreuocabilem nec peremptoriam ante mortem. Electos poſſe reprobari. Electorum numerum non eſſe Dei decreto & voluntate certum & definitum: ſed eorum numerum augeri poſſe & minui. Omnes homines eſſe conditionaliter electos. Deum ſæpe fruſtrari ſua intentione & voto ac deſiderio*: quæ ſomnia plena febriculoſæ ſubtilitatis, & inania deliria, ne quid dicam grauius, à nobis abundè, ni fallor, confutata ſunt.

II. Iam audiuimus Paulum Eph. 1. v. 3. & 4. docentem gratiam Dei dari ſecundum electionem. Hinc apparet

gratiam Dei quæ electis datur nihilo plus poſſe impediri quam electionem : cauſæ enim immutabilis effecta non poſſunt eſſe niſi certiſſima. Caſſa & inanis eſſet electio quæ mediis deſtitueretur ſine quibus non eſt ſalus. Obſerua autem Paulum loqui de ſanctis & fidelibus Epheſiis, ne Arminianus aliquis dicat Apoſtolum agere de vniuerſali electione. Denique quotquot ſunt loca ſcripturæ docentia eos demum credere qui ſunt ordinati ad vitam æternam Act. 13. & eos ſolos venire, id eſt credere, qui dati ſunt Chriſto à patre, id eſt electi ad ſalutem in Chriſto Ioh. 6. Et omnes prædeſtinatos vocari, iuſtificari, glorificari, Rom. 8. Et Deum nos elegiſſe ad ſanctitatẽ, Eph. 1. nõ verò ex ſanctitate, aut ob ſanctitatem, planè euincunt fidem & ſanctitatem ſic pendere ab electione, & cum ea cohærere, vt fieri non poſſit quin electus tandem aliquando conuertatur. Non poteſt fides electorum plane obliterari, & finaliter extingui, quin electio quoque Dei expungatur & intercidat. Quoſcunque Deus vocauit ex propoſito omnino venient, quia Deus nunquam propoſito ſuo excidit.

III. His affinia ſunt eiuſdem Apoſtoli verba Rom. 8.14, *Quotquot aguntur ſpiritu Dei ſunt filii Dei*. Hic quæro an poſſibile ſit vt qui filius eſt Dei fiat filius diaboli. Si quid frontis eis supereſt non audebunt ita apertè proloqui, quanquam ex eorum ſententia qua ſtatuunt electos poſſe reprobari, id ſatis apertè ſequitur. Hoc ergo poſito, Dei filios non poſſe fieri filios diaboli, peto vnde iſta impoſſibilitas defectionis, & cur qui agitur ſpiritu Dei qui vocatur ſpiritus adoptionis non poſſit fieri

fieri filius diaboli: oportet istius impossibilitatis causa sit vel electio Dei, vel humanum arbitrium: At non humanum arbitrium, tvt prolixè probauimus: ergo Dei electio, per quam fi vt impossibile sit vt fides electorum finaliter concidat & extinguatur.

IV. Quantâ verò efficacia Deus agat in cordibus docet Apostolus Ephes. 1. v. 19. vbi optat notum fieri Ephesiis *quam sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus pro efficacitate fortis roboris ipsius.* Apostolus ἐξεπίτηδες congerit verba emphatica quibus potentiam illam & robur efficax prædicet, longè distantia ab Arminij phrasi: apud quem passim hæc occurrunt, *Deum nolle vti sua omnipotentia ad conuersionem hominis, sed blanda inuitatione quæ conueniat libero arbitrio.* Ac ne quis in voce potentiæ & roboris quærat effugia, hanc potentiam restringens ad suasionem efficacem, idem Apostolus ibidem docet hanc potentiam eandem esse cum ea qua Christum excitauit à mortuis, vbi suasio non habet locum: mox enim subiungit, *pro efficacitate fortis roboris ipsius, quam exeruit in Christo, cum excitauit eum à mortuis.* Sic & ad Coloss. cap. 2. vers. 12. loquens de nostra regeneratione per fidem, *Cùm Christo* ( inquit ) *resurrexistis per fidem Dei efficaciter agentis qui excitauit eum à mortuis.* Innuens Christi resurrectionem nostramque regenerationem eadem vi & potentia perfici.

V. Idē Apostolus 2. Thess. c. 1. v. 11. orat vt Deus in Thessalonicensibus *compleat opus fidei potenter.* Et ad Rom. 1. vers. 16. Euangelium vocatur *potentia Dei ad salutem*, quia per Euangelium Deus potentiam suam salutarem exerit. Et 2. Cor. 10. v. 4 dicit *arma sua*, id est verbum Dei

cui adiuncta est spiritus efficacia, *valida esse ad subuersionem munitionum, ratiocinationes euertendo, omnemque sublimitatem quæ sese extollit aduersus cognitionem Dei, & in captiuitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo*: En quàm sæpe & sedulò Apostolus potentiam illam quam Deus adhibet ad conuersionem hominis extollat: Quàm selectas & energeticas voces congerat quibus animos nostros trahat in admirationem potentiæ illius stupendæ & arcanæ. Affine est illud Christi Lucæ 11. v. 22. vbi eiectionem Satanæ regnum obtinentis in homine, vimque maiorem Spiritus Dei eum extrudentis his verbis depingit. *Quandiu validus quispiam armatus custodit aulam suam, in pace sunt ea quæ habet, Postquam verò quispiam eo validior inuadens vicerit eum, eius πανοπλίαν aufert quâ confidebat, & spolia distribuit.*

VI. Multa hic causantur sectarij, multa fingũt. Primò dicunt hanc potentiã quantacunque sit esse resistibilẽ, neq; negamus: sed quæstio est an sit finaliter superabilis: neque enim consentaneum est Deum velle exerere potens illud robur & efficaciam erga hominem quem vult saluare, vt ab homine superetur; & homo tandẽ sit potẽtior Deo. Enimuero eo ipso loco Apostol. 2. Cor. 10. quo potentiam illam splendida oratione extollit, meminit tamen resistentiæ quæ insurgit in Dei cognitionem eique reluctatur: sed quæ tandem fracta dat manus, & felicibus vinculis vltro constringitur.

VII. Ad Pauli locum 2. Thes. c. 1. quo rogat vt Deus perficiat in Thessalonicensibus opus fidei potenter, respondent Hagienses pag. 295. Apostolum non loqui de initio fidei *sed de complemento in incremento & perseue-*

*rantia fidei.* Quo dicto ipsi se iugulant: nam si tanto robore & potentia Dei opus est ad promouenda fidei incrementa, quanto magis ad initia fidei, & ad indendam fidem homini incredulo, in quo nihil est quod non Deo aduersetur?

VIII. Addunt, per opus fidei hic intelligi patientiam. Ineptè: non enim solâ ærumnarum tolerantiâ opus fidei completur. Tum verba præcedentia Apostoli hanc interpretationem respuunt: Dicit enim *Precamur pro vobis vt vos dignetur ista vocatione Deus noster. Et compleat omnem suæ bonitatis gratuitam beneuolentiam & opus fidei potenter.* Improbè agit qui vocationem Dei & effecta beneuolentiæ Dei gratuitæ restringit ad solam patientiam.

IX. Ibidem subodorantur hoc complementum esse adeptionem gloriæ: Frustra. Nam gloria non est perfectio nec complementum operis fidei, sed complementum mercedis & præmij quod fide apprehendimus: Immò verò opus fidei tunc cessabit, tantum abest vt perficiatur.

X. Nostri pugnant loco Petri 2. epist. cap. 1. vers. 3. *Diuina potentia omnia nobis donauit quæ ad vitam & pietatem pertinent per agnitionem illius qui vocauit nos ad gloriam ac virtutem.* Si Deus omnia nobis dat quæ ad vitā & pietatem pertinent, ergo dat nobis non resistere finaliter, & Deo vocanti obtemperare: Respondent Arminiani Petrum non hic agere de collatione fidei, nec docere fidem nobis dari à Deo, sed ea tantum quæ dat iam credentibus. Hæc responsio est extra rem, neque vllam partem nostri argumenti attingit. Quod tamen dicēte

Petro Deum nobis dare OMNIA quæ ad ſalutem pertinent, nolunt ſub hac voce [ *Omnia* ] fidem comprehendi, ſincerè agunt & candidè. Nam qui alibi dicunt fidem eſſe donum Dei, hîc ſatis apertè teſtantur non hoc à ſe ſerio dictum eſſe: Ac profecto nullum locum noſtri afferunt ex Scriptura ad probandum fidem eſſe donum Dei, quem non corrumpant Arminiani, & ei tenebras offundant: quippe qui fidei habitum negant à Deo homini infundi, aut cordibus imprimi: ſed eam non aliter dari nobis à Deo contendunt, quam ſuadendo, & dando vires quibus credere poſſimus, ſi voluerimus. Quod quidem non eſt dare fidem, ſed adminicula & incitamenta, quibus obſequi & ea in vſum conuertere ſit penes liberum arbitrium. Ad fraudis cumulum Petri verba corrumpunt. Petrus dicit *Deum nobis donauiſſe omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent*: Illi per *donare* volunt intelligi *offerre* & *proponere*: Quæ longè diſtant. Nam cùm, fatentibus Arminianis, vita æterna ſit etiam reprobis propoſita, dicendum erit, reprobis vitam æternam eſſe datam, ſi proponere & offerre idem eſt quod donare.

XI. Fidem & reſipiſcentiam eſſe à Deo ſcriptura clamat. Fidem eſſe donum Dei docet Paulus Epheſ. 2. v. 8. *Gratia eſtis ſeruati per fidem, idque nõ ex vobis, Dei donum eſt*: Illud donum de quo Paulus hic agit neque ſola eſt ſalus neque ſola fides. Sed hoc donum eſt *Gratia ſaluatum eſſe per fidem*. vnde apparet ſub hoc dono tam fidẽ quàm ſalutem comprehendi. Quòd ſi ſalus ſola hîc donum Dei appellaretur, inde tamen fidem eſſe donum Dei neceſſario conficeretur. Nam qui dat ſalutem oportet

etiam det media ſine quibus non eſt ſalus. Idem Apoſtolus ad Philip. cap.1.v. 29. *Vobis datum eſt in Chriſti negotio non ſolùm in eum credere ſed etiam pro eo affligi.* Vides nobis dari non modò poſſe credere, ſed & ipſum credere actumque credendi? Reſipiſcentiam eſſe donum Dei Petrus teſtatur Act. 5. v. 31. *Chriſtum Deus dextra ſua euectum conſtituit principem & ſeruatorem vt det reſipiſcentiam Iſraëli & remiſſionem peccatorum.* Et 2. Timot. 25. *ecquando det eis Deus vt reſipiſcant.* Paulus ad Rom. cap. 5. *dicit charitatem Dei effuſam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*: nempe quia Spiritus ſanctus imprimit cordibus noſtris certam fiduciam nos amari à Deo: hæc ergo fiducia à Deo eſt. Denique in omni bono opere & virtute Chriſtiana idem Apoſtolus ad Philip. cap. 2. v. 13. dicit *Deum eſſe qui efficit in nobis ipſum velle & perficere pro ſuo beneplacito*: Hic vides à Deo dari non ſolas vires volendi & faciendi, ſed & ipſum velle & facere. Cùm ergo quotquot ſunt virtutes Chriſtianæ ſint totidem Dei dona; eædémque virtutes ſint habitus, oportet iſti habitus ſint à Deo, non ergo inſiti à natura, quod ne quidem Pelagius dixerit: nec acquiſiti vſu & actionibus adiuuante Dei gratia, vt volunt Arminiani, ſic enim homo ipſe fidem aut totam aut ſaltem ex parte ſibi ipſe daret, eamque deberet ſuo labori & induſtriæ: Enimuero ſi Deus dat quidem vires credendi; actum verò credendi non dat eo modo quo vires: quia vires credendi (vt cenſent ſectarij) Deus dat irreſiſtibiliter, actum vero credendi dat tantum ſuadendo, & inuitando idque ſuaſione cui poſſimus obſequi vel reſiſtere, annuere vel renuere, nihil

*Arminiani in Valachr. fidem & charitatē dicunt eſſe habitus.*

tam clarum eſt quam ipſum actum credendi ac proinde & fidem non eſſe à ſolo Deo, nec à mera Dei gratia: ſed partim Deo deberi partim humano arbitrio: Quam eſſe ſententiam Arminianorum, & eos cenſere gratiam non eſſe cauſam totalem fidei ſed partialem ſupra probauimus. Quibus adde quod dicunt Deum dare fidem non aliter quam ſuadẽdo & blanda inuitatione: quod ſi verum eſt, dicendum quoque erit Deum nec dare vires nec actum credendi: Nam qui tantum ſuadet & hortatur ad currendum, vel ſi omnes artis oratoriæ faces accendat, nunquam tamen dicetur dare vires ad currendum, nec ipſum currere.

XII. Cùm ergo habitus fidei ſit donum Dei, oportet à Deo cordibus infundatur & imprimatur. Quod ſi ita eſt, impoſſibile eſt hanc infuſionem in electis impediri. Quid enim impediret? An mutabilitas & inſtabilitas decreti diuini? At eius decreta nec conuelli poſſunt nec mutari. An mala affectio cordis hominis? At nemo non malè affectus eſt antequam fidem à Deo acceperit. An præfracta quorundam durities? at hæc durities recepta fide mollitur: quod & Deus promiſit ſe facturum, Ezech. 36. v. 26.

XIII. Hæc Dei promiſſio, & aliæ eiuſmodi quibus promittit ſe daturum cor carneum, eique inſcripturum ſuam legem, & ſe effecturum vt incedamus in vijs ſuis, promittũt certitudinem infallibilem conuerſionis electorum, & gratiam Dei quam impoſſibile ſit finaliter deficere: Quid enim poſſet impedire ne Deus ſtet promiſſis, & quod certò & abſolutè promiſit impleat? An durities cordis humani? At id ipſum eſt quod Deus

promittit, se cor saxeum mollefacturum. An prauitas hominis? At nemo non prauus est antequam Deus eum conuertat. An in certis quibusdam hominibus maior solito contumacia? At *vbi abundauit peccatum ibi abundauit & gratia.* Denique nullum impedimentum potest obiici quod Deus non possit amoliri aut summouere: nihil tam intricatum ex quo sapiens Dei bonitas facile sese non expediat: Ac proinde quibus promisit se daturum spiritum nouum, eis ablaturum cor lapideum, & se effecturum vt in vijs eius ambulent, hos impossibile est non conuerti, aut finaliter deficere. Nec ipsi Arminiani eunt inficias, etsi videntur summa contentione contra niti. Collationis enim Hagiensis pag. 268. fatentur his Dei verbis apud Ezechielem *indicari Dominum tam efficaciter velle operari vt actualis obedientia consecutura sit : sed* ( inquiunt ) *sit ne id irresistibiliter?* quasi vero in ea sit controuersia: Satis est quod certissimè & infallibiter & ineuitabiliter, quantumuis homo ad tempus resistat, & Deo vocanti, id est, suę ipsius saluti aduersetur. Nam quæ adiunguntur opera pietatis hanc immutationē cordium consecutura, non ponuntur vt conditiones sub quibus futura sit hæc immutatio: sed vt fructus & effecta hanc immutationem cordis consecutura.

XIV. Aliud χρησφυγετὸν comminiscuntur sectarij, dicendo promissionem hanc de dando nouo corde fieri toti genti, non singulis hominibus. Sed frustra sunt: cordis enim immutatio & regeneratio donum est quod fit singulis. Nec vera esset hæc promissio si toti genti fieret, in qua semper fuerunt plurimi contuma-

ces & rebelles. Hæc ergo promissio pertinet ad eos solos qui veri fideles futuri sunt.

XV. Nihilo acutius disputant cum dicunt Collationis pag. 269. his locis promitti, nó primum gratię pręuenientis principium sed maiorem exuberantiam & progressum. Ego verò progressum quoque promitti non negauerim, sed pertendo initia quoque conuersionis promitti. Id euincit vox ipsa *cordis noui*. Tunc enim verè & propriè cor nouum est, cùm incipit immutari. Nec sanè credibile est promitti incrementa sine principio.

XVI. Id insuper quæro an promissio illa qua Deus promittit se effecturum vt in viis suis ambulemus, ad finem vsque vitæ extendatur, an ad tempus breue. Si non ad finem vsque, inanis est promissio, immo & absurda, quippe qua Deus polliceretur se tantisper eis daturum hanc gratiam donec retrahat, & eos in æternum perdat. Tum ipsa hæc verba testantur agi de perpetua gratia. Deus enim promittit se effecturum ne recedant à viis suis : quibus verbis finalis perseuerantia promittitur.

XVII. Quod si gratia Dei in omnibus & singulis potest finaliter impediri, poterat accidere vt in omnibus impediretur : Et sic nullus esset electus, nulla Ecclesia, & Christus fuisset frustrà mortuus. Nihil enim potest fingi absurdius, quàm arbitrari Deum decreuisse vt aliqui credant & seruentur, idque fiat irresistibiliter, & tamen id non decreuisse de quoquam, nec de vlla singulari persona : Nihil absurdius quàm statuere necesse esse vt aliqui saluentur, & tamen nemo

ſit qui non poſſit damnari. Quo tãdem modo ex multis incertis aliquid certi conficeretur? An credibile eſt aut conſentaneum Dei quidem decretum, quod ad totam Eccleſiam, non poſſe eludi, ſed poſſe fruſtrari in ſingulis membris Eccleſiæ?

XVIII. Nec parum præſidij inuenit veritas in verbis Chriſti Iohan. 6. verſ. 44. & 45. *Nemò poteſt venire ad me niſi pater qui miſit me traxerit eum, ego verò ſuſcitabo eum vltimo die. Eſt ſcriptum in Prophetis, Erunt omnes docti à Deo, Quiſquis ergo audiuit à Patre & didicit venit ad me.* Quot verba tot fulmina. Arminiani cenſent multos audire & diſcere à Patre qui non veniunt nec ſequuntur. Pugnãt hæc ex diametro cum Chriſti verbis, *Quiſquis audiuit à patre & didicit venit ad me.* Loquitur enim de quodam audiendi & diſcendi modo qui electis eſt peculiaris, & qui in cordibus efficit quod iubet. Iidem Arminiani aſſerunt, multos trahi qui tamen non perueniũt ad ſalutem. At hîc quoque in verba Chriſti impingunt, quibus dicit, *Nemo poteſt venire ad me niſi pater traxerit eum, & ego ſuſcitabo eum vltimo die* Loquitur enim de certo quodam genere attractionis & obſequij, quo quicunque trahuntur & veniunt ſuſcitabuntur à Chriſto vltimo die. Loquitur ergo de quadam tractione cui finaliter reſiſti non poteſt.

XIX. Ex eodem loco conditur hoc argumentum. *Quiſquis audiuit & didicit à patre venit. Quiſquis trahitur audiuit & didicit. Ergo quicunque trahitur venit.*

XX. Ex eodem loco refellitur Arminianum dogma, quo docent omnes trahi, & gratiam ſufficientem omnibus dari. Scopus enim Chriſti eſt cauſam aſſignare

cur Iudæi Capernaitæ non veniant, nempe quia à patre non tracti sunt; vt ex opposito doceat eos venturos si tracti fuissent: quibus verbis non obscurè docet, omnes qui trahuntur venire.

XXI. Hæ probationes ex hoc loco deductæ, non nituntur voce trahendi, quam scimus sæpe laxius accipi, & quandoque vsurpari pro inuitatione cui non obtemperatur: sed nituntur tota huius loci συνεχεία & sermonis filo, quod certo certius demonstrat hic agi de tractione quadam qua quicunque trahuntur veniunt. Quo sensu vsurpatur vox trahendi initio Canticorum. *Trahe me, & curremus post te.* Quod & Augustinus agnoscit lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, vbi cùm monuisset lectorem, Christum non dixisse, *duxerit*, sed *traxerit*, subiicit *Quis trahitur si iam volebat? & tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis vt velit, ab illo qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines (quod fieri non potest) nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.*

XXII. Nec sane credibile est gratiam esse finaliter resistibilem cuius præcipuum munus est finalem resistentiam tollere. Sic enim non faceret id ad quod est comparata.

XXIII. Quòd si qua est certitudo salutis & sanctorum πληροφορία oportet gratia Dei in eis & erga eos sit insuperabilis, & finaliter inextinguibilis. Alioqui cassa & fallax esse hęc certitudo. Nam quomodo certus esse posset de salute, qui credit gratiam Dei posse impediri & aboleri finali resistentia? Et ex parte Dei nullam esse absolutam electionem & peremptoriam nisi

cursu iam peracto? ex parte verò hominis, humanum arbitrium in sanctissimis quibusque esse viribus instructum quibus possit spiritum Dei prorsus excutere?

XXIV. At Scriptura sexcentis locis certam de salute fiduciam docet & iubet. Paulus ad Romanos 8. v. 16. *Spiritus testatur vnà cum Spiritu nostro nos esse filios Dei.* An vllus dabitur certior testis & magis ἀξιόπιστος quàm Spiritus Dei? Profectò, quàm sit certum hoc testimonium intrinsecum Scriptura clarè testatur dum vocat sigillum promissiones Dei cordibus nostris altè imprimens, & arrhabonem hæreditatis nostræ Ephes. 1. 13. Et 4. cap. v. 30. Et 2. Corinth. cap. 1. Sic 1. Iohan. 5. 10. *Qui credit in filium Dei, habet testimoniuum Dei in se ipso.* Hoc quidem testimoniũ est omni exceptione maius: quod quicunque non experitur in se, debet potiùs de se malè sentire, quàm cæteros homines suo pede metiri, & de aliorum fiducia ex sua incredulitate iudicare.

XXV. Apostolus ad Hebræos, cap. 3. vers. 6. iubet nos *tenere firmam ad finem vsque fiduciam & spem de qua gloriamur.* Et cap. 10. vers. 22. *Accedamus cum vero corde & certa persuasione fidei.* Et Ephes. 3. 12. *In Christo habemus libertatem & aditum cum fiducia, per fidem ipsius.* Et 1. Iohan. 5. vers. 13. *Hæc scripsi vobis qui creditis in nomen filij Dei, vt SCIATIS vos vitam æternam habere.*

XXVI. Ipse Seruator promittit se omnia nobis daturum quæ petierimus in eius nomine: Iohan. 14. 13. Si ergo petimus gratiam insuperabilem, & inextinguibilem, & perseuerantiam in fide, Christus spondet nos accepturos quod petimus.

XXVII. An loquitur Dauid vt dubitans de salute, Psal.17. *Videbo faciem tuam in iustitia, & satiabor tua similitudine?* An Simeon sic loquens Lucæ 2. *Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace, iuxta verbum tuum?* An Stephanus qui circumfrendentibus inimicis, & iam certus mortis clamabat, *video cælos apertos & Filium hominis ad dexiram Dei?* An in eiusmodi hominibus gratia Dei erat superabilis à libero arbitrio? an eorum fiducia erat fallax & labilis, & Dei decretum de eorum salute adhuc reuocabile, vt loquuntur sectarij?

XXVIII, Quid Paulum dicam? qui cupiens dissolui & esse cum Christo, plenus fidei sic loquitur 2. ad Timoth. cap. 4. vers.7. & 8. *Eripiet me Dominus ab omni opere malo seruabitque in regnum suum cæleste.* Et ibidem post exantlatos tot labores, hoc quasi ἐπινίκιον pronuntiat, *Certamen præclarum decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona*, Nec minori cum fiducia loquitur suo & nostro nomine diu ante finem certaminis. Rom. 8.38. *Mihi persuasum est neque mortem, neque vitam &c. neque vllam aliam creaturam posse nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

XXIX. At sectariis modestia & humilitate suffarcinatis placet dubitatio de salute. Eorum verba aduersus VValachrianos pag. 76. hæc sunt *vtrùm quis certus esse poßit se perseueraturum in fide non dixerimus, immo de hoc dubitare & laudabile militi Christiano, & ad excitandum veternum & torporem animæ in religionis negotio perquam vtile arbitramur* Solam certitudinem ibidem admittunt qua quis scit *Deum & sufficiens auxilium ei non defu-*

*turum dummodo ipse sibi non desit*: quæ sanè certitudo potest esse in quolibet reprobo. Hæc quidem speciosè instillant, sub obtentu instigationis ad bona opera, vt quasi per cuniculos fidei fundamenta occultè subruant: Quasi verò nulla esset via excitandi torporem, quàm fidei dispendio. Profana est modestia quæ facit incredulos: & sub specie humilitatis docet Deo diffidere. At illi ipsi qui hæc docent, gloriātur sibi reddi à Deo quod debet, immo & Deum teneri ipsis dare gratiam sufficientem: vt appareat sub affectata humilitate plus inesse superbiæ.

---

*Augustini de hac controuersia iudicium.*

## Cap. XLVI.

I. Certitudo perseuerantiæ potest bifariam accipi: vel pro certitudine decreti diuini, quo Deus eis quos elegit ad salutem decreuit dare perseuerantiam in fide. Vel pro fiducia qua quis certò sibi persuadet se à Deo nunquam desertum iri. Ex electione absoluta, & quæ non est ex præuisa fide, necessariò deducitur prior certitudo, at non posterior. Quia multa Deus de nobis decernit, quorum plenam notitiam nobis nondum dedit.

II. Fidelium πληροφορία non nititur reuelatione aliqua, qua Deus arcana sui Consilij nobis pate-

fecerit, sed promissionibus Euangelij, & sensu interno quo quis seipsum explorans sentit se seriò in Christum credere, & testimonio intrinseco Spiritus testantis in cordibus nostris nos esse filios Dei. Possunt tamen esse multi, iíque probi & pij, qui ad hanc plenam fiduciam nondum peruenerunt, quamuis ad electionem Dei pertinçant.

III. Augustinus ad huius quæstionis limam tritus & crebris Pelagianorum cócertationibus exercitus, prioris certitudinis est assertor acerrimus; & ex electione Dei secundú propositú colligit electos nunquam deserià Deo, & gratiam eis dari quæ nunquam intercidat, & per quam certò sunt perseueraturi. Multa apud eum præclara in hanc rem, sed nullibi apertiùs loquitur quàm libro de correptione & gratia qué scripsit in extrema senectute: Is cap. 12. hęc habet. *Sanctu in regnum Dei per Dei gratiam prædestinatis non tantùm tale adiutorium gratiæ datur, sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non poßint, verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Non solùm enim dixit, Sine me nihil potestis facere: verùm etiam dixit, Non vos me elegistis sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis eis non solùm iustitiam, verùm etiam in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Christo enim sic eos ponente vt eant & ferant fructum, & fructus eorum maneat; quis audeat dicere, forsitan non manebit? Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei: sed vocatio eorum qui secundum propositum vocati sunt. Pro his ergo interpellante Christo, ne*

*deficiat fides eorum, sine dubio non deficiet vsque in finem, ac per hoc perseuerabit vsque in finem, nec eam nisi manentem vitæ huius inuenit finis.*

Et paulò pòst, *Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum vt ideo poßint quia sic volunt. Ideo sic velint quia Deus operatur vt velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei sine quo perseuerare non possent manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseuerare non possent quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis vt possent. Subuentum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ gratiâ* INDECLINABILITER ET INSEPARABILITER *ageretur, & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret neque aduersitate vlla vinceretur. Adamo fortißimo dimisit atque permisit facere quod vellet: infirmis seruauit in ipso donante* INVICTISSIME *quod bonum est vellent, nec hoc deserere inuictißime nollent.* Obserua voces, *Indeclinabiliter, Inseparabiliter, Inuictißimè*: voce irresistibilitatis non vsus est, quam Iesuitæ nondum procuderant: sed vsus est vocibus quæ non minus habent virium ad designandam vim gratiæ diuinæ certissimæ & finaliter insuperabilis & inuictæ, in eis qui sunt electi secundũ propositum. Idem tamen verbum resistendi adhibet cap. 14. vbi sic loquitur. *Deo volenti saluum facere, nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle vel nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet.*

*poteſtatem.* Præclarè, quantumuis reclamet Arminius.

---

*Ipſos Arminianos Irreſiſtibilitatem quam impugnant, apertè ſtabilire.*

## Cap. XLVIII.

I. Irreſiſtibilitas pingitur ab Arminianis vt monſtrum cui barbam vellicāt & quod acu & ſtilo compungunt. Illos quidem ἀεροβατεῖν & pingere cucurbitas, & ſua ipſorum ſomnia impugnare iam docuimus. Irreſiſtibilitatem enim qualem fingunt nullam agnoſcimus.

II. Sed illud maximè mirum quod irreſiſtibilitatem quam nobis affingunt, & pro virili impugnant, ipſi tamen aſtruunt & paſſim ſtabiliunt. Andabatas diceres qui pugnantes clauſis oculis aërem cędunt, & ſe ipſi vulnerant.

III. Arminiani in Vvalachrianos pag. 68. negant à ſe dici *Spiritum ſanctum in voluntatem non alio modo agere quàm cui reſiſti poßit. Verùm* (inquiunt) *hæc non niſi ad ordinarium conuerſionis modum quem* ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον *vſurpat Spiritus reſtricta volumus: non diffitentes extraordinaria interdum ratione huius vel illius conuerſionem operari.* Hic quidem habemus confitentes reos. Hoc enim dicto quicquid ædificauęrunt, à fundamento

ſubuer.

ſubuertunt. Si enim Deus conuertit quoſdã irreſiſtibiliter, eiſque dat fidem voluntate præciſa & abſoluta, impoſſibile eſt hos eſſe electos ex fide præuiſa, & electione quæ innitatur prçuiſioni fidei. Nam qui abſolutè deſtinatus eſt ad fidem & irreſiſtibiliter, oportet abſolutè deſtinatus ſit ad ſalutem. Ineptè ageret qui Deum fingeret ſic decernentem, *Ego quidem hunc decreui ſaluare ſi credet: Sed fidem ei dabo irreſiſtibiliter.* Electio non poteſt dependere ex præuiſione conditionis quam Deus certo & infallibiliter facere decreuit. Sic Deus non decreuit vt Philippus viuat ſi habiturus eſt reſpirationem: ſed certò decreuit ei dare reſpirationem vt viuat.

IV. Hinc apparet qua æquitate ſectarij nobiſcum agant: Nobis enim affingẽtes irreſiſtibilitatem, clamant ſic cogi humanas voluntates, nec poſſe dici obediẽtiam ad quam homo irreſiſtibiliter compellatur. Iidem tamẽ cenſent quoſdam extraordinario modo & irreſiſtibiliter conuerti, quos non putant per id cogi: & quorum conuerſionem non negant eſſe obedientiam.

V. His adde dogma inter Arminianos tritiſſimum, & quod in eorum ſcriptis nullibi non occurrit. Deum vocare quoſdam modo non congruo, quo modo qui vocantur nunquam ſequuntur vocantem, etſi poſſint ſequi. Quoſdam viciſſim à Deo vocari, modo, ſtatu, menſura, & tempore congruo, quo pacto quicunque vocantur, certò & infallibiliter ſequuntur vocantem: quin & ſupra cap. 44. attulimus ipſius Arminij verba quibus ſtatuit eiuſmodi voca-

tionem fieri ex Dei decreto, & certa eius prædestinatione administrari. Et merito; Nam cur Deus hunc statum aptum, hoc tempus accommodatum, hunc modum congruum eligeret, quo qui vocantur certo & infallibiliter sequuntur, nisi quia vult vt infallibiliter & certo sequantur? Hæc sanè irresistibilitatem ponũt qualis à nobis creditur, id est euentum certum & infallibilem ex Dei præordinatione. Conantur quidem suam sententiam mollire assuendo hanc clausulam, *Eos quos Deus vocat modo congruo, certò quidem & infallibiliter conuerti, sed ita vt possint etiam non conuerti.* Nempe (si fides Arminio) possunt facere quod nunquam fuit neque erit: & quod Deus non futurum certò præsciuit, & quod si fieret, Dei consiliũm & præordinatio, quam Arminius hîc agnoscit, fieret irrita.

VI. Iidem irresistibilitatem statuunt, dogmate illo suo trito quo docent Deum in conuersione intellectum irresistibiliter illustrare, & affectus excitare. Iam aliquid est quod partem conuersionis & regenerationis fatentur fieri irresistibiliter, nempe illustrationem mentis & excitationem affectuum. Sed pertendo insuper, illustratione ista irresistibili mentis, si fuerit clara & euidens, & excitatione affectuum si fuerit vehemens, voluntatem necessario affici, & ad assensum spontaneum pertrahi: vt prolixè probauimus.

VII. Non minus se iugulant, cum docent vires credendi dari irresistibiliter. Nam quæ tandem sunt vires credendi nisi per fidem? habitus enim sunt cau-

ſæ efficientes operationum, vt primi actus ſecundorum. Aut quæ tandem poſſunt eſſe vires credendi ſine fide? Si ergo vires credendi dantur irreſiſtibiliter, planum eſt fidem quoque, ac proinde & aſſenſum voluntatis dari irreſiſtibiliter: cum in ipſa fide formaliter poſitæ ſint vires & facultas credendi.

Hagienſes Arminiani, Collationis pag. 269. concedunt Deum irreſiſtibiliter facere vt ſemper ſint aliqui credẽtes. Qua conceſſione res ſuas planè conturbant. Nam qui ſunt hi ALIQVI? nonne certæ quædam perſonæ? Ergo Deus irreſiſtibiliter efficit vt certæ perſonæ credant. An eſt conſentaneum Deum facere irreſiſtibiliter vt aliqui credant, quinam verò illi ſint non ſtatuiſſe? Ita enim fieret Deum aliquos deſtinauiſſe ad irreſiſtibiliter credendum & neminem. An poſſibile eſt vt Deus faciat irreſiſtibiliter vt aliqui credant: & hi ipſi tamẽ non credãt irreſiſtibiliter? Perinde ac ſi dicerem Deum facere certò vt aliqui moriantur, qui tamẽ certò non moriuntur. Et cum ex ſententia Arminij nemo non ſit electorum qui non poſſit reprobari, & efficere vt Deus ſua intentione fruſtretur, mirum quomodo Deus faciat irreſiſtibiliter vt aliqui credant, cum eorum qui credũt & conuertuntur nemo non poſſit finaliter reſiſtere, & ſic perire? Quodcunque poteſt accidere ſingulis poteſt & omnibus. Nec Dei conſilium poteſt eſſe certum de faciendo irreſiſtibiliter vt aliqui conuertantur, niſi aliqui irreſiſtibiliter conuertantur. Quemadmodum Dei conſilium non poteſt eſſe certum de faciendo vt aliqui mergantur, quin aliqui

certò mergantur.

Iidem Collationis pag. 292. dicunt *ad conuersionem requiri vim, quæ omnem creatam vim multis partibus excedat, tametsi non operetur irresistibiliter. Nam vt natura efficaciter conuertatur, requiritur aliquid quod ipsa sit potentius.* Hæc mihi videntur ἀσύστατα: vim spiritus qua conuertimur multis partibus excedere vires naturæ, & tamen ei à naturâ posse sic resisti vt superetur, & finaliter impediatur: de tali enim resistentia hic agitur.

Non est ergo metuendum ne Arminianorum argumẽtis irresistibilitas impulsa corruat, cum altrinsecus ipsi eam nutantem sustineant, & tibicinibus suffulciant. Quibus tamen obiectionibus eam vrgeant operæpretium est cognoscere.

---

*Obiectiunculæ Arminianorum aduersus irresistibilitatem, id est certitudinem infallibilem conuersionis electorum, diluuntur.*

## Cap. XLIX.

1. Causæ suæ firmamentum præcipuum ponunt sectarij in suo illo falso dogmate & iam à nobis cõfutato, Deũ non administrare media ad conuersionem & fidem, ex decreto aliquo absoluto & præciso: Nam si Deus vocans homines, nullius conuersionem absolute &

præcisè intendit, non est necesse vt suppeditationem istorum mediorum conuersio cuiusquam præcisè sequatur. Hoc eorum fundamentum cum fuerit à nobis subrutum & disiectum, cætera quæ volunt superstruere concidant necesse est.

II. Collatores Hagienses Arminiani multa perperam congerunt ad quæ euertenda non est opus magna contentione. In fronte aciei collocant locum illum Act. 7. v. 51. quo Stephanus exprobrat Iudæis rebellibus eos semper restitisse Spiritui sancto. Vnde inferunt Spiritum sanctum quando agit in homine non operari conuersionem irresistibiliter.

III. Sed ineptè id probant quod non controuertitur. Irresistibilitatē enim quam nobis tribuunt non docemus, nō agnoscimus. Conclusio hæc igitur nobis non officit, qui vltro fatemur Spiritū sanctū non semper sic agere in cordibus vt omnem resistētiam tollat. Accedit quod rem falsissimam supponunt vt veram & concessam. Nempe Spiritum sanctū egisse in Iudęis istis, eosq; operationi intrinsecę spiritus restitisse. Stephanus Iudæis exprobrat eos testimonio euidenti Spiritus sancti loquētis per prophetas semper restitisse. Id sequentia verba Stephani demonstrant, *Quem prophetarum non sunt persequuti patres vestri?* &c. Neque si Stephanus ageret de Spiritu sancto in Iudæis incredulis & impiis habitante (quod tamen à vero abest longissimè) inde sequeretur eum loqui de spiritu adoptionis, & gratia electis peculiari, quæ in eis solis conuersionem & fidem certò & infallibiliter efficit.

IV. Cum hoc loco pariter concidunt loca quibus scriptura dicit Psal. 78. & Es. 63. Matt. 23. 37. Prou. 1. 24. &c. Iudæos tentauisse Deum, eumque exacerbauisse, & contristasse Spiritũ sanctitatis eius: noluisse pullos congregari: vocatos renuisse, &c. Hæc (inquam) omnia nihil ad rem. Ibi Scriptura loquitur de impiis & rebellibus: at in hac quæstione agitur de fidelibus & electis: & quæritur an possit fieri vt nunquam conuertantur, & finaliter resistant Spiritui adoptionis. Ad hoc probãdum testimonia agentia de reprobis, quos fatemur Deo vocanti finaliter resistere, & qui carẽt spiritu adoptionis, planè sũt extra rem. Denique sectarij non probant his omnibus locis agi de finali resistentia, de qua sola hîc agitur.

V. At (inquiunt) Deus Ezechielis 18. 31. iubet Israëlitas sibi facere cor nouum & Spiritum nouum. Vnde colligunt hominem posse præstare quod iubetur, aut resistere Deo iubenti: Pudet veteris næniæ, & Pelagianę crambis sexcẽties iam appositæ, & toties reiectæ. Principiò quid opus est probare hominem irregenitum posse non obsequi huic mandato de faciendo sibi cor nouum, cum hoc vnum possit, nempe non obsequi? & non possit obsequi? Hominem verò posse quęcunque Deus iubet, hæresis est Pelagianorum, à nobis iam confutata. Dei præcepta non sunt mensura nostrarum virium, sed regula officij, summa debiti, materia petitionum, scopus contentionis. Sed de his κατακόρως.

VI. Quarto obtendunt illud Esayæ 5. *Quid vltra faciendum vineæ meæ quod non fecerim ei?* Vnde inferunt

gratiam Dei non peragere in homine conuersionem irresistibiliter. Prodigiosa hæc est consecutio: Tum si bonâ esset, conclusio tamen neque quæstionem attingit, neque nos: qui fatemur in electis ipsis conuersionem non fieri sine aliqua resistentia. His adde quod ad quæstionem in qua agitur de conuersione singulorum ineptè affertur locus agens de vocatione totius gentis. Nec debuerant afferre locum agentem de rebellione gentis incredulæ, vbi agitur de certitudine conuersionis electorum. Denique sic agunt vt qui id operam dant ne quid dicant quod faciat ad rem.

VII. Obiter notabit lector, phrases ἀκύρως & humanitus dictas non debere accipi vt propriè dictas: Figuratè Deus dicitur optauisse fructus & expectauisse à sua vite. In Deum non cadunt desideria, nec dolores quasi frustra consumpto labore fine proposito excidisset. Cum Deus optat conuersionem hominũ, vt Ps. 81. v. 14. nihil aliud innuit quàm conuersionem hominum Deo gratam esse. Sic cum dicitur expectare fructus à vite aut à ficu, id est ab Ecclesia vel à singulis, & vbi vitis spem mẽtita est, eam non statim stirpitus euellere: intellige Deum obedientiam postulare & exposcere, & quando non fit quod debetur non statim ad pœnam accingi, sed eam differre. Lucæ 13. v. 9. Deus non expectat euentus quos præscit non euenturos Multominus in piis expectat euentus quos ipse effecturus est.

VIII. In eundem lapidem impingunt cum citant

illud Ezech.cap.12.2.*Fili hominis tu habitas in medio domus rebellis qui oculos habent ad videndum & non vident,* &c. Vnde inferunt hominem quidem habere oculos & aures, viresque se conuertendi, sed posse resistere. Ineptè:nam quis negat hominem posse resistere? immo ex suâ naturâ nihil aliud potest. Cur in quæstione quâ quæritur an fieri possit vt electus finaliter sic resistat gratiæ vt ea excidat,ingerunt nobis exempla reproborum & malorum? Meminerit obiter lector, de hoc eodem populo cui tribuuntur hîc aures,&oculi,Deum sic loqui Deut.29.4.*Iehoua non vobis dedit cor ad intelligendum, neque oculos ad videndum,neque aures ad audiendum in hanc vsque diem.*Nimirum duo sunt genera oculorũ,quidam qui solis fidelibus contingunt, nempe oculi fidei: quidam verò qui possunt contingere reprobis, qui videntes volentes pereunt,qui *videndo non cernunt,& auribus grauiter audiunt* Matth. 13. v. 26. & 27.horum oculi sunt carnales,& nebulosi: his duce ratione naturali,contingit cognitio ἐπιπολάζουσα, quæ cor non afficit,aut si aliquid diuinæ lucis eis obortum est, potius præstinguit oculos quã illustrat: Immo id ipsum quod habent cognitionis conantur præfocare, vltro cæcutientes in clara luce.

IX. Eodem vitio laborant loca quæ subiiciunt Zachar. 7. v. 11. Es.6.v.9.Matt.13.14.Act.28.v.25.& 26.Quibus locis nihil aliud potest probari quam reprobos & rebelles posse respuere gratiam Dei & Deo monenti resistere. Quod fatemur vltro: Sed quid hoc ad finalem resistentiam in electis?

X. Spe-

X. Speciosè oftentant Chrifti verba Matth. 11. v. 21. *Væ tibi Corazin, væ tibi Betzaida, nam si in Tyro & Sydone æditæ fuissent virtutes quæ æditæ apud vos, olim cum sacco & cinere resipuissent.* Similem locũ habes Ezech. 3.6. Ex Matthæi loco fic argumentantur.

*Gratia per quam alij quibus facta est non sunt conuersi, alij verò conuersi fuissent si eadem ipsis obtigisset, non agit irresistibiliter.*

*Atqui gratia conuersionis est talis.*

*Ergo gratia conuersionis non agit irresistibiliter.*

Non erat cur tantopere defudarent in vtraque propofitione probanda, cum conclufionem vltro admittamus: Scimus electos ipfos refiftere gratiæ Dei etfi non perpetuò, nec ita vt gratia Dei finaliter impediatur. Quæftio eft, An poffit fieri vt electi gratiæ Dei fic refiftant, vt nunquam conuertantur, vel vt eam extinguant & finaliter impediant. Hanc quæftionem viri boni non attingunt, fed aliò vagantur.

XI. Sed neque duas propofitiones commodis probationibus fulciunt. Maiorem fic probant. *Si gratia conuerfionem efficeret in homine per vim irresistibilem semper & vbique pari efficacia ageret.* Ego verò nego id fequi. Nam etiam fi gratia efficeret conuerfionem irrefiftibiliter in omnibus hominibus qui conuertuntur, poffet tamen fieri vt in quibufdam maiori efficacia ageret, nempe in eis qui fic afficiuntur vt ftatim & fine cunctatione fequuntur vocantem, & maiori zelo & ardore inflammantur quam cæteri, qui tardius obfequuntur & fegnius.

XII. Minorem probant exemplo Tyriorum: Sed

ſupponũt ſine probatione Chriſtum hoc loco agere de vera conuerſione qua conuertũtur quibus Deus dat veram fidem & reſipiſcentiam. Quod certe magnum eſt αἴτημα. Cum enim Tyrij & Sydonij non pertinerent ad electionem Dei, quippe qui nunquam conuerſi ſunt, ſi coram eis facta fuiſſent miraracula quæ facta ſunt coram Corazinis, potuiſſent reuerentia tangi, & ſenſu peccatorum affici, & illa pœnitentia deiici quæ naſcitur ex metu pœnæ: qualis fuit pœnitentia Achabi 1. Reg. 21. & maximę partis Niniuitarum, vt indicat ruina Niniues mox conſecuta, vt diſcimus ex Nahum. 1. 1. & ex Tobiæ vltimo capite. Qua in re Tyrij laudabiliores fuiſſent Corazinis, qui inter tot miracula ne minimum quidem doloris aculeum ſenſerunt, aut dederunt vlla ſigna pœnitentiæ. At pernego fuiſſe penes Tyrio adipiſci veram fidem, & in ea perſeuerare. Sine qu tamen nulla eſt vera pœnitentia. Ac mihi quidem v dentur Arminiani Deum incuſare inuidiæ ſubdolæ & maleuolentiæ, quippe qui ſciret Tyrios ita eſſ affectos vt ſi ad eos miracula perueniſſent, ſeriò reſi puiſſent, & ad ſalutem perueniſſent, eis tamen ho beneficium inuiderit, quod tamen largitus eſt po pulis quos ſciebat nec miraculis, nec prædication eſſe conuertendos.

XIII. Septimo loco ſic argumentantur.

*Qui ſermoni gratiæ & ſalutis poſſunt reſiſtere, ij quoq poſſunt reſiſtere Spiritui reſipiſcentiæ.*

*Atqui poſſunt homines ſermoni gratiæ & ſalutis reſiſter Ergo poſſunt quoque ijdem reſiſtere Spiritui reſipiſcentiæ.*

Admittimus conclusionem, eo sensu quo sæpe dixi. Minorem probãt exemplis reproborũ, quos scimus finaliter resistere. At hic agitur de electis, & quęritur an possit fieri vt ita resistant gratiæ vt gratia superetur & finaliter extinguatur. Hoc quod est κρινόμενον & status quæstionis relinquunt intactum.

XIV. Excussi Scriptura, confugiunt ad rationes: & sic Syllogismum instituunt

*Quod à nobis in Euangelio exigitur pro debita & filiali obedientia id in nobis non efficitur per vim irresistibilem.*

*Atqui conuersio & fides requiruntur à nobis in Euangelio pro debita & filiali obedientia.*

*Ergo non efficiuntur à nobis per vim irresistibilem.*

Minor nõ opus habet probatione. Maiorem sic probant, quia *id quod in homine ab alio tantum fit ita vt ipse se in eo tantum paßiuè se habeat non potest dici obedientia.*

Hæc omnia nituntur geminâ calumniâ, quarum prima est qua fingũt nos docere conuersionem agi in nobis irresistibiliter: altera qua nobis tribuũt cõuersionẽ & fidem fieri à Deo, sine nobis: & homines in conuersione passiuè tantum se habere. Nos quidem conuersionem talem nullam agnoscimus, in qua homo nihil agat, sed tantum patiatur: Scimus hominem suaui & efficaci motione sic trahi, & voluntatem eius sic flecti, vt ex nolente fiat volens. & sponte agat atque moueatur. Scimus hominem ipsum credere & resipiscere, non autem Deum. Sed dicimus Deum dare homini vt possit & velit credere & resipiscere: Non secus ac embryon ipse se mo-

uet in vtero: id verò ipſum quod ſe mouet, & quod vires habet ſe mouendi, habet à Deo. Satis eſt ad obedientiam quod homo voluntariè obſequitur Deo.

XV. Hic verò lectorem rogamus vt hic pauliſper gradũ ſiſtat, & agnoſcat quam parũ conſideratè Arminiani hic agãt, & quam ipſi ſibi aduerſentur. Negant conuerſionem poſſe vocari obedientiam ſi homo in ea paſſiuè tantum ſe habeat. At ipſi docent hominem tantum paſſiuè ſe habere in conuerſionis initio, quam tamen omnes Arminiani agnoſcunt eſſe obſequium. Verba eorum hæc ſunt in epiſtola aduerſus Vvalachrianos p. 69. & 70. *Siue per prauias intellectus operationes moueri ſolummodo voluntatem à Spiritu dicamus, ſiue nouam quandam qualitatem ἐνεργητικὴν in eam infundi, prius ſemper moueri ſtatuitur voluntas, hoc eſt paßiuè ſe habere, quam ſe ipſam actiuè in bonum promoueat.* Hæc illi. Sed illud longe præcipuum, quod Arminiani vno ore docent intellectum à Deo illuſtrari irreſiſtibiliter: id eſt cognitionem & intelligentiam à Deo ſic dari vt reſiſti non poſſit: cum tamen iſta cognitio & intelligentia ſit obſequium quoddam. Quippe cum paſſim Scriptura nos iubeat cognoſcere & intelligere. Pſal. 2. v. 10. Matt. 15. 10. & 2. Timoth. 2. 7. Nonne Angelorum ardens alacritas ad obeunda Dei mandata eſt obedientia? Attamen non poſſunt reſiſtere Deo iubenti, nec poſſunt velle reſiſtere.

XVI. Poſtremò congerunt abſurda quæ ex vi quam vocant irreſiſtibilem cenſent poſſe deduci.

Dicunt inde ſequi non alios poſſe conuerti quam qui reipſa conuertuntur. Nec quenquam poſſe ante conuerti quam reapſe conuertatur. At hoc tantum abeſt vt abſurdum videri debeat, vt contrà impium ſit credere quenquam poſſe conuerti & regenerari niſi quem Deus conuertit & regenerat & cui dat fidem & ſpiritum adoptionis, aut quemquam poſſe ante conuerti quam Deus eum conuertat. Nam ſi ſumus omnes noſtrâ naturâ in peccatis mortui: certum eſt non alios poſſe reſurgere ex hac morte ſpiritali quam qui re vera reſurgunt. Quod ſi fides & ſpiritus adoptionis eſt donum Dei ex mera eius gratia profectum: planum eſt eos demum poſſe conuerti quibus Deus dat gratiã qua actu conuertãtur. Cumque ita ſimus comparati vt nemo non reſiſtat Deo vocanti, apparet neminem poſſe conuerti, niſi in quo Deus reſiſtentiam tandem abſtulerit, & duritiem fregerit. Viderint noui Semipelagiani qua frõte aſſerere audeant, hominem irregenitũ habere vires ſeſe conuertendi, antequam Deus actu eum conuertat, & quomodo aduerſus tot loca Scripturę & rationes quas attulimus cap. 33. ſeſe tueantur. An quenquam ex omni memoria nobis proferent qui per eas dotes quę omnibus hominibus, etiam Ethnicis & irregenitis contingunt, fidem adeptus ſit & ſalutem?

XVII. Neminem verò ſe poſſe conuertere antequam à Deo conuertatur & trahatur Scriptura paſſim teſtatur. *Conuerte nos & conuertemur.* Ierem. 31. 18. Thren. 5. 21. *Trahe me & curremus poſt te.* Cantic. 1. 4.

An latro potuit se conuertere, antequam Christus miro & ineffabili modo cor eius immutasset, inter tot occasiones dubitandi, & in Apostolorum ipsorum fuga & trepidatione? An Paulus potuit se conuertere antequam à Christo cœlitus vocaretur? Hoc sane dogma est piis auribus insolens, & Pelagianæ venæ. Hoc pacto rescinditur Dei decretum quo statuerat vti confessione miraculosa latronis ad demonstrandam efficaciam mortis Christi, virtutémque eius diuiná in ipsa dolorum & opprobrij ἀκμῇ: & ad specimen insigne electionis gratuitæ. His finibus Deus potuisset frustrari si se latro aliquot ante annis conuertere potuisset. Deus quidem non obstitit ne conuerteretur: sed cum omnes ex se & suapte natura inhabiles sint ad conuersionem, de iis quos decreuit conuertere statuit apud se quo tempore & modo eos sit conuersurus.

XVIII. *At* (inquiunt) *si nemo potest conuerti nisi quem Deus actu & re ipsa conuertit, inde sequetur cæteros qui vocantur frustra vocari, & Deum simulatè agere & insipienter qui eos vocet ad salutem, & tamen media ad salutem comparandam necessaria velit subducere.*

Respondeo vocem illam *subducendi* satis arguere quam agant mala fide. Nemo enim nostrum sentit Deum iis qui non conuertuntur subducere media necessaria ad salutem. Nam si subduceret eis, adimeret eis quod habuissent. At nemo irrigenitus vnquam habuit omnia media necessaria ad salutem. Aliud est subducere media necessaria ad salutem, aliud non dare: Aliud eruere oculos cæco, aliud non

ſanare cæcum. Deum non dare omnibus media omnia neceſſaria ad ſalutem ſatis conſtat. Nam infiniti ſunt populi ad quos non mittit prædicatores Euangelij. Plurimis verò quibus annuntiatur Euangeliam non dat ſpiritum adoptionis & fidem. Sed ij demum credunt qui prçordinati ſunt ad vitam æternam Act. 13. Quæ omnia ſuperioribus capitibus abundè probata ſunt. Neque tamen idcirco Deus poteſt inſipientiæ aut ſimulationis inſimulari, qui vocet quos ſcit non venturos, & quibus non dat vires veniendi. Non enim agit ſimulatè nec inſipienter qui exigit ab homine quod non poteſt, ſi id debet: & ſi ipſe homo ſibi cauſa eſt impotentiæ. Neque enim per hominis prauitatem Deus ius ſuum amiſit : neque tenetur omnibus ſuggerere media ſoluendi quod debent, & præſtandi quod iubentur. Non inſipienter nec ſimulate vocat virgines carentes oleo quamuis oleum eis non adminiſtret de quo ipſæ ſibi maturè debuerant proſpicere. Nec dubium eſt quin Deus ab omni homine, immo & ab ipſis Ethnicis, poſtulet perfectam obedientiam legis, quam tamen perfectè poſſe ab eis impleri, ne Arminiani quidem niſi timide & ambiguè audent affirmare. Non fruſtra Deus vocat eos quos ſcit non ſecuturos, quia non fruſtra agit qui id exigit quod iuſtitia poſtulat. Nec eſt æquum vt quamuis in promiſcua turba multi ſint reprobi, idcirco verbũ non annuntietur iſti turbæ, & malorum prauitas fraudi ſit bonis; & electorum commodis inde aliquid decedat aut detrahatur. Nec fruſtra contumacibus an-

nuntiatur Euangelium, cum ex illa ipsa eorum contumacia & consequentibus pœnis pij salutariter contremiscant, & ad preces agnitionemque misericordiæ Dei erga ipsos conuertantur. Non frustra
Ezech. c.3.
Deus misit Mosem ad Pharaonem, & Ezechielem ad Iudæos: quamuis Pharaonem non obtemperaturum Deo, nec Iudæos Ezechieli, Deus ipse præmonuerit. Nulla ergo hic est absurditas, quantumuis odiosè id exagitent. Nasuti homines, vt nobis conflent inuidiam hæc iactant apud imperitam plebem, & bullas excitant in sinipulo quæ minimo flatu facile difflantur.

XIX. Superingerunt calumnias, affingentes nobis quæ non credimus. Videlicet, Deum vocare eos qui non conuertuntur ad id solum, & datâ opera, vt fiant inexcùsabiles. Quod absit vt à nobis dicatur. Dicimus quidem id accidere, sed non dicimus hunc solum finem esse Deo propositum; Non putamus ad id tantum vocari reprobos vt fiant inexcusabiles, quamuis ex spreta vocatione grauiorem sibi damnationem accersant. Deus quidem offert Euangelium reiecturis, sed non vt reiiciant. Finis Deo propositus in vocandis iis quos scit non obtemperaturos est exposcere quod debét, & declarare quid sibi gratum sit. An & eos vocat, monet, minatur, vt saltem tantisper cohibeantur metu ne noceant bonis? & vt exemplo contumaciæ non inultæ, pij discant timere? & componendo suam conditionem cum iis quos Deus pari gratia non dignatus est, ob prærogatiuam sibi concessam Deum ament impensius?

XX. Re-

gerunt ſectarij *hoc modo materiam quibuſdam ſuppeditari ad ſecuritatem, & contemptum mediorum quæ Deus adhibere ſolet ad efficiendam conuerſionem, vt ſunt prædicatio, &c. Nam ſi ante tractionem iſtiuſmodi irreſiſtibilem nemo ſe conuertere poteſt, & ſimul atque irreſiſtibiliter trahitur eum protinus conuerti neceſſe eſt, iam irrita eſt atque inutilis omnis cura noſtra & ſollicitudo. In aliis verò ſuppeditatur materia perpetuarum dubitationum quantiſper ipſi talem tractionem non ſentiunt.*

Iam monuimus falſo nobis hanc ſententiam affingi, Deum trahere hominē irreſiſtibiliter. Tātùm dicimus electos vtcunque diu reſiſtant, tandē tamen obtemperare Deo vocanti, eorumque conuerſionem voluntariam fieri certò & infallibiliter: nec fieri poſſe vt nunquam conuertantur, vel conuerſi finaliter excidant, & gratia Dei à reſiſtentia carnis tandem extinguatur & finaliter ſuperetur.

XXI. Ex tali tractione negamus poſſe ſequi ſecuritatem aut contemptum verbi, cum ipſamet illa gratia creet in nobis curam & ſollicitudinem. Vide obſecro quam parùm hæc quadrent, & quàm ineptè dicatur gratia Dei impedire piam ſollicitudinem, cum ipſa illa ſollicitudo ſit pars gratiæ. Nam quomodo gratia per quam homo regeneratur eum corrumperet? Aut quomodo gratia per quam excitatur & ſtimulatur eum daret in languorem? Sic ergo agunt ac ſi dicerem reſurrectione aliquem necari, aut dealbatione denigrari. Nam per gratiam creatricem piæ ſollicitudinis dicunt afferri negligentiam.

XXII. Nec verò dubium eſt quin idem abſur-

dum possit deduci ex sententia Arminij qua censet quosdam trahi à Deo modo & tempore congruo, quo qui trahuntur certissimè sequuntur. Possum enim dicere hac doctrina conscientias alto veterno sopiri: erunt enim qui sic loquentur: Quid attinet esse sollicitos? Irritus est noster conatus, si non trahimur modo congruo. Hoc autem modo an trahar dubito. Inde negligentia, & fides fluctuans in incerto.

XXIII. Nihilo meliora sunt quæ addunt. *In aliis suppeditari materiam perpetuarum dubitationum quãtisper ipsi talem tractionem non sentiunt.* Hoc quidem absurdũ perabsurdè vrgetur ab Arminianis qui certitudinem salutis totis viribus impugnant, dum iubent dubitari de perseuerantia. Fingamus enim ex hac nostra doctrina subnasci dubitationes de salute: An in nobis damnant quod in se ipsis probant? Non negamus obrepere interdum dubitationes piis & probis, quas tamen quò magis afficiuntur sensu gratiæ Dei, & prout fides augetur, sensim minui necesse est. Sed non est necesse vt qui iam conuersus est & credit sentiat se irresistibiliter trahi, id est ita trahi vt non possit resistere. Nam certitudinem infallibilem conuersionis ponimus nó in sensu hominis qui sentiat se non posse resistere, sed in Dei decreto per quod necesse est veniant ad Christum quos elegit ad salutem. Sic infrangibilitas ossium Christi non erat in ipsorum ossium duritie sed in consilio Dei fractionem ab eis prohibente. Ideoque potest accidere vt eis qui certò Dei decreto saluabuntur nondum pla-

nè ſit explorata ſua ſalus, & aſſilientibus ſubinde dubitationibus agitentur. Sunt quibus poſt multos vitæ annos piè actos & ſobriè, fiducia ſalutis in morte demum datur. Nec opus eſt vt fidelis ſe exploret an trahatur vi irreſiſtibili, ſed an poſt ſeriam pœnitentiam totus ſic conquieſcat in morte Chriſti & promiſſione Dei, vt inde ad pietatem & amorem Dei accendatur. Quicunque ſe ſentit ita affectum eſſe, non debet momenta efficaciæ ſpiritus Dei & gratiæ inſuperabilis ſcrupuloſè penſitare: ſed ita ſe componere vt dubitationes aſſultantes, precatione & recordatione promiſſionum Dei comprimat, & colubrinam vim cupiditatum reſiſtentium ſpiritui Dei elidat & conterat.

XXIV. Quod ſi quis ſecus facit, non ij ſumus qui poſſimus omnibus malis occurrere, aut vitiis mederi: Gnari ex optimis quibuſque documentis poſſe capi occaſionem peccandi, & optima quæque in ſequiorem partem poſſe detorqueri.

XXV. Mitto quod Sectarij iungunt inſociabilia: & ex oppoſitis rebus faciunt appoſitas: Fingunt enim aliquem habentem veram fidem, poſſe dubitare an ſeriò ſit conuerſus. Quod ſanè impoſſibile eſt: vera enim fides ſuſcitat in homine ſeriam reſipiſcentiam & Dei amorem, qui non poteſt eſſe in homine quin ſentiatur.

XXVI. Denique incommoda quæ ſectarij ex noſtra doctrina eliciunt vitari poſſunt: at Arminianorum doctrina ineuitabilibus malis conſcientias implicat. Hinc enim hominem inflat ſuperbia, do-

cens hominem se ipsum discernere: se ipsum conuertere: posse se conuertere antequam à Deo actu conuertatur: Hominem habere de quo glorietur. Deum teneri dare ei gratiam sufficientem: Deum reddere homini quod debet: Gratiam Dei non esse causam totalem fidei. Dei gratiam humano arbitrio subiici. Virtutem quæ sit in homine, nempe fidem, priorem esse electione Dei. Altrinsecus verò Arminianismus anxia dubitatione conscientias torquet. Quis enim potest esse certus de sua salute, si ne quidem salus nostra certa est ex Dei electione & consilio? & si numerus electorum ex Dei voluntate non est certus? Aut si Deus neminem præcisè elegit nisi consideratum vt mortuum? Aut si certitudo salutis nititur viribus liberi arbitrij penes quod sit perseuerare, aut non perseuerare? credere aut non credere? facere vt Deus sit compos voti, aut fine proposito excidat? Huic sane exitiali doctrinæ si locus est, periit fides, & humilitas Christiana. Necesse enim est vt maximè dubij pendeant qui maximè superbia inflantur. Oportet suspensa sit expectatio hominum qui voluntatem humanam, rem fluxam & instabilem, faciunt spei suæ firmamentum. Ideo nimirum Satan inflat homines fastu vt disrumpantur, & sursum attollit vt ex alto impulsos præcipitet & grauius elidat.

XXVII. Ad illam vero nostram obiectionem qua dicebamus, Si Deus agit in nobis tantum per modum suasionis, Deum non esse causam efficientem fidei, sed tantùm excitantem per modum ob-

iecti: vt ipse Satan indicio est, qui non est causa efficiens peccati hominum, quantumcunque excitet, & instiget & agat efficaciter in filiis rebellionis, nihil respondent Arminiani: Sed contra obiiciunt *Si Deus* (inquiunt) *suos irresistibiliter conuertit, qui sunt longè pars inferior, & Satan resistibiliter potissimam partem auertit, in eo Satã plus Deo valet, qui minoribus & inferioribus auxiliis suum consilium in multo pluribus hominibus potest exequi.* Viri boni illud suum *irresistibiliter* semper ponũt pro *certò & infallibiliter.* Sed ad rem, nego eos quos Deus trahit & efficaciter conuertit pauciores esse quam quos Satan auertit. Non dubium quidem est quin quidam in suæ conuersionis primordiis Satanæ artibus dimoueantur ab incœpto; Sed hi pauci sunt præ iis qui nulla vnquam senserunt tentamenta nec stimulos penitentiæ: Hos Satan non auertit, cum sua naturà sint auersi. Quodcunque verò Satan agit leue est præ efficacia Spiritus Dei in electis: nam Satan inuenit homines pronos ad peccatum, & ruẽtes impellit; nec dubium est quin reprobi non tam Satanæ impulsu agantur quàm suo. Profectò maius est sanare paucos lethaliter saucios, quam multorum vulnera exacerbare, & acetũ vlceri affundere: Longè facilius est impellere vltro ruentes quam lapsos excitare: occidere decem moribundos quàm vni mortuo vitam restituere.

XXVIII. Hic verò exclamant euerti naturam humanam dum necessariò ad vnum determinatur: Respondeo si necessitatis voce non coactio, nec Physica, necessitas qualis est ῥοπὴ grauium ad cen-

trum intelligatur, sed certitudo infallibilis, eaque voluntaria & spontanea, tali necessitate naturam non euerti. Natura Angelorum necessariò determinata est ad bonum, nec ideo euertitur. Nostra natura necessariò determinata est ad expetendam felicitatem, nec ideo tamen natura humana destruitur. Israëlitarum voluntas quorum Deus cor tetigit vt Sauli adhærerent 1. Sam. 10. 26. Esau voluntas subita mutatione in amplexus fratris effusi, Genes. 33. Voluntas latronis cum Christo crucifixi, & Pauli in ipso côuersionis puncto, ad vnum erant determinatæ: nec tamen ideo vis illata est eorum libero arbitrio, aut natura eorum destructa. Sitientis impetus mouentis se ad potum oblatum, ad hoc vnum est determinatus, nec tamen ideo desiit esse homo, aut natura eius euersa est. Deus habet arcanos quosdam & imperceptibiles modos quibus flectat humanam voluntatem illibatâ eius libertate.

# ADDITAMENTVM AD CAPVT XIII. CONTINENS LOCA QVÆDAM

*excerpta ex Confeßione Ecclesiarum Gallicarum, & ex præcipuis huius æui Doctoribus, super obiecto prædestinationis.*



CONFESSIONIS Ecclesiæ Gallicanæ, articulus XII. hic est. *Credimus Deum ex ista corruptione & maledictione generali in quam omnes homines demersi sunt liberare eos quos in æterno suo consilio & immutabili eligit, ex mera sua bonitate & misericordia, in Domino nostro Iesu Christo, absque consideratione operum: Cæteros relinquens in eadem corruptione & damnatione ad demonstrandam in his suam iustitiam; in illis verò diuitias suæ misericordiæ. Neutri enim sunt alteris meliores donec Deus eos discreuerit, &c.*

Iohannes Caluinus Commentario in IX. caput Epistolæ ad Romanos, loquens de Iacob & Esau in vtero, hæc habet. *Deus in vitiata hominis naturâ qualis in homine fuit nihil potest considerare quo ad benefaciendum inducatur. Quum ergo dicit vtrumque nihil boni aut mali tunc egisse, simul addendum est quod ille præsumit, vtrumque scilicet esse filium Adæ, natura peccatorem, nulla iustitiæ mica præditum. Meritò reiectus fuit Esau quia naturàliter erat filius iræ; Ne quis tamen maneat scrupulus, ac si vllius culpæ aut vitij intuitu deterior eius conditio fuisset, non minus peccata quam virtutes excludi vtile fuit. Verùm quidem est*

*propinquam reprobationis causam esse quia sumus omnes in Adam maledicti.*

*Editionis Geneuẽsis anno 1576.* Idem Caluinus libro de æterna Dei prædestinatione, initio Epistolæ quæ libro præfixa est. *Electio Dei gratuita est qua sibi ex perdito damnatoque hominum genere quos visum est adoptat.*

Pag. 955. probat sententiam Augustini sic loquentis. *Qui perseueraturi non sunt, non sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati.*

Pag. 961. *Scire velim si communi naturæ relicti forent Esau & Iacob quid bonorum operum in secundo magis quàm in priore Deus reperisset. Peræque sanè ambo lapidei cordis duritia oblatam salutem repulissent.*

Ibid. *Quum Paulus pro confesso sumeret quod bonis istis Theologis est incredibile, omnes ex æquo esse indignos, æquam naturæ in omnibus esse corruptionem, securè inde constituit Deum gratuito suo proposito eligere quoscunque eligit.*

Ibidem. *Verissimum est illud Augustini, Sola gratia redemptos discerni à perditis, quos ad perditionem concreuerat ab eadem origine ducta massa communis.*

Pag. 965. *Præparasse Deum vasa misericordiæ in gloriam testatur: si hoc speciale est electis, reliquos ad interitum aptatos esse constat, quia naturæ suæ relicti certò iam exitio deuoti sunt.*

Pap. 970. *Monendi sunt lectores peræque à Pighio vtrumque damnari, Deum ab initio cum adhuc integer foret hominis status quod postea futurum esset decreuisse: & nunc ex perdita massa eligere quos voluerit. Augustinum ridet*

*eiusque*

*eiusque similes, hoc est pios omnes, qui Deum imaginantur postquam vniuersalem generis humani ruinam in persona Adæ præsciuerat, alios ad vitam alios ad interitum destinasse.*

Idem institutionis Christianæ lib. 3. cap. 22. §. 1. *Paulus quum docet nos in Christo electos fuisse ante mundi creationem, omnem certè dignitatis nostræ respectum tollit; perinde enim ac si diceret, quoniam in vniuerso Adæ semine nihil electione sua dignum reperiebat cœlestis pater, in Christum oculos conuertisse, vt tanquam ex eius corpore membra eligeret quos in vitæ consortium sumpturus erat. Valeat igitur apud fideles hæc ratio, ideo nos in Christo fuisse in cœlestem hæreditatem adoptatos quia in nobis ipsis non eramus tantæ excellentiæ capaces.*

Et §.7. *Si quis roget vnde Deus elegerit, alibi respondet, ex mundo, quem à precibus suis excludit vbi discipulos patri commendat.*

Et cap. 23. §. 3. *Si quis nos huiusmodi verbis aggrediatur cur ab initio Deus ad mortẽ aliquos prædestinarit qui quum nondum essent, mereri iudicium mortis nondum potuerant: Nos responsionis loco vicißim eos rogemus quid Deum homini debere existiment si eum à natura sua æstimare velit. Qualiter peccato vitiati sumus omnes, nõ possumus non esse Deo odiosi: idque non tyrannica sæuitia, sed æquißima iustitiæ ratione. Quod si iudicio mortis obnoxij sunt omnes naturali conditione quos ad mortem Dominus prędestinat, de qua obsecro eius iniquitate erga se conquerantur? Veniant omnes filij Adam, cùm suo creatore contendant ac disceptent quòd æterna illius prouidentia ante suam generationem perpetuæ calamitati addicti fuerint, quid obstrepere aduersus hanc*

*defensionem poterunt, vbi Deus illos ad sui recognitionem contra vocabit?* EX CORRVPTA MASSA *si desumpti sunt omnes, non mirum si damnationi subiacent.*
Hieronymus Zanchius Miscellaneorum lib. 3. Tractatu de Prædestinatione Sanctorum sub finem primi, capitis hæc habet. *Generalis, hoc est omnium hominum prædestinatio est æternum, sapientissimum, immutabiléque Dei decretum quo apud se ab æterno constituit primum quidem omnes homines tum creare ad sui imaginem & similitudinem iustos atque sapientes, tum vt in peccatum à Satana tentati suo libero arbitrio laberentur permittere: atque in foueam æternæ mortis tanquam stipendium peccati iustissimum ruere: deinde horum alios è fouea peccati & mortis gratis per Christum certis mediis liberare, & liberatos Spiritu suo comitari: & tandem æterna vita donare: alios verò hac gratia non dignari: Sed cum Satana potius excæcare atque indurare, tum æterno exitio perdere,* &c.

Idem ibidem. *Specialis electorum prædestinatio est æternum, sapientissimum, immutabileque decretum, quo apud se ab æterno constituit certos quosdam homines in altissimam peccati atque mortis foueam vnà cum aliis omnibus lapsos, secundùm beneplacitum voluntatis suæ gratis per Christum eripere,* &c.

Idem lib. 5. de Natura Dei cap. 2. Quæst. 4. *Hoc ordine ascendendo ab effectis ad causas, & à causis ad effecta descendendo, considerari à nobis potest & debet electio ac reprobatio. Nimirum Deum ab æterno, firmo decreto constituisse, primùm quidem creare omnes homines, deinde eos in peccatum labi & propter peccatum morti æternæ obnoxios*

*fieri permittere: postremò aliquos inde per Christum, ea quæ fecit ratione liberare, & æterna vita donare, reliquos vero ab hac gratia reijcere, & in suis peccatis relictos tandem æterno supplicio propter peccata afficere.*

Bucerus in nonum caput ad Romanos. *Qui verbum Dei sequi simpliciter volunt ex his se facile expediunt. Primùm enim firmè inhærēt in eo quod Deus ipse de se testatur, se ex perdito à primo parente genere hominum quosdam eligere sibi refingendos ad vitam nouam & beatam: reliquos habere organa iræ suæ.*

Philippus Melanchthon in locis Theologicis loco de prædestinatione, non semel hac repetit. *Causam reprobationis certum est hanc esse, videlicet peccatum in hominibus:*

Vuolfgangus Musculus, Loco de electione cap. 5. *Constat electionem nostri haudquaquam esse aliquo qualitatis nostræ respectu factam. Necesse est igitur vt respectum electionis nostræ in Deo eligente nos quæramus. Huc enim nos cogit propriæ vilitatis & deprauationis sensus. Dauid dixit, quid est homo quod memor es eius, & filius hominis quod prædestinasti eum, cum malum ac deprauatum fore præscires?*

Dauid Paræus, Commentario in nonum caput ad Romanos pag. 816. Iacob & Esau vult à Deo eligente consideratos vt peccatores. *Causa* (inquit) *fuit æternum Dei propositum quo constituit tale discrimen eorum facere. Prauus fuit Esau, non minus etiam Iacob. Vterque enim conceptus in peccato: & tamen hunc dilexit Deus, illum odio habuit: non vtique ob discrimen aliquod inhærens*

*aut præuisum, sed κατ' ἐκλογὴν qua vnum elegit alterum non elegit.*

Idem pag. 819. *Arbitrium seu voluntas Dei vocantis est propositum secundum electionem in Christo: hoc est, consilium Dei, quo ex perdita massa humana alios ab aliis discreuit, eligendo hos, relinquendo alios: quod propositum vocatur prædestinatio, electionem & abiectionem sub se continens.*


Pastores Ecclesiarũ Vvalacrianarũ, in sua epistola vno ore Prędestinationẽ sic definiunt. *Eorum qui veteri receptæque Ecclesiarũ nostrarum Confessioni hærent sententia hęc est, Deum ab æterno secundum beneplacitũ immutabile voluntatis suæ aliquos ex corrupto hominum genere mera benignitate in Christo Iesu segregatos seruare decreuisse, &c.*

Iohannes Piscator rigidissimus assertor prædestinationis ex massa integra, & reprobationis sine intuitu peccati, nouissimè edidit tractatum in decem Aphorismos digestum; quorum secundus his verbis conceptus est. *Prædestinatio hæc habet duas species, quarum vna electio altera reprobatio per Metonymiam effecti nominatur. Nam electio & reprobatio propriè referuntur ad genus humanum iam conditum & lapsum: metonymicè verò sic nominatur ipsum eligendi aut reprobandi decretum.* Vidit tandem vir doctus necesse esse vt in electione & reprobatione homo consideretur vt iam lapsus & in massa corrupta. Sed commentus est aliud decretum sublimius quo Deus nec eligit nec reprobat, sed tantùm decernit eligere & reprobare. Cuius decreti in Scripturis nulla fit mentio.

Denique Synodus Dordracena Canone VII. electionem sic definit. *Electio est immutabile propositum Dei quo ante iacta mundi fundamenta ex vniuerso genere humano certum numerum hominum, non quidem meliorum aut digniorum, sed in communi cum aliis miseria iacentium, & ex originali iustitia, propriâ ipsorum culpa prolapsorum in peccatum & corruptionem, secundum liberum beneplacitum voluntatis suæ, ex mera gratia elegit ad salutem in Christo,* &c.

Iidem Patres Canone XV. de Reprobatione sic loquuuntur. *Æternam hanc & impromeritam gratiam electionis indicat & commendat nobis sacra Scriptura, præcipuè quando insuper testatur, nō omnes homines esse electos, sed quosdam esse non electos, siue in æterna Dei electione preteritos. Videlicet eos quos Deus iuxta liberum, iustum, irreprehensibile & immutabile beneplacitum decreuit in communi miseria relinquere, in quam se ipsos propria sua culpa præcipitarunt, & saluifica fide & gratia conuersionis non donare,* &c.

FINIS.



# QVAEDAM OMISSA, SVIS LOCIS ADDENDA.

PAgina 79 linea 7. *hæc sunt addenda*. Et electus poterit damnari & reprobus saluari: Quod etiam asserunt sectarij.

Pag. 99. lin. 7. *hæc adde*. Inuidiæ verò eum insimulare hominis esset vecordis & impij.

Pag. 115. lin. 13. *post hæc verba*, NON CRVCIFIXISSENT, *adde quæ sequuntur*. Ac profecto dici non potest Iudam & Caipham fuisse electos ad salutem sub conditione credendi in morté Christi, cum ad id ipsum essent destinati, vt per eorum incredulitatem & scelus Christus morti traderetur. Quod si Iudas & Caiphas credidissent in Christum, Christus non fuisset traditus ad mortem, ac proinde hoc decretum quo Arminiani volunt Deum elegisse Iudam & Caipham & Pilatum sub conditione si in Cristum essent credituri implicat contradictionem: Perinde enim agunt ac si introducerent Deum sic loquenté. *Statui saluare Iudam & Caipham si credent in mortem Christi: veruntamen si credent & futuri sunt fideles, Christus non tradetur in mortem, nec crucifigetur.*

Sed & quatuor Arminianorum decretorum duo priora inter se pugnant. Primo enim decreto Deus decreuit vti Iudæ incredulitate & perfidia ad Christum morti tradendum. Secundo verò decreto Deus elegit Iudam sub conditione fidei in mortem Chri-

ſti. Itaque priori decreto Iudas conſideratur abſolutè vt incredulus & reprobus, ſecundo verò conſideratur vt conditionaliter electus. His portentis & Chimeris inter ſe pugnantibus Arminiana ſchola circumpicta eſt, quæ riſum mouerent niſi per hæc turbaretur Eccleſia, & Dei ſapientia exponeretur opprobrio.

Pagin. 124. lin. 16. *poſt hæc verba* PRESTANTIA INTELLIGATVR, *adde que ſequuntur.* Nam etſi *electus* pro *præſtanti* poſſit accipi, *electionem* tamen accipi pro *præſtantia* nunquam inuenies.

Pag. 262. lin. 23. *poſt hæc verba.* ET CAVENDI MALVM, *adde quæ ſequuntur:* & hominem poſſe cauere malum & abſtinere à peccato etiam ſi Deus non impediat.

Pag. 263. lin. 5. poſt hæc verba CAVSA PARTIALIS, adde quæ ſequuntur. & pag. 211. *Gratiam & arbitrium coniungimus vt cauſas partiales.*

Pag. 283. lin. 28. *poſt hęc verba,* MISERENTIS DEI, *adde quæ ſequuntur.* Nouatores vt ſe tueantur aduerſus illud Pauli, *Quis te diſcernit*, pertendunt Paulum agere de diſcretione qua qui plura dona acceperunt ab iis diſcernuntur qui pauciora acceperunt. Quod lubens accipio: Nam ſi per ſolam Dei gratiam, maioribus donis præditi diſcernuntur à fidelibus qui pauciora acceperunt, quanto magis per ſolam dei gratiam diſcernentur qui multis donis ſunt inſtructi, ab iis qui prorſus ſunt expertes fidei, & cognitionis Dei?.

Pag. 304. *ad finem paginæ, ad finem capitis XXXV.*

*adde quæ ſequuntur.*

XVII. Quonam verò tendat hæc doctrina de concurſu liberi arbitrij cum gratia, & de facultate qua homo poteſt credere & gratia vti ſi vult, vel non credere & gratiam reſpuere, fideique cauſa totalis aſſignatur non gratia ſola, ſed gratia cum libero arbitrio, quò inquam tendat hæc doctrina ex Semipelagianorum lacunis hauſta non eſt difficile cognoſcere. Eo enim tendit vt merita humana quaſi per cuniculos inſinuentur. Quanquam enim ſectarij prima fronte videntur præ ſe ferre odium meritorum, pluſculis tamen in locis ea ſtabiliunt. Epiſtola aduerſus Valachrianos pag. 44. hæc habet, *Quos vocat Deus & prædicationis gratia primitus dignatur, VT PLVRIMVM tales eſſe fatemur vt nihil minus ipſorum virtutes quam hanc donorum indebitam largitionē MEREANTVR.* En aliquos qui merentur largitionem donorum Dei, idque ante regenerationem. Arnoldus pag. 328. *Deus creaturæ obedientiam præſtanti quod ſuum eſt tribuit.* Arminius in Perkinſum pag. 218. *Deus ex promiſſo & DEBITO dat vitam operanti.* Et Arnoldus pag. 433. loquitur de quibuſdam qui *gratiæ auxilio non ſe reddunt indignos, & non MERENTVR vt ſpiritus in illis operari deſinat.*

XVIII. Lubet pro corollario hic apponere inſigne ſententiam Auguſtini ad Simplicium q. 2. *Illud manifeſtum eſt fruſtra nos velle niſi Deus miſereatur: illud autem neſcio quo modo dicatur, fruſtra Deum miſereri niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam volumus. Ad eandem quippe miſericordiam pertinet vt velimus. Deus eſt enim qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate.*

Ibid. *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur si homo nolit, quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quo modo illis aptum esset vt & mouerentur, & intelligerent & sequerentur.*

Pag. 4. lin. 20. *post illa verba* APERTE PROLOQVI. *adde quæ sequuntur.* Dicunt enim Deum non infundere fidem cordibus, sed dare media ad perueniendum ad fidem, quibus mediis vtamur si velimus, hoc enim esse in potestate liberi arbitrij.

Pag. 34. lin. 24. *post hæc verba*, EST COMPARATA *adde quæ sequuntur.* Præcipuè cum Christus dicat Iohannis 4. v. 14. *Qui bibet de aqua quam ipsi dabo nunquam sitiet, sed aqua quam ei dabo fiet in eo fons saliens in vitam æternam.* Liquidò enim apparet hic agi de quadam gratia quæ semel probè admissa & corde recepta nunquam amittitur, sed quæ manet in vitam æternam, & quæ instar fontis perennis nunquam arefit. Nec minus diserta sunt Christi verba eiusdem Iohannis cap. 6. v. 35. *Qui credit in me nunquam sitiet.* & vers. 51. *Qui edet de hoc pane viuet in æternum.* Quæ omnia falsa essent si vera fides quæ Christum seriò apprehendit posset excuti & finaliter amitti. Essent enim qui post manducationem panis cęlestis perirent in æternum.

---

## *EMENDANDA.*

PAgina 6. linea 16. lege *videntur habere rationem boni aut mali, nec facere ad Dei,* pag. 9. lin. 30. *euentus for-*

*tuitos.* pa.10.li.17.lege *iubendo, vetãdo.* pa 25.li.7. *Ad cuius.* pag.26.lin.5. *intendit* & lin.26. *intentione, muto consilium.* pag.29.lin.24. *tempore fieri posterio-* pag.32.lin. 4. *credendi* & lin.15. & 16. *vehementer affici*, & lin.25. *certissima patebat.* pag.34.lin.6. *luit stabilire.* pag. 40. lin.20. *quæ possent.* pag.45.lin.14. *vt docet.* pagin. 47. lin.26. *infecit : at concupiscentia.* Et lin.28. *repugnat, at peccatum,* pagin.54.lin.19. *quia (inquit) in parentibus,* pagin.63.lin.1. *fiet exanimis* : Et lin.26. *peccati à parentibus.* pagin.66.1.lin.9. *amissæ sint.* pagin.73.lin.1. *maledictioni.* Et lin.16. *induit, vt hoc.* pagin.74.lin.3. *Hebr.* pagin. 88. lin.19. *aliquos elegisse.* pagin.95.lin. 4. *fide. At certè.* pag.96.lin.27. *cedentibus.* pag.97.lin.1. *Ius hic nec.* pag. 99. lin. 9. & 10. *audacia. Is aduersus* Tilenum & lin 12. *nori, sic.* pag.101.lin.6. *penes quod.* pa.102. *hoc decretum electionis.* pag. 114. lin. 8. *agitur non.* & lin. 9. *consequente) Quis.*pa.129.lin.18.&19. χρηστοφύγετον. & lin. 27. ἡμέραν. pag.130.lin.2. ἀφωρισμένοι. pag.146.lin. 29. *Per eandem.* pag.147.lin.5. *quoque certò dare.* & lin. 23. *VIII. Quid quod.* pa.155.li.25. *alibi. Hoc tamen loco,* pag. 160.li.24. *sancto illo viro,* pa.162.lin.8. *Hanc suam falsam & ineptã sen-* pa.164.li.10.& 11. *decernere vt quis amissam sanitatem recuperet, & tamen decernere vt medicinam sumat, & opem medici impetret XXIV. Idem.*pag.165.lin.11. *in Arnoldo inuenerunt.* & lin 14. *ita Arnoldus vult,* pag. 168.lin.9. *imminutionem.* & lin.27. dele XXX. pa.183. lin. 17. *Christum.* pag. 185. lin. 17. *satisfactione iustitiæ.* pag. 198. lin.6 *nostrarum.* & lin. 19. *salutaris posse esse* pag.210.lin.29. *iudicauerit.* pag.214. *Ergo intercessio necessariò præcedit sacrificium. Addit Armi-* pag. 218. lin.8.

*interficit.* pag.225.lin.28. *pertinet.* pag.227.li.18. *Diabolorum.* pag.235. lin.10. *proportionem.* pag.238.lin.18. *prædicetur.* pag.247.lin.24. *saltem ibi.* pag.248.li.5. *eis a decess-* pag.250.lin.2. *profuturus.* & li.8. *efficacem, idest quæ actu efficiat, sine qua tamen.* pag. 258.lin.12. *eneruat.* pag.259.lin.8. *homo resistere posit.* pag.264.lin.8. *arbitrium sic.* & lin.30. *discerno:* pag.270.lin.28. *ad ac-* pag. 272.lin.16. *nos amauit.* pag.279.lin.14. *tenebris immersi* pag.282.lin.28. *nera irregenitorum. Si ex Scriptura* pag. 284. lin. 28. *magno conatu.* pag. 287. lin.16. *hic agitur* pag. 297. lin.3. *necessariò, etiam cum.* pag.301. lin. 10. *Ioëlis.2.* pag.306.lin.4. ῥέοτις. & lin. 8. *metum excitantur* pag.308.lin.20. *vnquam.* pag.309.lin.14.& 15. *Scripturæ ad euertendam hanc sententiam congerere.* pag.310. li.11. *Capernaitas peius fuisse.* & lin.17. *dictam, antequam.* pag. 312.lin.27. *afficiente.* pag.356.lin.9. *argumentamur.*

Pag.11.lin.16. παρεχετδύει. & lin.20. ſtibilem, ſed illibatà pag.12.lin.11. *Dei auxilio.* pag.17.lin.11. *porrigat.* & lin.16. *compingant, eum ad.* & li.29. *inexplicabilis?* pag. 20.lin.4. *Idem potest dici de* & lin.11. *quacunque ei obuersabantur,* & lin.17. *Paulus Apostolus.* pag.25.lin.3. *arbitrium, vt prolixè.* & lin.4. *per quam fit vt.* pag.25.lin. 22.& 23. *ipso loco secundæ ad* Corinthios *quo Apostolus potentiam.* pag.31.lin.25. χρησφύγετον. pag.34.lin.27. *fallax esset hæc,* pag.44.lin.6. ἀσύςατα.




*Emendanda in marginalibus notis.*

Pag.99.lin.4.*catorem.* pag.101.lin.14.*Arnol.* pag.294.lin.3.ἀνώλαςῳ ἰξ. pag.14.lin.17.*spei, cha-*

bx

a6

